MEDULLA
THEOLOGICA
EX SACRIS SCRIPTURIS,

Conciliorum, Pontificumque Decretis, & SS. Patrum, ac Doctorum placitis expressa,

In qua quidquid tum ad Fidei Mysteria sane, ac recte intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad Sacramenta debite conficienda, & ministranda, tum ad actiones humanas juxta Divinæ Legis normam dirigendas spectare potest, facili, ac compendiaria methodo explicatur.

AUCTORE

LUDOVICO ABELLY

Episcopo Ruthenensi.

EDITIO XV. ET NOVISSIMA,

Cum opportunis Indicibus, necnon Methodica Catechesi ex ipsius Medullæ Theologicæ effatis concinnata.

PARS SECUNDA

Complectens ea, quæ ad Sacramenta, & mores pertinent.

PATAVII, Typis Seminarii, MDCCXXXV.
Apud Joannem Manfrè.
Superiorum Permissu, ac Privilegio.

PRÆFATIO

In posteriorem Medullæ Theologicæ partem.

POst explicatas in prioris hujus Operis parte veritates illas, quæ mysteriorum Fidei notitiam præsertim spectant, reliqua Theologicæ doctrinæ capita; quæ magis ad praxim accedunt, hac posteriori exhibentur; atque in primis ea, quæ ad Sacramentorum rationem, ac disciplinam pertinent. Quæ cum sint media quædam ad Christi Domini Gratiam in nos uberrime derivandam divinitus instituta, convenienter, post ipsius Gratiæ doctrinam ultimo prioris Partis tractatu traditam subjungitur Theologiæ Sacramentalis explicatio, in qua de ipsis Sacramentis tum generatim, tum speciatim disseritur, ut noverint illi, quibus mysteriorum tantorum dispensatio credita est, quomodo se in sacra illa œconomia gerere debeant, & qua ratione Populus Fidelis digne iisdem participare, plenioresque, ac uberiores illorum fructus in se percipere possit.

Quoniam vero terra super se venientem bibens imbrem, proferens autem spinas, ac tribulos maledicto proxima est, ut testatur Apostolus; qui propterea monet, ne in vacuum Gratiam Dei recipiamus, hortaturque, ut exhibeamus nos, sicut Dei ministros, in omni opere bono fructificantes; idcirco in secundo posterioris hujus Partis tractatu agitur de ipsis actibus humanis; quibus unusquisque Deo, vel morti fructificare potest; (ut loquitur idem Apostolus) investigaturque, ex quibus fontibus bonitas eorum, vel malitia profluat, ac præsertim prima, & præcipua illorum actuum regula, lex scilicet Divina Decalogi præceptis contenta, paulo attentius consideratur, cui subjungitur notitia Ecclesiasticarum legum, ac Censurarum, ac demum pro totius Operis velut coronide apponitur brevis quædam Appendix eorum, quæ ad statum Clericalem, & Ecclesiasticæ Hierarchiæ disciplinam spectant, quæ in aliis tractatibus explicari commode non potuerunt.

Cum autem universa hæc Theologia Moralis, & pract a duobus præsertim fundamentis innitatur, ratione scilicet, ac auctoritate, rationem quidem optimam ducem Auctor hu-

jus Operis arbitratus est, sed in tanta rerum caligine, quæ nos undique circundat, solam haud satis tutam, ideoque auctoritatem tanquam certiorem, & Fidei amicam illi adjunxit, imo plerunque solam sequutus est; ac in primis Divinam sacræ Scripturæ facem, ubicunque Deus illam allucere voluit, tanquam certum, & infallibile medium ad dignoscendum verum a falso, & pravum a recto, in iis, quæ ad Sacramenta, & mores pertinent, adhibuit; juxta Propheticum dictum, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis:* exinde Conciliorum, Summorumque Pontificum decreta, nec non Sanctorum Patrum effata, tum in propriis fontibus, tum in ipso Jure Canonico solerter inquisivit: denique Doctorum maxime probatorum responsa consuluit, ac præ cæteris ipsum Sanctum Theologiæ totius Apicem observavit, ejusque doctrinæ semper adhæsit.

Et in iis quidem, quæ nullam, aut perexiguam difficultatem recipiunt, unius tantum, aut alterius probati Doctoris calculum adjecit, in gravioribus vero difficultatibus, maximorum, & nominatissimorum Theologorum sensa evolvit, eorumque auctoritate stabilivit ea, quæ probabilissima, & quoad praxim tutissima ipsi visa sunt: hæcque omnia, quanta potuit, brevitate, facilitate, ac perspicuitate præstitit, aut certe præstare voluit.

Cæterum si quid in hac Theologiæ Moralis, & practicæ Synopsi Lectori minus arrideat, hoc ab illo suppliciter postulatur, ut apud se perpendat, difficillimum esse, immo vix possibile uniuscujusque mentem assequi, aut votis obsecundare, in tanta rerum adeo implexarum, & arduarum varietate, ac multitudine, quæ in hoc Opusculo tractari debuerunt, ejusque angustis limitibus arctari: præterea consideret, Auctorem nihil ex proprio ingenio, cui maxime diffidere debuit, sed omnia, & singula vel ex Scripturis sanctis, vel ex ipso Jure Canonico, vel ex probatissimis Auctoribus protulisse, eaque insuper non nisi doctissimorum virorum judicio examinata, & probata in lucem edidisse, ac demum sanctæ Catholicæ, Apostolicæ, ac Romanæ Ecclesiæ arbitrio, & censuræ, quanta potest animi demissione, submittere.

IN-

INDEX
TRACTATUUM, CAPITUM,

& Sectionum hujus posterioris Partis.

TRACTATUS I.

De Sacramentis.

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

CAPUT II.

De Sacramento Baptismi.

a 3 V. *Quis*

CAPUT III.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT IV.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

CAPUT V.

De Sacramento Pœnitentiæ.

APPENDIX.

De Indulgentiis, & Purgatorio.

CAPUT VI.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT VII.

De Sacramento Ordinis.

CA-

CAPUT VIII.

De Sacramento Matrimonii.

TRACTATUS II.

De actibus humanis juxta Divinæ legis normam dirigendis.

CAPUT I.

De actibus humanis in genere.

CA-

IV bis

INDEX.

CAPUT II.

De Peccatis.

CAPUT III.

De Legibus.

CA-

CAPUT IV.

De Legis Divinæ, seu Decalogi præceptis.

Quaest.

CAPUT V.

De præceptis Ecclesiæ.

SECTIO UNICA.

Explicatur tertium præceptum, quod est de Jejunio.

INDEX.

CAPUT VI.

De Cenſuris Eccleſiaſticis, & Irregularitate.

APPENDIX.

De ſtatu Clericali, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ Hierarchia.

Quæſt.

APPROBATIO DOCTORUM.

NOs in Sacra Theologiæ Facultate Parisiensi Doctores Sorbonici fidem facimus, lectum esse, examinatumque a nobis Librum, cui titulus est : *Medulla Theologica*, &c. *Pars II. Auctore Magistro* LUDOVICO ABELLY, *Doctore Theologico, & Sancti Judoci Parisiis Rectore*, nihilque repertum in eo, quod sit Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ Fidei, ac doctrinæ, bonisque moribus contrarium.

Datum Parisiis die trigesima Septembris ; anno Domini 1651.

M. GRANDIN.

R. DU. VAL.

ME-

MEDULLA THEOLOGICA

PARS POSTERIOR,

Complectens ea, quæ ad Sacramenta, & mores pertinent.

TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS.

QUod olim per Prophetam pollicitus fuerat Deus Ezech. c. 36. effusurum se super servos suos, & ancillas suas aquam mundam, qua emundarentur ab omnibus inquinamentis suis, hoc præsertim in Sacramentis a Christo Domino postmodum institutis adimplevit. Hæc siquidem sunt veluti vasa quædam sacra, quæ, ut declarat Concilium Tridentinum sess. 7. can. 6. Divinum illum Gratiæ sanantis, & sanctificantis liquorem in se continent, & ex se diffundunt: hi sunt fontes illi Salvatoris, ex quibus haurire possumus in gaudio aquam vivam, quæ fiat in nobis fons aquæ salientis in vitam æternam. Certe si bonorum illorum, quæ de sursum sunt, quæque a Patre luminum descendunt, justi sumus æstimatores, inter alia innumera nobis cœlitus collata, Sacramentorum illorum institutionem, & in ipsis Sacramentis Divinæ charitatis exuberantiam religioso in primis cultu suscipere, & grato, quantum possumus, animo suscipere debemus, nec non peculiari studio, diligentia, & affectu perdiscendæ huic cœlesti de Sacramentis doctrinæ incumbere eos decet, quos ministros suos, ac mysteriorum dispensatores Christus Dominus constituere voluit, & a quibus dispensationis illius rationem se aliquando exacturum esse contestatus est.

De ipsis igitur Sacramentis primum in genere, tum postea in particulari, secundum ordinem a S. Doctore præscriptum, nobis deinceps agendum est.

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

SECTIO I.

Quid sit Sacramentum.

1. NOmen Sacramenti duobus præsertim modis apud sacros Scriptores acceptum reperitur. 1. pro re occulta, & latente, quo sensu Ephes. 1. dicitur, *Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ*, & Sap. 2. *Nescierunt Sacramenta Dei*. 2. pro ipsius rei latentis, & occultæ signo, ut Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, ubi Matrimonium ab Apostolo Sacramentum magnum appellatur, quia est signum magnum alicujus rei latentis, & occultæ, nempe conjunctionis Christi cum Ecclesia.

In hac autem posteriori acceptione nomen Sacramenti communiter a SS. Patribus, & ab ipsa Ecclesia usurpatum est ad exprimendas sacras quasdam cæremonias ad nostram sanctificationem divinitus institutas, ut ex infra dicendis patebit.

Hoc igitur sensu Sacramentum in Catechismo Conc. Trid. par. 2. cap. 1. definitur, *Res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.*

Dicitur 1. *Res sensibus subjecta*. seu, ut loquitur S. Doct. q. 6. a. 2. ad 4. *signum sensibile*, quia ad suavem Dei providentiam pertinuit, ut per res exteriores, & signa quædam sensibilia ad cognitionem, & perceptionem rerum spiritualium, & Divinarum veluti manu duceremur. *Si enim incorporeus esses* (ut ait Chrysost. hom. 58. in S. Matth.) *nuda ipsa dona incorporea tibi tradidisset, sed quia corpori conjuncta est anima tua, ideo rebus sensibilibus tibi intelligenda traduntur.*

Dicitur 2. *Ex Dei institutione*. Sacramentum enim non est signum naturale, aut physicum, sed ex sola Dei voluntate, & institutione, cujus solius est instituere signa illa, quæ justitiam, & sanctitatem significare, & conferre possint, sicut illius solius est sanctitatem ipsam, & justitiam efficere, ut docet S. Th. Quod tamen non obstat, quin (ut idem S. Doctor asserit part. 3. quæst. 64. art. 2. & quæst. 72. art. 1.) Christus Dominus, etiam in quantum homo, fuerit causa ministerialis principalis ipsorum Sacramentorum, ad eorumque interiores effectus non solum meritorie, sed etiam efficienter in ratione causæ instrumentalis operetur.

Dicitur denique, *Sanctitatis, & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habere*, quibus verbis indicatur, Sacramentum esse signum

gnum

gnum quoddam practicum, cujus usu, seu applicatione Fideles interius ex opere operato sanctificentur, & exterius veluti symbolo, seu nota quadam ab aliis Gentibus discernantur. Quæ omnia ex dicendis plenius, & facilius poterunt intelligi.

2 Est autem observandum, hac ultima definitionis particula Sacramenta legis Gratiæ præsertim distingui a Sacramentis legis naturæ, & Mosaycæ. Quamvis enim essent signa quædam sensibilia ad sanctitatem, & justitiam significandam divinitus instituta (unde Apost. dicit Rom. 4. Circumcisionē fuisse *Signaculum justitiæ Fidei*) non tamen illius efficiendæ, & ex opere operato conferendæ vim habebant, ut docet S. Th. q. 62. a. 6. unde idem Apostolus Gal. 4. illa vocat *infirma, & egena elementa*, & S. August. l. 19. cont. Faust. c. 18. *Vetera* (inquit) *Sacramenta promittebant Gratiam; nostra vero eam exhibent*.

* Porro, ut recte observat Layman lib. 5. tr. 1. c. 2. Mæratius tract. de Sacram. disp. 1. sect. 1. & alii, ad rationē quoque Sacramenti proprie dicti requiritur, ut perpetuam, seu stabilem institutionem, ac usum habeat pro statu durantis Ecclesiæ. Ea de causa linguæ igneæ, quæ in die Pentecostes apparuerunt, item insufflatio Christi in Apostolos Jo. 20. licet signa fuerint Gratiæ invisibilis ad hominis sanctificationem, tamen proprie Sacramenta censeri non debent.

SECTIO II.

Utrum Sacramenta novæ legis constent rebus, & verbis tanquam materia, & forma.

1. AD juvandam humanæ mentis imbecillitatem in percipiendis iis, quæ ad Sacramentorum rationem spectant, Ecclesia divinitus inspirata certos loquendi modos adinvenit, & ex rerum naturalium similitudine deduxit, per quos ideam quandam, licet aliquatenus imperfectam, veram tamen, & certam mysteriorum illorum supernaturalium conciperemus. Sicut igitur cernimus, substantias omnes corporeas constare duobus principiis componentibus, materia scilicet & forma, sic ad percipiendam naturam Sacramentorum, duas veluti partes in unoquoque illorum distinguendas esse docuit, unam quæ materiæ, alteram, quæ formæ rationem obtineret. Ita expresse declaratur in Conc. Flor. in Decreto Eugenii Papæ, ubi post enumerationem septem Sacramentorum novæ legis, hæc verba subjunguntur, *Hæc omia Sacramenta tribus perficiuntur; videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri*.

Est autem observandum, nomine rerum, quæ dicuntur esse instar materiæ, intelligi id omne, quod in Sacramentis indetermi-

natam habet significationem; nomine vero verborum id, per quod illud determinatur. Ex gr. in Baptismo aqua naturalis se habet instar materiæ, quia (ut docet S. Th. q. 60. art. 6.) *Significare potest & ablutionem propter suam humiditatem, & refrigerium propter suã frigiditatem. Sed cum dicitur, Ego te baptizo, manifestatur, quod aqua utimur in Baptismo ad significandũ emundationem spiritualem.*

2. Quæres, an materia formæ conjungi debeat, & simul tempore cum illa existere, ut Sacramentum valide conficiatur. Respondetur, id ex cujusque Sacramenti natura esse dignoscendum. Nam in confectione Sacramenti Eucharistiæ requiritur, ut eo ipso tẽpore, quo verba formæ proferuntur, materia præsens sit. Hanc enim ut præsentem significat pronomen demonstrativum *Hoc*, *vel hic*, quod in forma ponitur. In Sacramento autem Pœnitentiæ, cum forma non significet applicationem materiæ, sed proferatur per modum judicii, nec in judicio requiratur, ut sententia Judicis cum Rei accusatione tempore cõjuncta sit; hinc fit, ut in hoc Sacramento non requiratur, ut absolutionis forma cum confessione, & aliis actibus pœnitentis, qui materiæ locum tenent, tempore conjungatur. In aliis vero Sacramentis, quæ in actione aliqua transeunte consistunt, & quorum forma applicationem ipsius materiæ significat, quamvis aliqui Doctores arbitrentur, ad illorum validitatẽ satis esse, ut moralis aliqua conjunctio inter materiam, & formam reperiatur, ideoque validum v. gr. fore Baptismum, si statim post ablutionem verba formæ proferantur, aut post formæ prolationem ablutio sequatur; certior tamen, & tutior in praxi est aliorum omnium Doctorum sententia, qui asserunt, materiam, ac formam simul re ipsa debere conjungi, ita ut simul tempore materia Sacramenti applicetur, & verba formæ proferantur, aut saltem priusquam materiæ applicatio finiatur, formæ prolatio inchoetur, vel vice versa. Ita Glossa in c. *detrahet*, causa 1. q. 1. Jo. Major, Richardus, Sotus, Paludanus, Sylvest. Navarrus, & alii, quos citat, & quibus subscribit Vivaldus in Candelab. aureo 1. part. tit. 1. n. 15.

3. Cæterum ad faciliorẽ intelligentiam eorum, quæ de unoquoque Sacramento in particulari dicenda sunt, Theologi communiter duplicem distinguere solent materiam in Sacramentis, saltem in iis, quæ in usu, seu in actione transeunte consistunt, qualia sunt omnia novæ legis Sacramenta, præter Sanctissimam Eucharistiam, ut suo loco explicabitur, remotam scilicet, & propinquam. Materia remota dicitur res illa, circa quam actio Sacramenti exercetur, ut aqua naturalis in Baptismo, oleum balsamo mixtum in Confirmatione, &c. Materia vero propinqua dicitur ipse actus, seu usus illius rei sensibilis, puta ablutio.

SE-

SECTIO III.

Utrum ad conficienda Sacramenta determinatæ res, ac determinata verba requirantur.

AD propositam quæstionem communis Theologorũ responsio est affirmativa, nimirum, supposita institutione Sacramen- ᴉrum novæ legis divinitus facta, ad validam illorum confectionem, s easdem, & eadem verba requiri determinate, secundum ipsius hristi Domini instituentis voluntatem. Ratio est, quia cum Sa- amentum confici nequeat, nisi rebus illis, & verbis, quæ ex in- tuto Dei gratiam sanctificantem significare, ac efficere possunt, it constat ex dictis Sectione prima) si Deus significationem illã, efficaciam certis tantum, & determinatis rebus; certis item, & terminatis verbis imposuit, sequitur, quod non nisi rebus, & rbis illis a Deo determinatis Sacramentum confici possit. Ita ar- mentatur S. Doctor quæst. 60. art. 5. & 7.

Quod confirmari potest ex eo, quod Conc. Trid. sess. 21. c. 2. de- rat, Ecclesiam posse circa Sacramentorum dispensationem stã- ere, vel mutare ea, quæ suscipientium utilitati, & ipsorum Sa- amentorum venerationi, pro rerum, temporum, ac locorum va- etate magis expedire judicaverit, *Salva tamen illorum substantia*, ibus verbis significat, non esse in Ecclesia potestatem immutandi , quæ ad Sacramentorum substantiam pertinent, sed esse prorsùs cessarium retinere omnia illa, quæ ex Divina institutione deter- nata sunt. Unde etiam S. Aug lib. 8. cont. Don. cap. 25. *Certa is*, inquit, *Verba Evangelica, sine quibus non potest Baptismus secrari*, & lib. 20. cont. Faust. c. 13. *Noster calix, & panis certa secratione mysticus, fit nobis Corpus Christi*.

:. Est autem observandum, determinationẽ illã materiæ, & for- ,seu rerum, & verborum, non esse æqualem, & ejusdem rationis in nibus Sacramentis novæ legis. Quod enim spectat ad materiã, de- minatio illius petẽda est præsertim ex aptitudine ad usum ipsius cramenti secundum institutionem Divinã. Unde fit, ut aqua con- ata, quamvis ejusdem speciei sit cum liquida, non sit tamen mate- Baptismi sufficiens, quia non est apta ad corporalem ablutionẽ. õtrario in Sacramento Pœnitentiæ quilibet dolor de peccatis ex ernaturali aliquo motivo elicitus, licet non ejusdẽ speciei, sufficit illius Sacramenti validitatem, quia scilicet dolor ille quocunq; motivo supernaturali elicitus, ac proinde cujuscunque sit speciei, dispositio sufficiens ex parte pœnitentis confitentis ad absolutio- n peccatorum recipiendam, ut infra suo loco explicabitur.

Quod vero spectat ad formam, cum in reliquis sex Sacramentis a quædam, & determinata verba ore prolata requirantur, in

Matrimonio signa, vel nutus ad consensum de præsenti exprimendum verborum loco substitui possunt, ut suo loco dicetur.

In aliis etiam Sacramentis, quæ certa verba ore prolata requirunt, determinatio verborum illorum desumenda non est ex qualitate soni, syllabarumque, quibus illa constant, sed ex significatione, ita ut eadem determinate verba censeantur, quorum eadem est significatio, ut docet S. Th citato art. 7. in resp. ad 1.

3. Quæres 1. undenam scire possimus, quænam sint illæ res determinatæ, verba item determinata, quæ ad validam Sacramentorum confectionem ex Divina institutione necessario requiruntur. Respondetur, id constare partim ex sacris Scripturis, partim ex traditione Divina, quam ex ipsius Ecclesiæ vel expressa declaratione, vel continua praxi discimus. Unde S. Dion. l. de Eccl. Hier. c. 1 sic loquitur, *Primi Duces Sacerdotalis muneris visibilibus signis cœlestia Sacramenta texuerunt, & partim scriptis, partim non scriptis institutionibus nobis tradiderunt*. Quid autem Scriptura, vel traditio de propriis ipsorum Sacramentorum materia, & forma doceat, explicabitur, cum de unoquoque illorum in particulari agetur.

Quæres 2. quænam mutatio in rebus illis, & verbis divinitus determinatis Sacramentorum validitatem impediat. Respondetur, mutationem quamcumque in rebus illis, aut verbis, seu in materia, aut forma, si substantialis sit, Sacramentum irritum, & invalidum reddere, sin vero tantum accidentalis, valide quidem, sed tamen illicite confici Sacramentum, nisi necessitas, aut alia legitima causa excuset. Ita S. Th. citata q. 6. art. 8. & communiter alii.

Tunc autem materiæ Sacramentorū mutatio substantialis censetur, quando tanta est, ut secundūm communem usum, & æstimationē hominum differat ratione, & appellatione a materia, quam Christus præscripsit, & Ecclesia usurpat, sive differentia illa sit specifica, sive nō sit, ut recte docet Suarez disp. 2. de Sacram. sect. 4. Exempli gratia, farinacea massa nondum pista, & igne cocta non est apta materia ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum, quia secundum communem usum, & æstimationem hominum non est panis, sive eandem speciei formam physicam cum ipso pane habeat, sive non.

4. Contraria ratione, mutatio illa materiæ censetur accidentalis, si materia secundum communē usum, & æstimationem eadem sit, licet qualitas fortasse aliqua illi desit, quæ ex præcepti Ecclesiastici necessitate alias requiratur, puta si panis ille sit ater, fermentatus, &c.

Similiter formæ Sacramentorum mutatio illa substantialis censeri debet, cum tanta est, ut communi hominum judicio non retineat eum sensum, quem habet forma a Christo prescripta. Quod si sensum illum retineat, qualiscunque mutatio fiat, accidentalis tantum est. Ita S. Th. citato art. 8.

Ex quo intelligitur, mutationem formæ fore tantum accidentalē, exem-

xempli gratia, si sit solius idiomatis, ut si quis baptizet, vel consecret lingua vulgari, vel græca: si fiat aliqua verborum transpositio, oratione eundem sensum retinente: si vox aliqua detrahatur, quæ non pertineat ad substantiam formæ: aut si verbum aliquod addatur, quod tamen illius sensum non evertat: Item si consueta formæ verba mutentur in alia synonyma: dicuntur autem synonyma, quæ idem non quomodocumque, sed eodem modo, idque tam explicite, & distincte significant: si denique verba formæ corrupte proferantur, ita nihilominus ut tota illa oratio corruptis dictionibus constans habita ratione materiæ, cui applicatur, & aliarum circumstantiarum, juxta communem hominum concipiendi modum, eundem audientium animis sensum generet. In his omnibus, & similibus casibus mutatio formæ censetur esse tantummodo accidentalis, ut docet S. Thom. q. 60. art. 7 ad 3. & post illum Paludanus, Sotus, & alii, quos citat, & sequitur Laymannus tract. 1 de Sacrament. in communi cap. 4. Hæc autem mutatio accidentalis, quamvis, si advertenter, & sine ulla rationabili causa fiat, ministrum peccati reum efficiat, ipsius tamen Sacramenti validitatem non impedit.

SECTIO IV.

Utrum, & qua ratione Sacramenta novæ legis Gratiam conferant.

1. QUod spectat ad primam quæstionis propositæ partem, certũ est ex Fide, novæ legis Sacramenta Gratiam conferre, quocunque modo illam conferant. Huic veritati oppositus olim fuit error Massilianorum, qui teste S. Epiphanio hæres. 80. & S. August. lib. de hær. c. 57. vim sanctificandi non tribuebant Sacramentis, sed solis precibus, a quo errore non longe absunt nostri temporis Hæretici, qui (ut observat Bellarminus tom. 3. lib. 2. cap. 2.) Gratiam, quę in Sacramentorum susceptione recipitur, non eorum efficacię, aut virtuti, sed soli suscipientium fidei ascribunt.

Refellitur hic error, & veritas nostræ Fidei probatur 1. ex Scriptura, cujus testimoniis variis expresse constat, Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, Ordinem, & Extremam Unctionem Gratiam conferre, unde sequitur, & alia Sacramenta eundem effectum habere, cum horum, & illorum sit par ratio.

De Baptismo constat ex his verbis S. Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, &c. quibus regeneratio spiritualis, quæ per Gratiam fit, aquæ Baptismali tanquam causæ tribuitur.

De Pœnitentia S Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, quibus verbis significatur (ut declarat Conc. Trid. sess. 14. can. 3. & 9.) Sacerdotes in Sacramento Pœnitentiæ per absolutionem vere peccata remittere, ac proinde Gratiam conferre.

De Eucharistia S. Joan. 6. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*, vita scilicet Gratiæ.

De Ordine 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te ut resuscites Gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.*

De Extrema Unctione denique S. Jacob. c. 5. *Ungentes eum oleo in nomine Domini*, &c. *si in peccatis sit, remittentur ei*, ubi declaratur vis hujus Sacramenti ad peccata remittenda, proindeque ad Gratiam conferendam.

2. Probatur 2. ex Concil. Flor. in decreto Eugenii, & Trid. sess. 7. can. 7. ubi expresse definitur, *Gratiam conferri per novæ legis Sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, si rite ea suscipiant.*

Probatur 3. ex S. Aug. in Psal. 37. expresse asserente, *Sacramenta novi Testamenti dare salutem*. Et S. Chrys. dicente hom. 60. ad popul. *Deum per visibilia signa* (Sacramenta scilicet) *invisibilem largiri virtutem.*

Quod spectat ad secundam partem propositæ quæstionis, certum est etiam ex Fide, Sacramenta novæ legis Gratiam producere, & conferre, non solum in quantum suscipientes ad aliquem actum Fidei, aut alium pium affectum objective excitant, ut dicunt Hæretici, sed propria virtute, & efficacia, non quidem principaliter (quod solius Dei proprium est) sed instrumentaliter, & (ut loquuntur Doctores) ex opere operato.

Ut hæc veritas facilius intelligatur, observandum est, Gratiam conferri ex opere operantis in aliquo Sacramento idem esse, atque conferri intuitu meriti ipsius operantis, seu illius, qui est conficiens, vel administrans Sacramentum, aut illud suscipiens: ex opere autem operato Gratiam conferri idem esse, ac conferri Gratiam præcise vi ipsius operis operati, id est facti, prout juxta Divinam institutionem faciendum est.

His observatis, veritas nostræ assertionis probatur, & error oppositus refellitur 1. auctoritate Scripturarum, quæ supra relatæ sunt, ex quibus satis aperte colligitur, Sacramenta efficacia aliqua, & virtute sibi propria, proindeque ex opere operato remissionem peccatorum, & Gratiam conferre.

Probatur 2. auctoritate Côc. Trid. ses. 7. cã 8. *Si quis dixerit, per novæ legis Sacramenta nõ conferri Gratiã ex opere operato, anathema sit.*

Probatur 3. auctoritate S. August. l. 19. contr. Faust c. 11. ubi dicit, vim Sacramentorum esse *inenarrabilem*, & cap. 16. *Sacramenta novæ legis plurimum a legalibus distare, & esse virtute majora, utilitate potiora.* Atqui virtus Sacramentorum novæ legis nec esset inenarrabilis, nec major, aut potior virtute Sacramentorum antiquæ legis, si eo tantum modo Gratiam conferrent, quo asserunt Hæretici. Item S. Cypriani serm. de Cœna Domini, ubi dicit, *Sacramentis inesse æter-*

næ vitæ effectum. Et S. Bern. in serm. de eadem Cœna Dom. *Si quis vestrum* (inquit) *non tam sæpe modo, nec tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi; gratias agat corpori, & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* Addimus Innocentium III. Summum Pontificem, qui l. 3. de mysteriis Missæ c. 5 dicit, *Missæ sacrificium conferre Gratiam, licet per malos ministros, quia etiamsi opus operans fortasse sit immundũ ex parte ministri, attamen operatum est semper mundum respectu Dei.*

4. Quærunt Theologi, utrum Sacramenta novæ legis moraliter tantum, an etiam physice Gratiam producant.

Respondetur 1. certum esse, Sacramenta novæ legis semper esse causas morales Gratiæ, quæ ex opere operato confertur digne suscipientibus; siquidem ad Gratiam illam producendam, & suscipientibus largiendam movent ipsum Deum Gratiæ omnis auctorem, & largitorem, qui ideo Gratiam illam tunc vult conferre, quia Sacramentum recte perfectum, & debite susceptum est. Sunt autem causæ morales, non quidem principales, sed tantum instrumentales; tum quia sic vocantur a Concil. Trident. sess. 6 c. 7 tum quia causa moralis principalis ipsius Gratiæ est Passio Christi Domini (ut ibidem dicitur) in cujus solummodo virtute Sacramenta hunc suum effectum attingunt.

Respondetur 2. probabilissimum esse Sacramenta novæ legis non tantum moraliter, sed etiam physice Gratiam producere. Ita Cajetanus, Alanus Cardinalis, & plures alii, quos citat, & sequitur Suarez disp. 9. de Sacram. serm. 2. quibus etiam favere videtur S. Doctor quæst. 61. art. 1. 2. & 3. Et Ss. Patres id satis aperte innuere videntur, eum modum illum, quo Sacramenta Gratiam producunt, admirabilem, aut inexplicabilem esse dicunt, ut S. Cyril. Alexandr. lib. 4. in Joan. ubi de Sacramentorum effectu loquens, *Quomodo autem* (inquit) *id fiat, nec mente intelligere, nec lingua dicere possumus, sed silentio, atque firma Fide suscipimus*, & S. Aug. tract. 80. in S. Joan *Unde*, (inquit, *tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Atqui virtus illa Sacramentorum nec tanta esset, nec ineffabilis, aut incomprehensibilis dici deberet, si moraliter tantum Gratiam produceret, cum hæc moralis efficientia facile intelligi, & explicari posset. S. etiam Leo Papa serm. 5. de Nativ. asserit, *Virtutem Altissimi, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorẽ, facere quoque, ut regeneret unda credentem.* Atqui Beatissima Virgo non solum moraliter, sed etiam physice ad Incarnationem Christi Domini concurrit. Ergo, &c.

Hinc obiter colliges, quanta sit Sacramentorum novæ legis excellentia, & dignitas, quanta virtus, & efficacia illis insit, proindeque quanti a nobis illa æstimari, qua reverentia tractari, & suscipi oporteat, & quantæ Deo optimo maximo illorum auctori, & largitori gratiæ debeantur.

S E-

SECTIO V.

Quam Gratiam Sacramenta novæ legis conferant.

1. Dicendum 1. certum esse, ut ex antedictis patet, Sacramenta omnia novæ legis conferre Gratiam sanctificantem, sive primam, ut Baptismus, & Pœnitentia conferunt, sive illius augmentum, ut reliqua Sacramenta, de quibus suis locis fusius agetur.

Dicendum 2. Sacramenta novæ legis præter Gratiam sanctificantem, conferre quoque virtutum supernaturalium habitus, & dona Spiritus Sancti, sive illorum habituum, & donorum augmentum. Id constat tum ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. asserente, justificationem non esse solum peccatorum remissionem, sed sanctificationem, & renovationem interioris hominis per susceptionem Gratiæ, & donorum, & in ipsa justificatione cum remissione peccatorum simul infundi fidem, spem, & charitatem, cujus quidem justificationis causam instrumentalem dicit esse Baptismi Sacramentum: tum etiam ex eo, quod juxta communem, & certam Theologorum doctrinam, Gratiæ sanctificantis infusionem perpetuo comitatur habituum illorum, & donorum infusio, ut in priori hujus Operis parte, tractatu de gratia, explicatum est.

Dicendum 3 præter Gratiam sanctificantem, dona, & virtutes, Sacramenta novæ legis conferre quædam actualis gratiæ auxilia conducentia ad consequendos proprios fines, ob quos ipsa Sacramenta instituta sunt. Ita S. Thom quæst. 62. art. 2. ubi expressis verbis dicit, *Gratiam Sacramentalem addere supra Gratiam communiter dictam, & super virtutes, & dona, quoddam Divinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem.*

Et certe, nisi hoc verum esset, frustra tot Sacramenta instituta forent, eundem siquidem effectum haberent, ad quem unum illorum abunde sufficeret.

2. Quæres 1. quænam sint illa specialia gratiæ auxilia, quæ a Sacramentis novæ legis conferuntur.

Respondetur, illa esse, quæ in Concilio Flor. sess 7, can. 7. in decreto Eugenii Papæ enumerantur his verbis, *Per Baptismum spiritualiter renascimur, per Confirmationē augemur in Gratia, & roboramur in Fide, renati autem, & roborati nutrimur Divina Eucharistiæ alimonia: quod si per peccatum ægritudinē incurrimus animæ, per Pænitentiam spiritualiter sanamur, spiritualiter, & corporaliter, prout animæ expedit, per extremam Unctionem, per Ordinem vero Ecclesia gubernatur, & multiplicatur spiritualiter, per Matrimonium augetur.* Quæ quidem omnia distinctius, & facilius intelligentur ex iis, quæ infra de unoquoque Sacramento in particulari dicenda sunt.

Quæres

Quæres 2. utrum Sacramenta Gratiam sanctificantem, & prædicta auxilia conferant omnibus suscipientibus.

Respondetur, certum esse ex Fide, ac in Conc. Trid. definitum, ess.7. canon.7. Gratiam sanctificantem per Sacramenta novæ legis, quantum est ex parte Dei, semper, & omnibus ea digne suscipientibus conferri. Quod autem spectat ad illa specialia auxilia, dicendum est, illa tribui omnibus, qui Gratiam ipsam sanctificantē ex Sacramentis digne susceptis recipiunt. Dispositio enim illa, quæ sufficit ad recipiendum primarium Sacramenti effectum, qui est Gratia ipsa sanctificans, sufficit etiam ad secundarium, qui in istis actualibus auxiliis consistit. Tribuuntur autem specialia illa auxilia non statim, atque Sacramentum recipitur, sed iis temporibus, & occasionibus, quibus aptum, & conveniens videtur illi, qui est, ut ait Propheta Psalm. 9. *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*, ut fusius explicat Gammachæus ad quæst.62.c.2. Ex qua doctrina sequitur (quod valde notandū est) nulla ejusmodi auxilia ex opere operato unquā illis tribui, qui ob defectum dispositionis ex Sacramento indigne suscepto Gratiam sanctificantem nunquam recipiunt, cùm Gratia illa sit primarius Sacramenti effectus, in quo reliqui veluti radicantur.

3. Quæres 3. utrum Sacramenta novæ legis æqualem semper Gratiam conferant.

Respondetur, quæstionem illam in duplici sensu accipi posse, 1. an diversa Sacramenta, verbi gratia Baptismus, & Eucharistia, æqualem conferant Gratiam, & dicendum est, conferre inæqualem, cū probabilissimum sit, Deū voluisse per Sacramenta perfectiora, & digniora, cæteris paribus, majorem, & uberiorem Gratiā conferre: est autē de Fide, & in Concilio Tridentino definitum sess. 7. can. 3 Sacramenta omnia non esse inter se æqualia, sed alia aliis digniora esse, & excellentiora. Unde infert, Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum majorem, & uberiorem præ aliis Sacramentis conferre Gratiam, cum omnium dignissimum, & præstantissimum sit, ut satis indicat Concil. Trid. sess. 13. c. 3. & seq. & multiplici ratione probat Sanctus Doctor quæst. 65. a. 3. ubi etiam secundum dignitatis locum tribuit Ordini, tertium Confirmationi, quartum Baptismo, quintum Extremæ Unctioni, sextum Pœnitentiæ, & septimum Matrimonio.

Proposita quæstio 2. intelligi potest, utrum unum, & idem Sacramentum æqualem omnibus illud suscipientibus conferat Gratiā. Et dicendum est eo majorē conferre, non modo ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, quo perfectius ad illud disponuntur. Quod constat tum ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. ubi loquens de adultorum justificatione, cujus instrumentalem causam dicit esse Baptismum, expresse asserit, illos justitiā recipere, *secundū propriā cujusque dispositionem, & cooperationem*, tū ex auctoritate S. Doctoris, ad quæst. 62. a. 2. S. Bonaventuræ, & aliorum, quos citat, & quibus subscribit Gam-

Gammachæus, tum etiam ex eo, quod ad suavem Dei providentiam pertinere videatur, ut melius, & perfectius dispositis majora, & uberiora Gratiæ suæ munera largiatur.

4. Hæc autem melior, & perfectior dispositio consistit præsertim in majori perfectione, intensione, continuatione, & multiplicatione actuum fidei, spei, charitatis, religionis, &c. qui in ordine ad Sacramenti susceptionem eliciuntur, sive tunc eliciantur, cum Sacramentum suscipitur, sive antea in ordine ad illud eliciti fuerint. Ex quibus tamen videntur cæteris paribus melius disponere actus illi, qui eo tempore exercentur, quo Sacramentum actu suscipitur.

Dices inde sequi, Gratiam illam uberiorem, quæ melius dispositis tribuitur, fore ex opere operantis, cum detur intuitu meriti ipsius suscipientis.

Respondetur, actus illos, per quos homo ad Sacramentum aliquod suscipiendũ disponitur, spectari posse duobus modis, 1. prout sunt ex se alicujus Gratiæ meritorii, 2. prout passive disponunt subjectũ suũ, & magis aptum reddunt ad effectum Sacramenti recipiendum. Et sic duplex illis respondet Gratia: si spectentur priori modo, gratiam merentur ex opere operantis, si posteriori, reddunt hominem aptum ad majorem Gratiam Sacramentalem ex opere operato recipiendam.

Instabis, Sacramenta agere necessario, ergo æqualiter.

Respondetur, verum esse, si subjecta sint æqualiter disposita, falsum vero, si inæqualiter: sicut sol æqualiter undequaque lumen suum diffundit, quod tamen maxime inæqualiter in corporibus inferioribus recipitur; aliter siquidem in diaphano, aliter in opaco, aliter in stellis, aliter in luto, & lapidibus impolitis.

SECTIO VI.

Utrum per aliqua Sacramenta imprimatur character.

1. Nomine characteris intelligitur signum quoddam spirituale, quod animæ per quædam Sacramenta imprimitur, de quo

Dicendum 1. ejusmodi characterem vere imprimi animæ per susceptionem quorundam Sacramentorum. Ita S. Thomas, & communiter omnes, estque de Fide, ac in Concil. Florent. & Trident. definitum, ut infra dicetur.

Probatur 1. ex c. 1. ad Ephes. *In quo & credentes signati estis*, ubi Apostolus loquitur de signaculo spirituali, quod accipitur in Baptismo, prout hunc locum exponunt SS. Chrysost. Hieron. & alii apud Bellarminum tom. 5. lib. 2. c. 20. Item 2 Corinth. 1. ubi Apostolus de Confirmationis Sacramento loquens. Unctioni illi signaculum conjungit, *Unxit nos Deus, & signavit nos.*

Probatur 2. ex S. Ambros. l. 1. de Spiritu Sancto, *Spiritu signamur*, in-

ıquit, *ut splendorem, atq; imaginem ejus tenere possimus, quod l utique spirituale signaculum.* Et S. Aug. ferm. de gestis cum merito cap. 6. ubi loquens de Baptismo, *Iste*, inquit, *est charaćer Imperatoris mei. De isto charactere militibus suis, vel potius mitibus suis, ut hunc imprimerent eis, quos congregabant castris us, præcepit, dicens, Ite, baptizate omnes in nomine Patris*, &c.

2. Dicendum 2. Characterem illum esse indelebilẽ, nec ullis pecıtis posse obliterari, ac proinde Sacramenta, quæ illum imprimunt, erari non posse. Ita S. Thom. art. 5. Et expresse definitum est in Cõil. Florent. in decreto Eugenii, & in Trident. sess. 7. can. 9. Et ante ræfata Concilia id ipsum docuerunt SS. Patres, ut S. Cyril. Hieros. ræf. in catecheses, ubi Baptismi Sacramentum per effectus defiiens dixit, esse *signaculum sanctum, & indelebile*, & S. August. ib. 2. c. 13. cont. Epist. Parmeniani, loquens de Baptismo, & Orline, dicit, Sacramenta illa non minus inhærere Apostatis, quam orporalem notam Imperatoris militibus fugitivis, ideoque illa ıon esse iteranda, dum Apostatæ redeunt ad Ecclesiam.

Docet autem S. Tho. in resp. ad 3. characterem illum manere tiam post hanc vitam, non solum in animabus Beatorum, sed tiam damnatorum, in illis quidem ad majorem ornatum, & splenorem, in istis vero ad majorem ignominiam, & confusionem.

3. Dicendum 3. tria tantum Sacramenta imprimere characterem, ıaptismum scilicet, Confirmationem, & Ordinem. Ita S. Doctor, & onstat ex Concil. Flor. in citato decr. Eug. & Trid. sess. 7. can. 9. & tiam ex praxi continua totius Ecclesiæ, quæ tria illa Sacramenta ierari non posse, alia vero quatuor iterari posse aperte demonstrat, ujus quidem discriminis alia sufficiens causa afferri non potest, ıisi quod tria illa imprimant characterem, reliqua vero non imrimant, ut fuse explicat Bellarminus lib. 2. de Sacram. c. 22.

Quærunt Theologi, quid sit proprie character ille Sacramẽtalis. Omissis variis super hac re Doctorũ sententiis, omniũ probabilissime oquuntur illi, qui juxta doctrinam S. Thom. quæst. 63. a. 2. & 3. asseunt, characterem illum esse qualitatem quandam spiritualem superaturalẽ, quæ tria præsertim efficit in anima, cui imprimitur. Primũ ıt, quod conferat quandam potestatẽ spiritualem ad ea peragenda, uæ ad cultum Divinum spectant: quæ quidẽ potestas est vel passiva, t in Baptismo, per cujus charactere redditur homo idoneus ad alia acramenta licite, & valide suscipienda, vel activa, ut in Ordine, & Confirmatione: per Ordinẽ enim efficitur homo idoneus ad Sacraıenta aliis ministranda; per Confirmationẽ vero ad Fidem profitenım. Secundum est, quod hominem Christo Domino configuret; a uo tanquã Summo Sacerdote derivatur omnis potestas spiritualis, ideo qui charactere aliquo Sacramentali insigniti sunt, Christo Domino similiores efficiuntur præ aliis, qui simili charactere non sũt

in-

insigniti. Tertium denique est, quod consignet hominem, eumque ab aliis secernat, qui ejusmodi characterem non receperunt, ita ut verbi gratia illi, qui charactere Sacerdotali præditi sunt, quovis in loco, vel statu reperiantur, per totam æternitatem ut tales agnosci possint, & ab aliis distingui, quæ omnia fusius explicata apud eundem Bellarminum cap. 19 videri possunt.

SECTIO VII.

Quis sit numerus, & quæ necessitas Sacramentorum novæ legis.

1. Certum est ex Fide, septē esse Sacramenta novæ legis, nec plura, nec pauciora, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium. Ita expresse definitum habetur in Concilio Florent. in decret. Eug. & in Conc. Trident. 7. sess. can. 1.

Plura nullus unquā Hæreticus agnovit, pauciora multi, præsertim recentiores, qui cum in eo solummodo inter se conveniant, quod veritati adversentur, circa ipsorum tamen Sacramentorum numerum maxime ab invicem discrepant, & distrahuntur in varios, & multiplices errores. Alii siquidem unum tantummodo Sacramentum esse contendunt, alii duo, alii tria recipiunt. Nec tamen eodem modo. Quidam enim Baptismum, Eucharistiam, & Pœnitentiam inter Sacramenta solummodo numerant, alii Pœnitentiæ loco Matrimonium, alii Ordinationem substituunt. Quæ omnia fusius apud Bellarminum lib. 2. de Sacram. c. 23. explicata reperiuntur. Verum falsitas istorum dogmatum hæreticorum, & nostræ Fidei veritas constat ex supra dictorum Conciliorum, adeoque totius Ecclesiæ auctoritate, quæ hunc septenarium Sacramentorum numerum definivit, errores; omnes oppositos proscripsit, & plenius adhuc constabit ex iis, quæ dicenda sunt, cum de unoquoque Sacramento in particulari agetur.

2. Quod spectat ad necessitatem Sacramentorū novæ legis, certū est absolute loquendo, illorum institutionem ad salutem hominum non fuisse necessariam, cum Deus sine ullis Sacramentis, sive in statu naturæ lapsæ, sive in quocunque alio, potuerit per alia media homines ad salutem consequendam efficaciter juvare. At vero supposita institutione Sacramentorum in statu naturæ lapsæ divinitus facta, dicendum est, quædam Sacramenta necessaria esse necessitate medii, quædam solummodo necessitate præcepti, in aliquibus neutram reperiri necessitatem, in aliis utramque.

In primis enim Baptismi Sacramentum respectu infantiū sola necessitate medii necessarium est, cum nullum aliud ad salutem consequendam medium ipsis suppetat. Idem etiam Baptismi, sicut & Pœnitentiæ Sacramentum in re, vel in voto susceptum, necessitate tum medii,

medii, tum præcepti necessarium est respectu adultorum, qui vel peccatum originale contraxerunt, vel post illud in Baptismo remissum, mortale aliquod actuale peccatum commiserunt.

Eucharistia quoad realem susceptionem solius præcepti necessitate necessaria est. Ordo, & Matrimonium, quamvis ad bonum commune totius Ecclesiæ maxime requirantur, ad salutem tamen uniuscujusque Fidelium nullam, neque medii, neque præcepti, necessitatem inferunt.

Quomodo autem ista intelligi debeant, & quæ sit etiam Confirmationis, & Extremæ Unctionis necessitas, infra suis locis explicabitur.

SECTIO VIII.

Quis sit minister Sacramentorum novæ legis, & quæ in illo requirantur ad validam illorum administrationem.

1. Supponimus ex S Doctore quæst.64. art.3. Christum Dominum in Sacramentis dupliciter operari, 1. quatenus Deus est, per potestatem supremæ, & omnimodæ auctoritatis. 2. quatenus homo est, per potestatem ministerii principalis, ratione cujus Sacramenta ipsa instituit, & ad eorum effectus concurrit, tum ut causa moralis meritoria principalis, tum ut causa instrumentalis Divinitati per unionem hypostaticam conjuncta. Sicque primarius, & præcipuus cujusque Sacramenti minister est ipse Christus Dominus. Unde S Joannis c. 1. de illo dicitur, *Hic est, qui baptizat*. Hoc præsupposito

Dicendum 1. Christum Dominum alios sub se Sacramentorum suorum ministros instituisse, qui quidem secundum legem ordinariã debent esse homines viatores. Ita S Tho. art.7. Et constat ex variis Scripturæ testimoniis 1. Corint. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*. Ephes.4 *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, quosdam Pastores, & Doctores*. Heb.5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum*, &c. *qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant, quoniam & ipse circundatus est infirmitate*.

Diximus, *secundum legem ordinariam*. Fatemur enim cum S. Doctore supra, Angelos posse extraordinarie Sacramenta ministrare. Unde S. August. lib. 2. contra Parmenianum cap. 15. *Quod attinet*, inquit, *ad Baptismum, adest Deus, qui dat, sive per seipsum, sive per hominem, sive per Angelum*.

2. Dicendum 2. in Ministro, ad hoc ut valide Sacramentum aliquod administret, duo præsertim requiri.

Primum est sufficiens, & legitima potestas. Cum enim Sacramenta non nisi supernaturali modo agãt, nec valide cõfici possint, nisi juxta præscriptum Divinæ institutionis; hinc aperte constat, neminem ad illa conficienda esse idoneum, qui secundum rationem institutionis

cujus-

cujusque Sacramenti, sufficientem a Deo non acceperit potestatem.

Hæc autem potestas respectu Baptismi, secundum Divinā institutionem, in omnibus quibuscunque viatoribus, etiā Infidelibus, sufficiens reperitur: respectu Matrimonii, in omnibus Fidelibus baptizatis nullo impedimēto canonico obstrictis: respectu aliorum quinque Sacramentorum, in iis solummodo, qui Sacerdotali, aut Episcopali charactere sunt præditi. Quæ omnia suis locis fusius explicabuntur.

3. Secundum est intentio conficiendi Sacramentum, & ad ejus effectum cooperandi, vel saltem in genere faciendi id, quod Christus faciendum instituit, vel quod ipsa Ecclesia facit. Ita S. Thom. q. 64. art. 8. & expresse definitum habetur in Concil. Florent. in decret. Eug. & in Trident. sess. 7. can. 11. ubi anathema profertur in eum, qui dixerit, *in ministro, dum Sacramentum conficit, non requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.* Ratio peti debet ex institutione ipsius Christi, qui ministros Sacramentorum suorum humano, & rationabili modo ea conficere, & ministrare voluit. Unde & Apostolus vocat illos dispensatores, ut significet, considerate, & cum certa intentione illos operari debere, alias dissipatores dicendi essent.

4. Est autem observandum, intentionem illam triplicem esse posse, habitualem scilicet, actualem, & virtualem. Habitualis intentio nihil aliud est, quam propensio, & facilitas concipiendi aliquam actualem intentionem, quæ quidem propensio, & facilitas ex iterata sæpius Sacramentorum administratione oritur. Et hæc habitualis intentio est insufficiens ad Sacramentum valide conficiendum, ut docet Sotus, Gabrel, Richardus, & alii apud Suarez disp. 13. sect. 2. Estque communis Doctorum sententia, & in praxi tenenda.

Actualis intentio ea est, qua aliquis Sacramentum conficiens, actu, & de facto intendit conficere, seu facere, quod facit Ecclesia; estque optima, & ad Sacramenti validitatem sufficientissima; non tamen absolute necessaria, quia sufficere potest virtualis, ea scilicet, quæ cum paulo ante actu extiterit, nec revocata fuerit, ex illius vi minister actionem Sacramenti perficit: exempli gratia, cum quis ex intentione actuali celebrandi Missam, & conficiendi Sacramentū Eucharistiæ, sumit vestes sacras, & ad altare accedit. Quod si postea in ipso cōsecrationis actu ex humana fragilitate distrahatur, dummodo verba consecrationis super materiam aptam debite proferat, nec primam illam intentionem revocet, valide cōficit Sacramentum, quia id facere censetur vi actualis illius intentionis, quæ præcessit, & quæ causa extitit, cur sumpserit vestes sacras, ad altare accesserit, & alia egerit, cum quibus consecratio habet connexionem. Ita expresse S. Doct. art. 8. in resp. ad 3. ubi dicit, quod *si in ipso exercitio actus cogitatio ministri ad alia rapiatur, virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum,* cui subscribunt Sotus, Durandus, Paludanus, Gabriel, & alii communiter omnes apud eundem Suarez supra sect. 3.

Ob-

Observat autem recte Gammachæus ad qu.64. cap.5 non requiri in ministro necessitate absoluta explicitam, & formalem intentionem faciendi, quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia, sed sufficere quamcunque aliam æquivalentem, ex. gr. ut minister apud se velit hic, & nunc fungi officio suo, vel id facere, quod solent alii Sacerdotes, & quod aliquis ab illo petit, scilicet ut Sacramentaliter absolvat, &c. Omnia enim ista, & alia similia æquipollenter includunt intentionem Christi, & Ecclesiæ, ut per se liquet.

Dices, si Sacramentorum validitas pendet ab intentione ministri, inde consequens fore, ut nullus securo, & tranquillo animo esse possit, nec certo scire, utrum vere absolutionem Sacramentalem receperit, vel Baptismi Sacramento fuerit initiatus, cũ certo sciri non possit, an minister sufficientem intentionẽ habuerit. Respondetur, ad securitatem illam, & tranquillitatem animi sufficere debere, quod spectatis omnibus circunstantiis, nulla occurrat rationabilis causa dubitandi de Sacramenti suscepti validitate Imo recte monet Gammachæus supra, quod, sicut ex præcepto charitatis unusquisque judicia omnia temeraria, & suspiciones contra proximum, ac proinde contra quemcunque Sacramentorum ministrum abjicere debet, sic etiã dubitationes omnes, quæ de illius legitima, & sufficienti intentione suboriri possent, repudiare tenetur. Ubi etiam subjungit, probabilem esse Alexandri Alensis, Durandi, Gabrielis, & alior. Doctor. sententiam, qui existimant in eo casu, in quo ex malitia, vel ignorantia, aut inadvertentia ministri, intentio sufficiens in collatione Sacramenti alicujus non esset adhibita, Christum Dominum tanquam Summum Sacerdotem, & præcipuum, ac primarium ministrum, qui nusquam deest in necessariis, defectum illius Sacramenti suppleturum esse eo modo, qui infinitæ ejus in nos charitati magis congruit, quod etiam docet S. Th. art. 8. in resp. ad 2.

5. * Est autem hic observandum, privatum ministri errorem non obstare validitati Sacramenti, dummodo veram materiam adhibeat, & substantialem verborum formam debite proferat, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, ut supra explicatũ est, etiamsi error, in quo versatur, & cui pertinaciter adhæret, sit contra veritatem ipsius Sacramenti. Ita docet S. Aug. lib.4. de Baptismo contra Donatist. c. 15. & refertur c.48. dist.4. de cõsec. ubi sic loquitur, *Satis ostendimus, ad Baptismũ, qui verbis Evangelicis consecratur, non pertinere cujusq; vel dantis, vel accipientis errorẽ, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu Sancto aliter sentiat, quam cælestis doctrina insinuat.* Unde etiam Baptizati ab Arianis, qui in Fide circa mysteriũ SS. Trinitatis maxime errabant, cum ad Ecclesiam redibant, non rebaptizabantur, ut in Concilio Arelatensi primo, can.8. edicitur, *Si ad Ecclesiam aliqui de hæresi (Ariana) venerint, interrogent eos nostræ Fidei Sacerdotes Symbolũ, & si præviderint, in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto eos bapti-*

zatos, manus tantum eis imponant, ut accipiant Spiritum Sanctum.

Si tamen minister errorem suum contra veritatem Sacramenti in forma exprimeret, vel in intentione sua ita conciperet, ut nollet Sacramentum conficere, aut ministrare, nisi cum suppositione illius erroris, v.g. si Arianus nollet, Baptismum cum invocatione Patris, & Filii, & Spiritus Sancti valere, nisi supposito, quod Pater sit major Filio, aut quod Filius non sit illi consubstantialis, tunc Sacramentum irritum esset, ob defectum formæ, vel intentionis, ut ex antedictis manifestum est.

6. Quæres, utrum in ministro præter legitimã potestatem, & sufficientẽ intentionem, requiratur insuper Fides, & Gratia sanctificans.

Respondetur 1. neutram requiri ad Sacramenti validitatem, ut expresse definitum est in Conc. Trid. sess. 7. can. 12. de Sacramentis in genere. & can 4. de Baptismo, & olim definitum fuerat in Conc. Nic. I. can. 19. Carthag. I can. 1. & a Summis Pontificib. Leone Magno, Ep. 77. ad Nicetam, & Gregor. Magno lib. 9. registri Ep. 61.

Respondetur 2. ad hoc, ut Minister non modo valide, sed etiam licite Sacramentum conficiat, Fidem, & Gratiæ sanctificantis statum in eo requiri. Ita S. Doctor, & constat ex S. Dionysio cap. 1. de Eccles. Hierarch. ubi dicit, quod *Malis non est fas tangere Symbola*, id est Sacramenta, & ex S. Aug. lib. 2. cap. 10. contra Parmenianum, *Omnia Sacramenta, cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.*

Id ipsum confirmat S. Doctor ex sanctitate Christi Domini principalis Sacramentorum Ministri, cui in actione Sacramentali, sicut inferiores Ministri per cooperationem suam conjunguntur, sic & per sanctitatem conformari debent, juxta illud Levit. 19. *Sancti estote, quia ego sanctus sum.*

Ex dictis colliges, quotiescunque aliquod Sacramentum conficiendum est, illius Ministrũ ante omnia inspicere debere, an peccati alicujus mortalis sibi conscius sit, & si ita esse deprehendat, vel dubitet, illud prius Sacramentali confessione, si fieri possit, sin minus, saltem perfectæ contritionis actu expiare, alias grave sacrilegium committeret, si lethalis alicujus culpæ reus sacra illa Mysteria tractaret.

7. Excipitur tamen casus necessitatis urgentis, v. gr. Baptismum puero moribundo conferendi. Tunc enim quam primum illius saluti, omissis quibuscunque aliis, consulendum est; nec peccaret, qui Baptismum tunc, licet in peccato mortali, ministraret, si contritionis eliciendæ tempus non suppeteret, ut docet S. Th. q. 64. a. 6. ad 3. & post illum Lambertus ad qu. 64. disp. 14. art. 7. Ubi etiam addit, non esse peccatum mortale ex se, & ex genere suo, si quis in statu peccati mortalis Eucharistiam alteri sumendam porrigat: sicut nec si Parochus, vel alius Sacerdos ab eo delegatus in tali statu adsistat celebrationi Matrimonii, in illa siquidem actione

non

non ministri, sed testis honorarii personam sustinet, ut infra suo loco dicetur: nec etiam si Diaconus, vel Subdiaconus in statu peccati mortalis solemniter ministrent, quod etiam ante illum docuit Sotus, Valentia, Suarez, Henriquez, Vasquez. & alii apud Layman. cap. 5. de Sacram. Angelus tamen, Sylvester, Victoria, Navarrus, & alii apud eundem existimant, Diaconum, & Subdiaconum tunc mortaliter peccare. quod confirmari posse videtur ex eo, quod dixit S. Doctor in 4. dist. 5. q. 2. art. 2. quod *quicumque in peccato mortali existens exhibet se ministrum Ecclesiæ in quocumque spirituali, peccat*. Quamvis autem prior sententia sit maxime probabilis, in praxi tamen tutius est, ut ante quamlibet functionem solemnem cujuscunque Ordinis Sacri, minister, si noxæ alicujus lethalis conscius sibi sit, actum perfectæ contritionis semper præmittat.

8. Quæres utrum a malis ministris liceat Sacramenta recipere. Respondetur cum distinctione. Vel enim ministri illi sunt ii, quibus incumbit ex officio Sacramenta ministrare, ut Parochus, & Episcopus, aut ii, quibus id non ex officio, sed ex delegatione tantum incumbit. Rursus hi vel sunt expositi ad Sacramenta ministranda, ut quando Confessarius aliquis sedet in loco, ubi audire solet confessiones, vel non sunt expositi. Hac distinctione suppolita, dicimus 1. nullum Sacramentum, solo Baptismo excepto, licite recipi posse ab iis ministris, qui ab Ecclesia non tolerantur, quales sunt nominatim excommunicati, degradati, &c. Dicunt tamen aliqui, in articulo mortis absolutionem Sacramentalem licite recipi posse a Sacerdotibus etiam non toleratis. Ita Canus in relect. de Pœnit. part. 5. Azor instit. moral part. 1. l. 8. cap. 11. quæst. 12. & habetur in declaratione Cardinalium ex collect. Joann. Galemat. in cap. 7. sess. 14. Concil. Trident.

Dicimus 2. ab iis, quibus ex officio Sacramenta administrare incumbit, quamvis mali sint, quandiu tamen ab Ecclesia tolerantur, licitum esse etiam nulla urgente necessitate, Sacramenta petere, ac recipere. Neque enim subditus, qui tale jus habet, ob Superioris malitiam illud amittere censetur.

Dicimus 3. ab iis, quibus ex officio Sacramenta ministrare non incumbit, si sint expositi, & ab Ecclesia tolerentur, licitum esse Sacramenta recipere, & ipsos administrantes illa sibi solis nocere, ut habetur cap. *sciscitantibus*, 15. quæst. 8.

Dicimus 4. a malis ministris, qui nec expositi sunt, nec Sacramenta ex officio ministrare tenentur, non licere illa petere, si nulla urgeat necessitas. Nomine autem malorum ministrorum intelliguntur illi, qui notorie in peccato aliquo mortali existunt, v. gr. concubinarii publici. De peccatis enim occultis nemo judicare debet. Ratio hujus dicti est, quia hoc esset vere ad peccandum eos inducere. Videri potest Toletus lib. 1. cap. 92.

CAPUT II.

De Sacramento Baptismi.

SECTIO I.

Quid sit Baptismus, & quæ ejus necessitas.

1. BAptismi nomen, quod a græca voce Βαπτισμὸς derivatum est, significatque ablutionem, seu immersionem, ex Christi Domini instituto, ab Apostolis, & deinceps ab universa Ecclesia usurpatum est (ut declarat Catechismus Concil. Trident. part. 2. cap. 11.) ad significandum illud Sacramentum, in quo per exteriorem corporis ablutionem aqua naturali factam, sub præscripta verborum forma, confertur Gratia.

Docet autem S. Th. qu. 66. art 2. institutum fuisse hoc Sacramentum a Christo Domino eo tempore, quo a S. Joanne in Jordane baptizatus est, quod etiam docet S. Ambr. lib.2. in Luc. *Baptizatur*, inquit, *Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutæ per Christi carnem, quæ peccatũ nõ cognovit, Baptismatis jus haberent.*

Est autem hic obiter observandum, Baptismum illum a S. Joanne collatum, a Sacramento Baptismi longe diversum esse, ut expresse definitum est in Conc. Trid. sess. 7. can. 1. quod vel ex ipsius S. Joannis verbis satis liquet S. Matth. 3. *Ego baptizo vos in aqua in pænitentiã; qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto*, ubi manifestam exprimit differentiam inter suum, & Christi Baptismum, quod ipse in aqua solum, id est in cæremonia quadam externa ad pœnitentiam exterius disponente, Christus vero in Spiritu Sancto baptizaret, id est per exteriorem ablutionem, quam instituit, Spiritum Sanctum, seu Gratiam sanctificantem conferret. Huic veritati subscribunt unanimiter Sancti Patres, quos fuse refert Coccius tom. 2. Thesauri Catholic. lib. 5. de Baptismo art. 5.

2. Jam quod spectat ad ipsius Baptismi necessitatem, certum est ex Fide Sacramentum Baptismi omnibus cujuscunque ætatis, sexus, & conditionis hominibus, non tantum præcepti, sed etiam medii necessitate, necessarium esse.

Probatur 1. ex Christi Domini verbis S. Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*, quæ verba S. Ambrosius explicans lib. 2. de Ap. cap. ult. *Utique*, inquit, *nullum excepit, non infantem, non aliqua præventum necessitate*, &c.

Prob. 2. auctoritate Conciliorũ Carthag. & Milevit. apud S. Aug. Ep 90 & 92. in quibus proscriptus est error Pelagianorum, qui censebant, parvulos sine Baptismo salutem posse consequi, & Concilii Cõstantiensis, ubi denuo condemnatus est idem error a Vvicleffo re-

no-

novatus, & denique Trid. sess. 7 can. 5. de Bapt. ubi anathema profertur in eum, qui dixerit, Bapt. ad salutem necessarium non esse.

Probatur 1. ex S. Aug. lib. 3. de orig. animæ, c. 9. & lib. 1. de peccat. meritis, & remiss. cap. 18 ex S. Hieron. lib. 3. contra Pelag. & aliis SS. Patribus a Bellarmino fuse relatis lib. 1. de Bapt. cap. 4. ex quibus constat, Baptismum ita esse omnibus sive parvulis, sive adultis necessarium, ut sine illo nullus ab originali peccato mundari, æternamque salutem consequi possit.

Hæc est autem differentia inter parvulos, & adultos, quod illis ad salutem necessarius sit Baptismus re ipsa susceptus, his vero vel in re, vel in voto; quod expresse declaravit Conc. Trid. sess. 6. c. 4. ubi dicit, justificationem a peccatis *post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non posse*.

3. Per votum autem Baptismi intelligitur illius suscipiendi desiderium, & propositum, non nudum, aut simplex, sed Fidei, & perfectæ contritioni conjunctum; quia sine illis virtutibus nullus adultus extra Sacramentum justificari potest, ut constat ex iis, quæ in priori hujus Operis parte diximus. Quod confirmari potest ex eo, quod dixit S. Aug. l. 4. contra Donat. c. 22 *Fidem conversionemque cordis id, quod ex Baptismo deerit, posse supplere, si forte ad celebrandum Mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest*, quod ostendit exemplo Cornelii Centurionis ante realem Baptismi susceptionem justificati.

Neq; dicas superfluam fore postea realem Baptismi susceptionem. Ut enim idem S. Pater cap. 21. de eodem Cornelio dixerat (quod & de quolibet alio dici potest) *Si etiam Spiritu Sancto jam accepto baptizari noluisset, contempti tanti Sacramenti reus extitisset*.

Docet etiam S. Th. qu. 76. ar. 11. & 12. Martyrium pro Christo perpessum posse vicem Baptismi supplere, & ad salutem consequendam sufficere. Quod etiam constat ex eo, quod Christus Dom. dicit S. Matth. 16 *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*: ex quibus verbis S. Aug. asserit lib. 2. de orig. an. cap. 12. *Martyres, quibus contigerit ante pro Christi nomine occidi, quam Christi Baptismate dilui, exceptos esse ab hac sententia, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, &c. & lib. 3. de Symb. ad Catechumenos c. 4. dicit, sanctos Innocentes *Ab originali peccato fuisse dilutos*. Unde sequitur secundum ejus mentem (quod & plurimi Theologi asserunt) Martyrium singulari Dei dispensatione, non modo ex opere operantis, sed etiam ex opere operato Gratiam conferre.

Ex his facile est intelligere, quid S. Doct. art. 11. & cum eo communiter Theologi significare velint, cum triplicem Baptismum, fluminis, flaminis, & sanguinis distinguunt. Baptismus enim fluminis est Baptismus in re susceptus, Baptismus flaminis est Baptismus in voto, Baptismus denique sanguinis est Martyrium, quod morte pro Christo perpessa consummatum est.

SECTIO II.

Quæ sit materia Baptismi.

1. Dicendum 1. aquam naturalem esse remotam Baptismi materiam Id constat ex his Christi Dom. verbis S. Jo.3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. quæ de Sacramento Baptismi per aquam naturalem conferendo intelligenda esse declaravit Conc. Trid. sess. 7. can. 2. de Bapt. ubi & aquam naturalem materiã Baptismi esse definivit; quod & in Conc. Florent. in decret. Eug. & in Conc. Later. cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, antea definitum fuerat. Nomine autem aquæ naturalis intelligitur illa, quæ est elementaris, & simplex, sive sit ex mari, sive ex flumine, aut fonte, aut palude, aut etiam ex pluvia, ut docet S. Th. qu. *66.* art. 3. & 4. In quo singularis prorsus elucet Divinæ in homines misericordiæ benignitas, quod ad Sacramentum tantæ necessitatis, & utilitatis conficiendum, ut observat Catech. Trid. p. 2. cap. 2. materiam illam delegit, quæ semper præsto est, atque ab omnibus ubique facile parari potest.

Hinc colliges, aquas omnes artificiales, & alios humores mixtos, v g. aquam, quæ ex rosis, aut aliis floribus, vel herbis elicitur, item quæ ex sale resolvitur, lacrymas etiam, salivam, & similes liquores, qui ab aqua naturali specie differunt, non esse idoneam, & sufficientem Baptismi materiam: e contra vero Baptismum valide confici posse ex quacunque aqua naturali, quamvis accidentaliter immutata, dummodo veram aquæ naturalis formam, secundum communem hominum æstimationem retineat; nihilque proinde ad hujus Sacramenti validitatem conferre, si aqua calida sit, aut frigida, pura, vel impura, vel ex glacie, nive, grandine expressa, aut aliquo liquore alieno in modica quantitate permixta. Omni enim ejusmodi aqua, communis est Theologorum sensus, & expressa S. Thomæ doctrina art. 4. posse Baptismi Sacramentum valide confici. Valide, inquam; nam ut licite administretur, aqua pura, quantum fieri poterit, adhibenda est.

2. Dicendum 2 materiam proximam Baptismi esse ablutionem ex aqua naturali, ut constat ex illis Christi Domini verbis S. Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. & ex communi doctrina, & praxi totius Ecclesiæ. Cum enim aqua sit materia remota Baptismi, oportet materiam ejusdem proximam in applicatione ipsius materiæ remotæ, quæ per ablutionem fit, consistere, ut constat ex dictis capite præcedenti. Unde S. Doctor qu. *66.* art. 1. ad 3. dicit, fieri Sacramentum, non in ipso elemento, sed in homine, cui adhibetur elementum per usum ablutionis.

Quæres 1. qualis ablutio ad Baptismum requiratur. Respondetur, quod, quamvis olim Baptismus ut plurimum fieret per immersionẽ, cer-

certum est tamen, per effusionem quoque, aut aspersionem aquæ valide conferri posse, ut docet S. Thom. art. 7. & usus communis Ecclesiæ declarat, qui & ab ipsis Apostolis incepit, Act. 2. & 4. Ubi dicuntur uno die tria hominum millia baptizasse, quod non nisi per aspersionem factum fuisse probat Isamber. ad cit qu. disp. 2. a. 1.

Cæterum nihil ad validitatem Sacramenti refert, utrum unica, vel trina ablutio, aut immersio fiat, ut observat Catech. Rom. & olim declaravit S. Greg. lib. 2. Epist. 41. ad Leandrum. Retinendus est tamen usus, qui in unaquaque Ecclesia particulari receptus est, sicut monet idem Catechismus p. 2. cap 2.

3. Quæres 2. quanta ablutio sit ad Baptismum necessaria. Respondetur, tantam requiri, quæ secundum communem loquendi morem vere ablutio dici possit, ad quod unica gutta sufficere non censetur, sed ea quantitate aquæ opus est, ut is, qui baptizatur, vere dicatur ablui. Ita docent Sotus, Suarez, & alii apud Layman. c. 3. de Baptismo. Observat tamen Isambertus ad Baptismi validitatem sufficere posse guttas aliquot, quæ corpus cum aliqua sui divisione, & partium successione abluant; quod ad scrupulos tantum amovendos hic adnotamus, non vero ut ex aliquo humano respectu Sacramenti hujus Minister in illius collatione aliquot tantum guttas adhibeat, ne v. g. infantuli alicujus nobilis corpus ex aquæ frigore tantillum lædatur, cum in Sacramento tantæ necessitatis ea semper aquæ quantitas adhibenda sit, quæ ad ejus validitatem citra quodcunque dubium sufficere possit.

4. Quæres 3. quænam corporis pars ablui debeat, ut validus sit Baptismus. Respondetur, Baptismum haud dubie validum fore, si caput hominis abluatur, quod docet S. Tom. q. 65. art. 11. ad 4. & Ecclesiæ præcepto faciendum esse, constat ex cap. *Postquam vos*, de consecrat. dist. 4. & ex Catech Rom. p. 2. cap. 2. Validum quoque fore existimant Sotus, Suarez, & alii apud Laymannum citat. c. 3. & etiam Isambertus ad quæst. 66. disp. 3. art. ult. si scapulæ, pectus, aut alia ejusmodi notabilis pars abluatur.

Cæterum si alia pars minus notabilis, ver. gr. manus, pes, &c. tantummodo ablueretur, ut si infans in egressu ex utero materno manum, vel pedem proferret, tunc si immineat aliquod vitæ periculum, baptizandus quidem esset, sed cum dissentiant inter se Doct. utrum valeat ejusmodi Baptismus, docet S. Thom. loc. cit. & post illum Alexander Alensis p. 4. quæst. 17. memb. 1. & alii communiter, remoto postea infantis periculo, Baptismum esse sub conditione repetendum. Addit Layman. supra, sentiendum idem esse, si infans pelle adhuc illa, quam vocant secundinam, circundatus propter periculum baptizetur, cum a quibusdam dubitetur, an sit pars infantis; quod etiam similiter dici debet, si soli capilli aqua perfunderentur. Quamvis enim Sotus, Henriquez, Toletus, Vasquez, & alii apud

eundem Layman, supra existiment, ad Baptismi validitatem id sufficere; quia tamen id certum non est, & alii Doctores contrarium sentiunt, idcirco tutius est in re tanti momenti Baptismum sub conditione repetere, cum nunquam satis tuto æternæ animarum saluti, quæ ex hoc Sacramento pendet, consuli possit.

SECTIO III.

Quæ sit forma Baptismi.

1. Baptismi forma hæc est, *Ego te baptizo in nõ:ne Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Quod constat ex Conciliis Lateranensi c. *firmiter* de summa Trinit. Florentino in decreto Eugen. & Tridentino sess. 7. can. 4. de Baptismo; additurque in Romano Catechismo parte 2. cap. 2. formam illam a Christo Domino Apostolis, ac toti Ecclesiæ traditam fuisse Matth. 28. his verbis; *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

In qua quidem forma exprimi debet primo actio ipsius ministri, ut docet S. Thom. qu. 66. art. 5. Unde Alexander III. cap. 1. de Baptismo. & ejus effectu dicit, quod, *Si quis puerum ter in aquam immerserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & non dixerit, Ego te baptizo, non est puer Baptizatus.* Et in decreto sæpius citato Eugenii post relatam formam, qua Græci in Baptismi collatione utuntur, quæ est ejusmodi, *Baptizetur, vel Baptizatur servus Christi N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, dicitur, Baptismum sub tali forma collatum esse validũ, quoniam in illa *exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum invocatione Sanctæ Trinitatis.*

Exprimi 2. debet persona baptizanda, ut significat idem S. Doctor supra, & constat tum ex citato cap. *si quis*, tum ex præfato Catechismo Romano, & etiam ex ipso usu, & praxi totius Ecclesiæ, quæ in forma Baptismi personam baptizandam semper exprimere solet, tum denique, ut ostendatur inter baptizantem, & baptizatum esse debere distinctionem, aliumque esse, qui baptizatur, & alium, qui baptizat, ut habetur cap. *Debitum* extra de Bapt. & ejus effectu, proindeque neminem posse se ipsum baptizare.

Exprimi 3. debet unitas Divinitatis, ut asserit S. Doctor supra, in resp. ad 6. Unde S. Hieronymus super cap. 4. ad Ephes. *Non baptizamus*, inquit, *in nomine Patris*, &c. *sed in uno nomine, quo Deus*, &c. & S. Augustinus lib. 3 contra Max. Ar. cap. 32. dicit, conferri Baptismum *in nomine, non in nominibus, quia hi tres unum sunt.*

2. Exprimi denique debet explicita, & distincta prolatio, & invocatio trium Personarum sãctissimæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut docet S. Thom. Et constat tum ex citatis Christi Domini verbis, *Baptizãtes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sãcti*, tum ex Conc. Lateranensi cap. *firmiter*, tum ex epistola Zachariæ

ad

ad Bonifacium Episcopũ, quæ refertur c. *in Synodo* de cõsecr. dist. 4. ubi dicitur, quod *si lotus in fonte Baptismatis quis fuerit, sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus nõ est, nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatus*. Quod similiter ante illũ docuerant S. Cypr. Ep. 63. ad Jubajanum, Sanctus Leo Epist. 4. Sanctus Augustinus loco proxime citato contra Maximinum, & plures alii.

Observat autem S. Doctor art. 5. ad 7. expressam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti mentionem, & invocationem in forma Baptismi esse ita necessariam, ut, si quis alias voces quamvis idem significantes adhiberet, ut si diceret, in nomine Genitoris, & Geniti, & ab utroque Procedentis, Baptismum tamen minime perficeret; quod etiã post illum docent plures alii, quos citat Suarez disp. 21. sect. 4.

3. Dices Act. 8. referri, quod in nomine Christi baptizabãtur viri, ac mulieres, non ergo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Respondetur 1. probabile esse, quod docet S. Th. art. 6. ad 1. Apostolos id ex speciali revelatione, & dispensatione initio nascentis Ecclesiæ aliquando fecisse, ut nomen Christi, quod erat odiosum Judæis, atque Gentilibus, honorabile redderetur.

Respondetur 2. probabilius adhuc videri, Apostolos nunquam in solius Christi nomine baptizasse, cum nullus antiquorum Patrum (ut observat Vasquez disp. 143. cap. 2.) qui Apostolis, aut eorum Discipulis contemporanei fuerunt, illius revelationis, aut dispensationis mentionem fecerit. Imo S. Clemens lib. 2. Constit. Apost. cap. 23. S. Dionysius cap. 3. Eccles. Hierarch. S. Justinus apolog. 2. pro forma Baptismi trium Personarum Sanctissimæ Trinitatis expressionem Divino præcepto servandam esse declarant: quod etiam in can. 48. & 49. Apostolorum præscribitur.

Quare quod dicitur, Apostolos baptizasse in nomine Christi, intelligendum est, baptizasse auctoritate, ac potestate ipsius Christi, quo sensu de credentibus in se dixit idem Christus, *In nomine meo Dæmonia ejicient*. Matth. cap. ult. vel baptizasse in nomine Christi, quia baptizantes exprimebant nomen Filii simul cum nomine Patris, & Spiritus Sancti, ut intelligit S. Cyprian. Epist. 73. ubi explicans S. Petri verba Actor. 2 *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu*, sic ait, *Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur*.

SECTIO IV.

Quis possit Baptismum conferre.

1. Dicendum 1. quemlibet hominem viatorem, sive virum, sive mulierem, sive Fidelem, sive Infidelem posse valide Baptismum conferre. Id constat ex Conc. Lateranensi, & Florentino sect. præced. citatis, & etiam ex cap. *Ad limina*, 30 q. 1. & cap. *Romanus*,

de

de consecrat. dist. 4. Idque ita institutum a Christo Domino fuisse, docet S. Th. q. 67. art. 3. ut Sacramentum ad salutem necessarium a quocunque homine in casu necessitatis valide conferri posset.

2. Dicendum 2. quemlibet hominem non modo valide, sed etiam licite Baptismũ absque solemnitate (in solo tamen casu necessitatis) conferre posse. Id constat tum ex Conciliis, & canonibus sup. cit. tum ex antiquis Patribus, qui id expresse docẽt, ut Tertullianus lib. de Baptismo c. 16 ubi dicit, in casu necessitatis *Laicis esse jus baptizandi*, quod etiã docet S. Hierõ. dialog contra Luciferianos paulo ante medium idque affirmat suo tempore ubique receptum, & usitatum fuisse. Diximus, *absque solemnitate*, id est absq; cæremoniis illis, quæ in collatione Baptismi ex Ecclesiæ præcepto adhibentur. Nã si Laicus cæremonias illas usurparet, peccaret mortaliter, fieretq; irregularis, ut habetur cap. *si quis*, extra, *de non ordinato ministrante*.

Observat autem S. Doctor quæst 67. art. 4. & post illum Paludanus, Sotus, Sylvester, Navarrus, & alii apud Laymannum cap. 7. de Baptis. in casu necessitatis hunc ordinem esse servandum, ut præsente proprio Pastore non baptizet Diaconus, præsente item Diacono non baptizet Clericus inferior, aut Laicus, imo etiam præsente Clerico non esse conveniens Laicum baptizare, sicut nec præsente viro mulierem; additque idem Auctor, fore peccatum mortale, si præsente Sacerdote Laicus, aut inferior Clericus baptizare præsumeret. veniale vero solummodo, si inter alios Clericos inferiores, & Laicos, vel inter virum, ac mulierem præfatus ordo inverteretur: imo nullam fore culpam, si ordinis illius invertendi causa alia subsit, ut quia obstetrix melius, & certius novit modum baptizandi, vel quia virum non decet accedere ad baptizandum puerum nondum omino ex utero matris editum.

3. Dicendum 3. Episcopum in Diœcesi, Presbyterum Curatum in Parœcia sua, esse ordinarium Baptismi Ministrum. De Episcopo aperte constat, cum sit in Diœcesi sua primus, & ordinarius Pastor. Unde Tertull. lib. de Bapt. *Dandi Baptismum*, inquit, *habet jus Summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri*, &c.

De Sacerdote Curato etiam similiter constat ex usu, & praxi totius Ecclesiæ, & ex Rituali Romano tit. de Bapt. ubi dicitur, quod *Legitimus Baptismi minister est Parochus, vel alius Sacerdos a Parocho, vel ab Ordinario loci delegatus*. Unde etiam, ut observat Joan. Filsacus Opusc. de Parœc. & Parœc. orig. cap. 7.) Ecclesiæ Parœciales olim vocabantur *Ecclesiæ Baptismales*.

4. Id præterea confirmat Isambertus ad q 67 disp. 1. a. 5 ex eo, quod actus baptizãdi solemniter (ut ibidẽ probat) sit actus Pastoris Ordinarii proprius. Ubi etiam addit. Parochũ, præsente Episcopo suo, citra illius consensũ, quẽ honoris & reverẽtiæ causa postulare debet, licite baptizare nõ posse, quod colligit ex Ep. 80. S. Leonis ad Episc. Galliæ.

Di-

Dicendum 4. quemlibet alium Sacerdotem, qui nec Episcopus est, nec Parochus, non nisi in ejus absentia, vel ex illius delegatione, seu licentia Sacramentum Baptismi posse licite administrare. Ita S. Th. quæst. 67. a.4. ad 2. cui subscribunt Suarez disp.3. Sect. 4. Vasquez, Valentia, Henriquez, & alii apud Laymannum c. 7. de Bapt. Unde sequitur, Sacerdotem illum peccaturum mortaliter, qui absque proprii Sacerdotis licentia expressa, aut saltem rationabiliter præsumpta, solemniter baptizaret, quod etiam docet Gammachæus ad citatam quæst. 67. c. 1. & Isambertus ad eandem qu. disp. 1. art. 5.

Est autem observandum, non modo Sacerdotes, sed etiã Diaconos ex Episcopi, vel Parochi commissione posse solemniter baptizare, ut Doctores supra citati asserunt cum hac tamen differentia, quod Sacerdoti tanquam legitimo ministro committi possit pro libito proprii Sacerdotis, Diacono vero non nisi urgente aliqua necessitate, & præterea Diaconus absque Ordinarii licentia solemniter baptizans non modo peccet mortaliter, sed etiam fiat irregularis, ut habetur c. *Si quis*, extra. de *non ordinato ministrante*, Sacerdos vero idem faciens peccet quidem, sed nullam irregularitatem contrahat.

SECTIO V.

Quis Baptismũ suscipere possit, & quæ dispositiones ad id requirantur.

1. Certum est, quemlibet hominem in statu viæ capacem esse Baptismi percipiendi, cum Christus Dominus dixerit S. Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. Et de adultis quidem nulla est difficultas, cum sicut ad doctrinam Evangelicam audiendam, sic etiam ad percipiendum Baptismum sint idonei. De infantibus vero rationis usum nondum assecutis negant hujus temporis Anabaptistæ, qui (ut refert Bellarminus lib. 1. de bapt. cap. 8.) contendunt, non nisi adultis conferendum esse Baptismum, ideoque infantes jam baptizatos, cum ad ætatem adultam pervenerunt, iterum rebaptizant. Unde & Anabaptistarum nomen fortiti sunt. Contra quos Fides Catholica docet, parvulos etiam nondum rationis usum assecutos, sive a parentibus Catholicis, sive ab Hæreticis, aut Infidelibus prognati sint, Baptismi suscipiendi esse capaces.

Probatur hæc veritas, & error oppositus refellitur, tũ ex his Christi Domini verbis, *Mat. 19. Sinite, parvulos venire ad me, talium est enim Regnum cælorum*, tum ex Conc. Milevitano can. 2. ubi hæc habentur, *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, anathema sit*, tum etiam ex Concil. Viennensi sub Clement. V. Clementina I. de sum. Trinit. & Fide Cathol. & Concil. Trid. sess. 5. can. 4. ubi eadem veritas definita est, denique ex S. August. qui lib. 10. de Gen. ad liter. cap. 23. dicit, hanc baptizandorum

puerorum in Ecclesia consuetudinem esse traditionem Apostolicā.

2. Cum igitur hoc certum sit ex Fide, quæritur, an infantes illi sint invitis parentibus baptizandi.

Respondetur 1. infantes Infidelium nondum rationis usum assecutos, invitis eorū parentibus, non esse baptizandos, si sub illorum cura, & potestate remaneant, aut periculum sit, ne ad eorum curam, & & potestatē redeant, aut ab illis pervertantur; si autem ab illorū cura, & potestate ita abstrahi possint, ita ut nullū sit periculum, ne ad illos redeant, aut ab illis pervertantur, tunc licere infantes illos, etiam invitis parentibus, baptizare; quod similiter licitum est in præsenti periculo mortis ipsorum infantium, imo etiam invitis eorum parentibus fieri debet. Quæ omnia fuse explicat, & probat Gregorius a Valentia disp. 4 qu. de Bapt. p. 3.

Respondetur 2. licitum esse invitis parentibus Hæreticis filios illorum secundum ritum Ecclesiæ baptizare. Ita habetur *in c. Judæi* dist. 45. Cum enim Hæretici utpote & ipsi baptizati, Ecclesiæ sint subditi, juste ab illa compelli possunt, ut filios suos Baptismi Sacramento secundum ritum Catholicum initiandos, & in vera Fide, ac Religione instruendos deferant, &, si præstare id recusant, etiam invitis illis id fieri potest.

Jam quod spectat ad dispositiones in suscipientibus Baptismū nenecessarias de adultis solū quæstio intelligenda est. In parvulis enim Fidem, intentionem, aut aliam similem dispositionem requirere aliud non est (ut dicit S. Aug. Epist. 57. ad Dard) quam ipsis sensibus, & evidentissimæ veritati velle contradicere.

3. Prima igitur dispositio ad Baptismū in adulto requisita est ejus consensus. Ita S. Doct. q. 68. art. 7. & constat ex cap. *Majores* extra de Baptismo, & ejus effectu, dist. 4. & cap. *ægrotantes*, de consecrat. dist. 4. & etiam ex ipso usu, & praxi Ecclesiæ, quæ ante ipsius Baptismi collationem interrogat baptizandum, utrū velit baptizari. Non requiritur autem consensus actualis expressus, sed sufficit virtualis, aut interpretativus, seu ut adultus actualem suscipiendi Baptismi aliquādo habuerit voluntatem, eamque minime retractaverit.

Secunda dispositio ad suscipiendum Baptismū necessaria est Fides, sufficiensque Doctrinæ Catholicæ notitia. Id constat tū ex Script. S. Marc ul. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Et Act. 8. Eunucho Baptismum postulanti S. Philippus respondit, *Si credis ex toto corde, licet.* Unde Ecclesia baptizandum super præcipuis Fidei nostræ articulis interrogat, illiusque publicam professionem ab eo exigit.

Tertia dispositio est dolor de peccatis cū proposito servandæ legis Divinæ. Id etiam constat ex his S. Petri verbis Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*: & Conc. Trid. sess. 6. c. 6.

Qualis vero esse debeat ille dolor & ex quo motivo elicitus, quale item servandæ legis propositum, plenius constabit ex iis, quæ dicētur infra

infra cap. 5. de Sacramento Pœnitentiæ. Ut enim docet, & probat Isambertus ad qu. 68. disp. 6. art. 4. dolor, qui ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficit, ad Sacramentũ etiam Baptismi sufficiens esse censetur.

Porro, cum hæ tres dispositiones ad Baptismum fructuose recipiẽdum in adulto requirantur, ad illius tamen validitatem solummodo prima necessaria est, ut constat ex cap *Majores*, & cap. *de Judæis* dist. 54. & ex S. August. lib. 2. cont. Petilian. c 35. & lib. de Catechiz. rud. cap. 7. Unde, quando quis serio vult Baptismum percipere, quãvis neque Fidẽ, neque de peccatis dolorem habeat, vere ipsius Baptismi characterem recipit, non tamen Gratiam sanctificantem, neque alios effectus, qui ab ipsa pendent, de quibus agetur Sect. seq.

4. Quæres 1. utrũ infans in utero materno baptizari possit. Respõdet S. Doctor ib a. 11. non posse, cũ ejus corpus in eo statu aqua tingi, & ablui non possit. Proindeque (ut ibidem docet) ad Baptismum conferendum expectanda est totalis egressio pueri ex utero. Si tamẽ periculum aliquod immineat, caputque primo egrediatur, in eo baptizari debet, nec est postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci cõtigerit. Quod si manum, vel pedem, aut aliam similem partem exerat, in illa similiter, periculo imminente, debet baptizari. Quia tamen incertum est, an ejusmodi Baptismus validus sit, erit postea sub conditione iterum baptizandus.

5. Quæres 2. utrum mõstra baptizari debeant. Respondetur, monstra illa, de quibus dubitatur, utrum animam rationalem habeant, si nihil certi dignosci possit, immineatq; mortis periculum, sub hac conditione baptizari debere, *Si tu es capax Baptismi, ego te Baptizo*, &c. Si vero nullum sit in mora periculum, consuli poterunt Medici, & alii experti; imo tutius erit rem ad Episcopum deferre, ordinemque ab illo præscriptum sequi, ut declaratur in Rituali Romano, titulo de Baptismo.

Quod si monstrum tale sit, de quo dubitetur, an sit unus homo, vel plures, baptizari non debet, donec id discernatur. Discerni autẽ poterit, si unum, vel plura capita, & unum, vel plura pectora in eo sint; tunc enim totidem erunt corda, & animæ, hominesque distincti. Et in eo casu seorsum singuli erunt baptizandi. Si vero distinctio illa personarum non possit certo deprehendi, ut si duo quidem capita, non vero duo pectora habeat; tũc in uno absolute baptizari debet, in altero sub conditione, ut in eodem Rituali præscribitur.

Quæres 3. an adulti amentes sint baptizandi. Respondetur cũ distinctione. Vel n. fuerunt perpetuo amentes: nec speratur, eos rationis cõpotes aliquando futuros esse, & talibus Baptismus cõferri debet, sicut & aliis infantibus; vel aliquando usum rationis habuerunt, & postea in amentiam lapsi sunt, & si quidẽ constet, illos, dum mentis compotes essent, Baptismum petiisse, aut exoptasse, nec voluntatem illam mutasse, Baptismus illis erit conferendus; si vero id non

con-

constet, a Baptismi administratione abstinendum est. Ita habetur in Catechismo Trid. part. 2. cap 2.

Dices, videri tutius esse illos baptizare, cum in illis interpretativa Baptismi suscipiendi voluntas præsumi possit, idest illos esse ita dispositos, ut, si statum suum agnoscerent, & Baptismi necessitatem scirent, haud dubie illum suscipere vellent.

Respondetur, voluntatem illam interpretativam ad Baptismum minime sufficere, ut docet, & probat Isambertus ad citatam q.68. dis. 6. art. 2. Additque art. 3. quod, si quis Baptismum adulto conferret, in quo dispositiones ad Baptismum necessario requisitas non deprehenderet, peccati mortalis reatum incurreret.

SECTIO VI.

Quinam sint effectus Baptismi.

1. QUinq; sunt præcipui hujus Sacrameti effectus. Primus est remissio quoad culpam peccati originalis, & peccatorum omniũ actualium si quæ ante Baptismi susceptionẽ commissa sunt Ita S. Doctor. qu. 66. art. 1. & expresse definitum habetur in Concil. Flor. in decret. Eug. & in Trid. sess. 5. can. 5. Et longe antea in Concil. Carthag. IV. can. 1. inter præcipua Fidei dogmata, quæ Episcopus cõsecrandus profiteri debeat, reponitur illud de remissione peccatorum per Baptismum. Et S. Greg. Epist. 39. Infideles illos vocat, *Qui dicunt, peccata in Baptismate non vere, sed superficie tenus dimitti.*

Secundus effectus est remissio totius pœnæ peccatis debitæ. Ita S. Doctor art. 2. & constat ex eodem Eugenii decreto, & ex Concil. Tri. sess. 6. cap. 14. ubi dicitur in Sacramento Pœnitentiæ temporalẽ pœnam non totam semper, *ut in Baptismo fit*, dimitti.

Id etiam confirmari potest ex universali Ecclesiæ praxi; quæ nulla unquam satisfactionis opera imponere solet baptizatis, sicut imponit sacramentaliter confessis. Imo Catechismus Rom. supra docet, *Id sine maxima Sacramenti injuria fieri non posse.*

2. Tertius effectus est Gratia sanctificans simul cũ donis & virtutibus infusis, quæ illã comitantur. *Hujus siquidem Sacramenti virtute* (ut loquitur Catech. Rom. supra) *non solũ a malis, quæ vere mala dicenda sunt, liberamur, verum etiam eximiis donis, & muneribus augemur. Animus enim noster Divina gratia repletur, qua justi, & filii Dei effecti æternæ quoque salutis hæredes instituimur, &c. Est autẽ Gratia, non solum per quã peccatorũ fit remissio, sed Divina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quidam, & lux quæ animas nostras pulchriores, & splendidiores reddit. Huic vero Gratiæ additur nobilissimus virtutũ comitatus, quæ in animam cum Gratia divinitus infunduntur.*

Quartus est ipsa Gratia Sacramentalis Baptismi, quæ quidẽ (ut docet idẽ Catechismus) procedit ex arctissima illa unione, qua per Baptis-

ptismum Christo Domino baptizati tanquam capiti suo membra copulantur, & connectuntur, quæque illos speciali modo ad servandam Divinam legem, Sacramenta digne suscipienda, aliaque Religionis, & pietatis officia debite exequenda habiles reddit.

Quintus denique est character, qui per Baptismum indelebiliter animæ imprimitur, ut definitum est in Conc. Trid. sess. 7 can 9. Unde (ut ibidem declarat) hoc Sacramentum iterari non potest.

Ex his, & aliis Baptismi effectibus, quos S. Doctor quæst. 69. & alii SS. Patres passim enumerant, colligi potest, quanta sit hujus Sacramenti excellentia, & dignitas, quanta etiam ejusdem utilitas; & necessitas, ac proinde quam justa ratione præceperit Ecclesia in Rituali Rom. tit. de Baptis. ut parvuli recenter nati quam primum ad Ecclesiam Baptismi suscipiendi causa deferantur, & quam graviter peccent parentes qui ob inanes causas, & vanos quosdam respectus plures dies hujus Sacramenti subsidio infantes privant, eosque beatitudinis æternæ amittendæ periculo exponunt.

3. Est autem observandum, quod, quamvis adultus, qui ficte Baptismum recipit, id est sine Fide, aut sine ullo dolore de peccatis, characterem quidem illius, non vero gratiam recipiat; si tamen postea fictionem illam per pœnitentiam removeat, tunc Baptismus omnem effectum suum consequetur, ut docet S. Tho. art. 9. & 10 & ante illum docuit S. Cyprianus serm. de Pass. Dom. paulo ante fine, & Sanctus August. lib. de Bapt. cont. Donat. cap. 12.

Quærunt hic Theologi, an Circumcisio, quæ olim apud populum Judaicum divinitus instituta fuerat, peccatorum remissionem, & Gratiam sanctificantem ex opere operato contulerit.

Respondetur negative cum Sancto Doctore quæst. 70. art. 4. Et constat ex Concil. Florentino in decreto Eugenii, ubi dicitur, *Sacramenta legis antiquæ non causasse Gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam figurasse*.

Quamvis autem per Circuncisionem non conferretur ex opere operato Gratia, & remissio peccatorum, conferebatur tamen ex opere operantium, in adultis quidem per actum perfectæ contritionis, quo solo justificari posse peccatores extra Sacramenta novæ legis supponimus ex dicendis infra c. 5. in parvulis autem per applicationem Fidei parentum, vel aliorum, cujus quidem Fidei signum erat Circuncisio, idque in virtute futuræ Passionis ipsius Christi Domini. At vero ante institutionem Circumcisionis docet idem S. Tho. in resp. ad 2. *Probabile esse, quod Parentes Fideles pro parvulis natis, & maxime in periculo existentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum Fidei) sicut adulti pro se ipsis preces, & Sacrificia offerebant*, qua ratione speciali Dei misericordia virtus Passionis Christi ipsis parvulis applicabatur, sicque a peccato originali emundabantur. Quod & simi-

similiter post Circumcisionem institutam, & de fœminis, quæ illius capaces non erant, & de maribus ante octavum diem (quo tantum eos circuncidere licitum erat) decedentibus dici debet.

SECTIO VII.

Quænam sint cæremoniæ in collatione Baptismi servandæ.

1. CErtum est, ceremonias quasdam religiosas ab Ecclesia in solemni Sacramentorum administratione ad majorē Christiani populi devotionem excitandam, salva illorum substantia, institui potuisse, & de facto pie, ac sancte institutas esse, proindeq; sine peccato contemni, aut ab ipsorum Sacramentorum ministris omitti pro libito non posse, ut expresse definitum est in Conc. Trid. sess. 7. can. 13.

Quod igitur spectat ad ipsius Baptismi cæremonias, docet Catechismus Romanus, eas ad tria capita revocari posse. Quædam enim Baptismi collationem antecedunt, quædam comitantur, quædam subsequuntur. Præcipuas hic eo ordine, quo ab Ecclesia adhibentur, discutiemus.

Ac in primis ante Baptismi collationē aqua præparari debet, qua sola in illius administratione uti licitū est. Consecratur autē Baptismalis fons variis precibus, & exorcismis ab Ecclesia institutis, addito Catechumenorum oleo, & sacro Chrismate juxta priscū Ecclesiæ morē, cujus testis est S. Cypr. Ep. 70. & S. Basilius lib. de Spiritu Sācto c. 27. quam benedictionem, seu consecrationem aquæ baptismalis in vigiliis duntaxat Paschæ, ac Pentecostes faciendam esse, docet Catechismus Rom. & habetur cap. *in Sabbato*, de consec. dist. 4.

Hac benedictione aquæ supposita, qui Baptismo initiandi sunt, adducuntur ad Ecclesiæ fores, atque ab ejus introitu tanquam indigni, utpote qui adhuc potestati Dæmonis per peccatum mancipati sunt, excluduntur.

2. Et primo Sacerdos trinam insufflationem, & varios exorcismos adhibet ad expellendum Dæmonem. Eoque ritu, qui in Ecclesiā antiquissimus est, *Non exorcizatur, aut exsufflatur creatura Dei in infantibus* (ut ait S. August. l. 1. de Symb. ad Catech. c. 1.) *sed ille, sub quo sunt omnes, qui cum peccato nascuntur*.

Eadem etiam ratione signum crucis efformatur in baptizandi fronte, aliisque partibus, ut per illud Dæmon compescatur, omnesque ejus machinæ dissolvantur, quod observat S. August. lib. de Catech. rud. cap. 20 & S. Athanasius lib. de Incarn.

Fit præterea impositio manus a Sacerdote, variæque super baptizandum orationes ab ipso proferuntur. Hujus cæremoniæ meminit Conc. Carthag. V. can. 83. Et S. August. l. 2. de pecc. merit. & remiss. cap. 26. *Catechumenos*, inquit, *secundum quendam modum per signum Christi, & orationem manus impositionis puto sanctificari*.

Ex-

Exinde Sacerdos salem prius a se benedictum in os baptizandi imponit, ad significandam Baptismi Gratiam, per quam homo a peccatorum putredine liberatur, & cœlesti quadam, ac supernaturali prudentia donatur. Hujus cæremoniæ mentio fit in Conc.Carthag. III. can. 11. & apud S. August. lib. 1. Confess. cap. 11.

Postea idē Sacerdos saliva aures, & nares baptizandi tingit; aures quidē, ut eas ad Christi sermones percipiēdos aperiat, nares vero, ut virtutis, ac pietatis bonum odorem hauriant, ut explicatur c. *postea*, de consecr. dist. 4. & docet etiam S. Ambrosius lib. de Sacram cap. 1.

3. Sequitur abrenunciatio, qua ad interrogationem Sacerdotis baptizandus Diabolo, & omnibus operibus, & pompis ejus abrenunciat. Cujus cæremoniæ mentionem facit S. Dionysius lib. de Eccles. Hier. c. 2. & S. Ambros. lib. 1. de Sacram. cap. 2. ubi hunc ritum expendens sic loquitur, *Quando te Sacerdos interrogavit, Abrenuncias Diabolo, & pompis ejus? quid respondisti? abrenuncio. Abrenuncias sæculo, & voluptatibus ejus? quid respondisti? abrenuncio. Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat series cautionis tuæ. Chirographum tuum tenetur non in terra, sed in cælo*, &c.

Per illam abrenunciationem bello veluti Dæmonibus indicto baptizandus in scapulis, & in pectore inungitur, *Quasi athleta Christi* (inquit S. Ambrosius supra) *quasi luctamen hujus sæculi luctaturus*, & (ut loquitur S. Chrysost. hom. 6. in Epist. ad Colossenses) *stadium jam ingressurus*.

Post primam illam unctionem baptizandus iterū a Sacerdote interrogatus super præcipuis Fidei articulis illius publicā professionē emittit. Et de hac Fidei professione loquitur S. Ambrosius l. de Sacramentis, cap. ult. & S. August. lib. 8. Confessionum, c. 2. ubi dicit, hanc Fidei professionem, *Verbis certis conceptis, retentisque memoriter de loco eminentiore in conspectu populi Fidelis reddi solere ab iis, qui ad Gratiam Baptismi accessuri sunt*. Hæc autē professio Fidei supponit ipsius baptizandi instructionem per Catechismum jam factam. Unde adulti, qui Baptismum olim petebant, priusquam ad illum admitterentur, notabili aliquo temporis spatio recensebantur inter Catechumenos; de quorum instructione per Catechismum frequens habetur mentio apud Sanctos Patres, præsertim apud S. August. lib. de Fide, & operibus cap. 8. & alibi passim.

4. Tandem iterum elicito libero, & publico Baptizandi consensu, confertur illi Baptismus, sive per immersionem, sive per aquæ infusionem trinam vel unam; in quo Ecclesiæ cujusque approbata consuetudo servanda est.

Postea baptizatus in vertice capitis sacro Chrismate ungitur, ut habetur c. *Si quis de alio*, de consecr. dist. 4. ubi dicitur, Chrisma recēs esse oportere, id est eodem anno in die Cœnæ Domini ab Episcopo consecratum. Quamvis autem primis Ecclesiæ sæculis omnis Un-

ctio Chrismatis a solis Episcopis fieri soleret; postea tamen concessũ fuit, ut hæc Baptismalis unctio in vertice a Presbyteris fieri posset, ut constat ex Conc. Carthag. IV. can. 36. & Tolet. can. 20 Quæ autem in fronte fit, & proprie est Sacramenti Confirmationis, solis Episcopis semper reservata fuit, ut suo loco dicetur. Significat autem hæc Chrismatio baptismalis in vertice baptizati, illum *ab eo die Christo capiti* (ut loquitur Catechismus Rom. supra) *tanquam membrum conjunctum esse, atque ejus corpori insitum, & ea re Christianum a Christo, Christum vero a Chrismate appellari*.

Vestis deinde candida, seu album sudariolum profertur, & baptizato imponitur; tum in Symbolum innocentiæ per Baptismum restitutæ, & per totam vitam servandæ, tum etiam in signum futuræ resurrectionis, & gloriæ, ad cujus spem baptizatus renascitur, ut explicat Catech. Roman supra De hac veste candida baptizatis imponi solita loquitur S. Ambrosius libro de initiandis cap. 7. & S. August. sermone 157. de Temp.

5. Demum traditur baptizato Cereus accensus, ut ostendatur, illum translatum esse a potestate tenebrarum in lucem, & sortem Sanctorum, Fidemque illam charitate ardentem, quam per Baptismum accepit, usque ad finem vitæ servandam esse, ac studio bonorum operum augendam, ut in eodem Catech. Roman. dicitur. Meminit hujus cæremoniæ S. Greg. Nazianz. orat. 40. in sanctum Lavacrum, & S August. enarrat. in Ps 65.

Præter supra dictas cæremonias duo sunt adhuc ritus in Baptismo servandi. Primus est, ut hoc Sacramentum extra casum necessitatis non in domibus, vel in locis privatis; sed in Ecclesia, in qua sacri Fontes huic ministerio destinati sunt, conferatur, ut habetur Clementina unica de Baptismo, ubi ab hac lege tantummodo excipiuntur Regum, & Principum filii, qui tamen non in loco profano, sed in Oratorio, aut Sacello baptizari debent.

Secundus, ut Patrinus unus pro puero e sacro Fonte suscipiẽdo, & Matrina una pro puella, aut ad summum unus, & una pro hac, vel illo adhibeantur. Ita constitutum est cap. *Non plures*, de consecr. dist. 4. & c. *quamvis*, de cognatione spirit. in 6. & novissime in Conc. Trident sess. 24 c. 2. de reform. Matrimon. Inter quos, & baptizantem ex una parte & baptizatum, patremque, ac matrem illius ex altera, contrahitur cognatio spiritualis, non solum matrimoniũ contrahendum impediens, sed contractum dirimens, ut suo loco dicetur.

Quando autem Baptismus confertur sine solemnitate in casu necessitatis, observat Laymannus cap. 9 de Bapt. post Sotum, Suarez, & alios, quos citat, nullum extare præceptum Ecclesiæ, ut in tali casu Patrinus, vel Matrina adhibeatur.

Qualis vero sit obligatio Patrini, & Matrinæ erga infantes, quos de sacro Fonte susceperunt, declaratur cap. *Vos autem*, de consecr. dist.

dist. 4 ubi dicitur, eos esse fidejussores apud Deum pro illis, quos proinde monere tenentur, ut promissiones suo nomine factas servent, & ad hunc finem obligantur Symbolum, Orationemque Dominicam, & Decalogum, aliaque Christianæ Fidei rudimenta eos docere, aut doceri curare, a qua tamen obligatione S. Doctor qu. 67. art. 8. docet Patrinum, & Matrinam ut plurimum liberari, quando illi, quos de Fonte susceperunt, inter Fideles educantur, in iis præsertim locis, in quibus Pastores de instructione animarum sibi commissarum sunt soliciti.

Porro ex praxi Ecclesiæ cōstat, quando aliquis in casu necessitatis Baptismum suscepit sine solemnitate, cæremonias illius esse supplendas eo modo, qui præscribitur in Rituali. Excipitur tamen, quando aliquis adultus Hæreticus in infantia baptizatus ad Fidē Catholicā revertitur. In illo enim casu (ut observat Laym. loc. cit.) plurimis in locis, & præsertim in Gallia, & Germania, non solent Baptismi cæremoniæ suppleri (nisi ex devotione ii, qui ab Hæreticis baptizati sūt, id postulent) fortasse ne rudis populus opinetur, nos Baptismum Hæreticorum improbare, & ab illis baptizatos iterum baptizare.

CAPUT III.

De Sacramento Confirmationis.

SECTIO I.

Utrum Confirmatio sit Sacramentum.

1. Confirmationis nomine intelligitur ritus ille, quo Episcopus baptizati frontem sub certa verborum forma sacro Chrismate ungit, qui ritus a S. Clemente Epist. 4. vocatur *Consignatio*, a S. Cypriano Epist. 73. ad Jubajanum, *Signaculum Dominicum*, a S. August. lib. 2. contra Petilianum cap. 104. *Sacramentum Chrismatis*, & aliter ab aliis, communi tamen nomine, & magis usitato in Ecclesia vocari solet *Confirmatio*, quod nomen ante 1200. annos usurpatum reperitur a S. Melchiade Pontifice in Epist. sua decret. ad Episcopos Hispaniæ, ubi ait, quòd *Confirmatio armat, & instruit nos ad agonem vitæ istius*.

Verū quidquid sit de nomine certum est, Confirmationem esse Sacramentum novæ legis a Christo Domino institutum. Hanc veritatem, quæ de Fide est, negant Hæretici hujus temporis, & olim negavit etiam Novatus, ut refert Euseb. lib. 6. cap. 35. Contra quos

Probamus illā 1. ex Script. Act. 8 ubi dicitur, Samaritanos quosdā post Baptismum susceptum accepisse Spiritum Sanctum per manuū impositionem Sanctorum Petri, & Joannis; ex quo quidem loco constat, Spiritum Sanctum, id est Gratiam collatam fuisse per ritum

quendam externum, *qui* (ut dicitur in Conc Senon. decret. 10.) *tunc impositionis manuum; nunc Confirmationis appellatum est Sacramentum*. Et eodem sensu hunc locum explicat S. Cypr. Ep. 73. ad Jubajanum, & S Hieron. in Dialog. adversus Luciferian.

Prob. 2. ex Concil. Constantinop. I. can. 7. ubi dicitur, eos, qui ab Hæreticis baptizati ad Ecclesiam veniunt, *Signandos esse signaculo Spiritus Sancti*, & ex Concil. Florent. in decret. Eug & ex Trid. sess. 7. can. 1. de Confirm. in quibus definitum est, Confirmationem esse verum novæ legis Sacramentum.

Prob. 3. ex S. Dionys. c. 4. de Eccl. Hier. ubi dicit, quod *illi, qui Divina regeneratione Sacramento initiatus est, Divini Spiritus adventum largitur unguenti consummatrix unctio*, & S. Aug. l. 2. cont. lit. Petil. cap. 104. *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus*.

Quæres, quo tempore hoc Sacramentum a Christo Dom. fuerit institutum. Respondetur, probabilissimũ esse (sicut docet Suar. disp. 32. Sect. 2.) præcipue, & perfecte fuisse institutum post Christi Dom. resurrectionem, cum Apostolis plenitudinem Episcopalis potestatis in corpus mysticum Ecclesiæ suæ contulit, dicens illis S Jo. 6. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; quod tamen non obstat, quin verum sit, quod S. Fabianus Papa Ep. 2. dixit, ipsum Christum in ultima Cœna Discipulos suos Chrismatis conficiendi rationem docuisse, unde promanavit consuetudo sacrum Chrisma conficiendi in die Cœnæ Domini, quæ quidem semper in Ecclesia servata est, & adhuc servatur.

SECTIO II.

Quænam sit materia, & forma Sacramenti Confirmationis.

1. MAteria remota hujus Sacramẽti est Chrisma ex oleo olivarum, & balsamo confectum, & ab Episcopo benedictum, proxima vero est ipsius Chrismatis unctio in fronte suscipientis ab Episcopo in crucis figuram facta. Forma autẽ consistit in his verbis, quę ab Episcopo proferũtur, *Signo te signo Crucis, & cõfirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ita S. Doct. q. 72. ar. 2. & 4. & constat tum ex Conc. Flor. in decret. Eug. tum ex Catech. Rom. p. 2. c. 3. tum etiam ex ipso usu, & praxi Ecclesiæ.

2. Sunt autem quædam hic observanda ad clariorem, & certiorem hujus veritatis intelligentiam.

Primum est, ad substantiam hujus Sacramenti necessario requiri Chrisma compositum ex oleo olivarum, & balsamo. Ita docet S. Thomas supra. Nec satis probabilis videtur sententia Cajetani, & quorumdam aliorum, qui dixerunt ad validitatem Confirmationis solum oleum posse sufficere, & mixtionem balsami requiri ex Ecclesiæ præcepto, cum (ut habetur in Catech. Rom. supra) Concilia,

lia, & Patres perpetuo docuerint, hoc Sacramentum per Chrisma, seu unguentum ex oleo, & balsamo confici oportere, quod expressis verbis declaravit Conc. Flor.

Secundum est, ad substantiam quoque hujus Sacramenti requiri, ut Chrisma sit ab Episcopo benedictum, ut docet S.Th.art.3. & constat tum ex cit. decret. Eug. tum ex Innocentio I. Epist. 29. ad Decentium, tum etiam ex universali, & perpetua Ecclesiæ praxi.

Ratio autem, cur materia hujus Sacramenti, sicut & Extremæ Unctionis debeat necessario esse benedicta, ut Sacramentũ valide conficiatur, cum ad validitatem Baptismi quævis aqua naturalis sufficiat, est, quia (ut docet S. Thom. sup.) Sacramentorum illorum, quibus Christus Dom. usus est, ut Baptismi, & Eucharistiæ, materia per ipsummet Christi usum accepit aptitudinem ad perfectionem Sacramenti, unde dicitur cap. *nunquam*, de consecr. dist. 4. quod *aquæ Baptismi purgare credentiũ peccata nunquã possunt, nisi tactu Dominici corporis sanctificatæ fuissent*: quare non est de illorũ Sacramentorum necessitate, ut illorũ materia benedicatur; si quæ benedictio ex Ecclesiæ institutione adhibetur, non ad necessitatem, sed ad majorem reverentiam Sacramenti pertinet: cum vero neque ex Script. neque ex Traditione constet, Christum Dominum unctionibus visibilibus, quæ in Sacramento Confirmationis, & Extremæ Unctionis adhibentur, aliquando usum fuisse, ea de causa benedictio Episcopi, qui Christum in Ecclesia sua perfectissime repræsentat, necessario requiritur, ut materia illa idonea, & apta efficiatur.

Observat autem Isambertus ad q.72. disp. 2.a.5. nullam certã benedictionis formulam a Christo Dom. fuisse determinatam, illumque solummodo decrevisse, ut Chrisma benediceretur, modum vero benedicẽdi Ecclesiæ arbitrio reliquisse. Unde quælibet ipsius Chrismatis benedictio ab Episcopo facta cum debita intentione, & invocatione Spiritus Sancti ad validitatem Confirmationis sufficere potest: quamvis grave alioquin esset peccatum formam benedictionis ab Ecclesia præscriptam omittere, aut immutare.

3. Tertium est, unctionẽ Chrismatis in fronte confirmandi esse faciendã in Crucis figura, ut constat ex Conc.Hispa.II.can.7 & ex decret. Eug. ubi dicitur, *Confirmandum ideo in fronte, ubi verecundiæ sedes est, innungi, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, gentibus autem stultitia, propter quod signo crucis signatur*. Unde S. Ambrosius lib. 7. de Sacram. c. 2. de ipsius Confirmationis Sacramento sic loquitur, *Unxit te Deus, signavit te Christus. Quomodo? quia Crucis ipsius signatus es forma*.

Docet autẽ Isambertus, de necessitate hujus Sacramẽti esse, quod unctio Chrismatis manu, seu digito Episcopi, nõ vero mediante ullo alio instrumento fiat; quod vero fiat pollice dexteræ manus, id nõ nisi ex præcepto Ecclesiæ esse ad majorem decentiam, & commoditatẽ,

Quartum denique est formam hujus Sacramenti a Christo Dom., sicut & materiam ejus, institutam esse, quod tamen non aliunde, quã ex Traditione, & perpetua totius Ecclesiæ praxi probari potest.

Nec obstat, quod apud quosdam antiquos Auctores eadem verba non reperiantur. Satis est enim, ut ait Bellarm. l. 2. c. 10. quod habeatur idem sensus, cum vis formę Sacramentalis posita sit non in sono, aut numero syllabarum, sed in verborum sensu. Ubi etiam recte monet, nemini mirum videri debere, quod apud SS. Patres neque hujus, neque aliorum Sacramentorum formas expressas legamus, quia scilicet nostræ Religionis Mysteria Infidelibus patefacere nolebant, ne illis blasphemiæ alicujus, aut impietatis occasionem præberent. Unde Innocent. I. de hoc Confirmationis Sacramento loquens Ep. 1. ad Decentium, *Verba*, inquit, *dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere*.

4 Objiciet aliquis, Apostolos Act. 8 hoc Sacramentum administrantes neque Chrismate, neque unctione usos fuisse, sed tantummodo manus imposuisse, unde sequitur, neque Chrisma, neque unctionem ad Sacramenti hujus rationem pertinere. Respondet S. Doctor supra, Apostolos ex singulari Christi privilegio sola manuum impositione Sacramentum hoc extraordinarie aliquando administrasse, Spiritu Sancto tunc visibilibus, & miraculosis quibusdam signis super Fideles descendente, & plenitudinem Gratiæ conferente, communiter tamen in exhibitione hujus Sacramenti Chrismate usos fuisse.

Alia affert responsionem Bellarm. lib. 2. de Confirm. cap. 9. ex Th. Valdensi, Hugone, & aliis, qui dicunt, impositionem manuum, cujus in Actis Apostolorum mentio fit, aliam non fuisse, quam unctionem Chrismalem, cum Apostoli non ungerent, nisi imponendo manus, & S. Lucam (ut sæpe fit in aliis Script. locis) ex parte una rem totam significare voluisse; quod etiam frequens est apud SS. Patres, quoties de hoc Sacramento loquuntur, ut apud S. Cyprian. qui Ep. ult. lib. 1. solius unctionis meminit, & Epist. 1. lib. 2. solius manuum impositionis, & Epist. 73. ad Jubajanum, impositionis manuum simul, & signaculi Domini in fronte mentionem facit.

SECTIO III.

Quinam sint hujus Sacramenti effectus.

1. TRes sunt Confirmationis effectus. Primus illi cum aliis Sacramentis communis est, nempe augmentum Gratiæ sanctificantis, quod satis constat ex iis, quæ cap. 1. dicta sunt.

Secundus effectus hujus Sacramenti proprius, & peculiaris est cõplementum, & perfectio Gratiæ Baptismalis, & auxilium quoddam speciale actualis Gratiæ tempore opportuno conferendũ, ad Christi

Fidem

Fidem interius fideliter contra quaslibet tentationes retinendam, & exterius in quibusvis casibus etiam cum discrimine vitæ (si ita necessarium sit) fortiter profitendam. Ita S. Thomas art. 1. & 7. & constat tum ex decreto Eugen. tum ex Catechismo Rom. supra. Quod etiam explicavit S. Melchiades Papa in Epist. supra cit. ad Episc. Hispaniæ, ubi sic loquitur, *Spiritus Sanctus super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in Fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad Gratiam, & quia in hoc mundo ætate tota victuris inter hostes, & pericula gradiendum est, in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam, in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur.*

Est autem observatione dignum id, quod habetur in Epist. S. Cornelii Papæ ad Fabium Episcopum Antiochenum, quæ extat apud Euseb. lib. 6. hist. Eccl. cap. 35. ubi S. ille Pontifex ideo Novatum in Hæresim lapsum esse dicit, *quia post Baptismum sigillo Domini ab Episcopo obsignatus non fuit.*

2. Tertius denique effectus est character spiritualis, qui per hoc Sacramentum indelebiliter animæ imprimitur, ut expresse definitum est in decret. Eug. & in Concil. Trid. sess. 7. can. 9. & antea definitum fuerat in Concil. Tolet 8 can. 7. in quo habetur, *Sanctum Chrisma collatum, & altaris honorem evelli non posse*, id est Confirmationis, & Ordinis characterem non posse deleri. Ex quo sequitur, Sacramentum hoc semel susceptum nunquam posse iterari, ut in iisdem Conciliis declaratur, & etiam in Concilio Cabilonensi II. can. 27.

Hinc colligitur, quanta reverentia, & animi devotione Sacramentum illud recipi debeat, & quæ cura sit adhibenda, ne præparationis defectu obex aliquis ponatur ejus Gratiæ inter tot pericula, & hostes adeo necessariæ, quæ tamen nunquam fortassis recuperari poterit. Certe Dominicus Sotus in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 8. & post illum Vasquez disp. 161. cap. 2. & plures alii Theologi docent, solius Baptismi id proprium esse, ut ficte, id est indigne, susceptus, sublata postea per veram pœnitentiam fictione, Sacramentalem nihilominus Gratiam conferre possit; de aliis vero Sacramentis id negant. Neque ulla auctoritate, aut ratione evinci potest, Sacramentum Confirmationis, aut quodcunque aliud (solo Baptismo excepto) indigne receptum ullam unquam Gratiam ex opere operato producere in eo, qui indigne recepit, quantumcunque de indigna illa receptione pœniteat.

SECTIO IV.

Quænam dispositiones necessariæ sint ad Sacramentum Confirmationis valide, & fructuose recipiendum, & quæ sit illius recipiendi obligatio.

1. CErtum est in primis, Confirmationis Sacramentum solis baptizatis valide conferri posse. Ita S. Thom. quæst. 72. art. 6. qui dicit, characterem Confirmationis ita supponere Baptismi characterem, ut si quis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet. Et hæc communissima, & indubitata Theologorum omnium doctrina est. non modo Confirmationem, sed & alia novæ legis Sacramenta solis baptizatis valide conferri posse.

Certum est præterea, omnibus baptizatis Confirmationem valide conferri posse. Ita S. Doctor supra, & constat ex praxi Ecclesiæ primitivæ, in qua etiam infantibus simul cum Baptismo conferebatur, ut habetur ex S. Dionysio c. 2. Eccles. Hierarch. ex S. Aug. tract. 5. in Epist. 1. S. Joan. & lib. de Eccl. dogm. c. 52. Quod quamvis verum sit; monet tamen Catechismus Rom. par. 2. c. 3. *Minus expedire, ut hoc fiat, antequã pueri usum rationis habeant. Quare, si duodecimus annus expectandus non videtur, usque ad septimum certe hoc Sacramentũ differre maxime convenit. Neque enim Confirmatio ad salutis necessitatẽ instituta est, sed ut ejus virtute optime instructi, & parati inveniremur, cum nobis pro Christi Fide pugnandum esset, ad quod sane pugnæ genus pueros, qui adhuc usu rationis carent, nemo aptos judicabit.*

Cum hæc certa sint, quæritur, quænam dispositiones in adultis baptizatis necessariæ sint, ut Confirmationis Sacramentum digne, ac fructuose recipiant. Respondetur, duas præsertim requiri, Fidem scilicet, & Charitatem, seu Gratiæ sanctificantis statum. Ita S. Doctor art. 7. ad 2. & constat ex Catechismo Rom. supra, ubi dicitur, *Debere adultos, qui hujus Sacramenti Gratiam, & dona consequi cupiunt, non solum Fidem, & pietatem afferre, sed etiam graviora peccata, quæ admiserunt, ex animo dolere, imo elaborandum esse, ut peccata confiteantur, & Pastorum cohortatione ad jejunia, & alia pietatis opera suscipienda incitentur, admoneanturque, laudabilem illam antiquæ Ecclesiæ consuetudinem renovandam esse, ut non nisi jejuni hoc Sacramentum suscipiant.* Quod & similiter edicitur in Conc. Aurelian. cap. *ut jejuni*, de consecr. dist. 5.

Monet autem Isambertus disp. 5. art. 2. illi, qui peccati alicujus mortalis sibi conscius esset, ad Sacramentum hoc digne suscipiendum præmittendam esse Confessionem Sacramentalem, aut saltem perfectam de tali peccato contritionem esse concipiendam, nec attritionem, aut quemvis alium dolorem charitate minime informatum sufficere.

2. Quod

2. Quod spectat ad obligationem hujus Sacramenti suscipiendi, certum est (sicut docet S.Th.ar.8.ad 5.) gravissimum fore peccatum, si quis ex contemptu illud recipere nollet. Imo Tolet.lib.2.c.24 Sylvester verbo *Confirmatio*, & alii, quos citat Layman.cap.5. de Confirm.existimant, proxime ad contemptum accedere, si quis non curaret suscipere hoc Sacramentũ, oblata illius suscipiendi opportunitate, quam in posterum non adfuturam prævideret. Equidem Hugo de sancto Victore lib.2.de Sacram. part. 7. cap.3. dicit, omnino periculosum esse, si quem ab hac vita migrare contingat, Sacramento Confirmationis minime suscepto, quod culpabiliter suscipere neglexit; & Isambertus disp.7. art. 1. asserit, in iis locis, ubi urget, aut imminet persecutio contra Ecclesiam, teneri quemlibet adultum, si Episcopũ commode adire possit, hoc Sacramentum suscipere, ut ex illo robur, & vires ad Fidem constanter profitendam hauriat, sicut & illum, qui graves contra Fidem experiretur tentationes, quas per hujus Sacramenti virtutem se posse tantummodo superare existimaret.

Optime Catechismus Roman.supra monet, *In hoc sacramento suscipiendo neque præpropera festinatione, neque dissoluta negligentia, & cunctatione utendum esse*, &c. *& quamvis ejusmodi necessitatem nõ habeat, ut sine eo salvus quis esse non possit, illud tamen a nemine prætermitti debere, sed potius maxime cavendũ est, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis Divina munera tam large impertiuntur, aliqua negligentia committatur. Quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est.*

SECTIO V.

Quis Sacramentum Confirmationis ministrare possit, & quo ritu ministrare debeat.

1. CErtum est ex Fide, ordinarium Confirmationis Ministrum esse solum Episcopum. Ita expresse definitum est in decret. Eug. & in Concil. Trident. sess. 7. can. 3. de Confirmatione, & jam antea in Conc. Constantiensi sess. 8. error huic veritati oppositus inter Vvicleffi articulos damnatus est. Et confirmari potest ex cap. 8. Act. ubi dicitur, Sanctos Petrum, & Joannem Samariam venisse, ut baptizatis manus imponerent, quo ex loco Innocentius I. Ep. 29. ad Decentium infert, non ab alio, quam ab Episcopo Confirmationis Sacramentum esse conferendum.

Docet tamen S. Thom. art. 11. ad 1. ex commissione, seu delegatione Summi Pontificis Confirmationis Sacramentum posse a simplici Sacerdote ministrari; quod etiam probat ex facto S. Gregorii Magni, qui, cum accepisset, Sardiniæ Presbyteros solere baptizatis dare Confirmationem, id eos in posterum facere prohibuit, ut habetur lib.3. registri, Ep.9. at cum ex hac prohibitione sua comperisset,

scan-

scandalum aliquod in populo exortum fuisse, ut id facerent, postea concessit, ut constat ex Epist.27.ejusdem libri. Et in decret. Eug. expresse dicitur, *Per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili, & urgenti admodum causa, simplicem Sacerdotē Chrismate per Episcopū confecto hoc Sacramentum Confirmationis aliquando administrasse.*

Ex quibus Concilii verbis colligitur, quod, quamvis simplex Sacerdos ex dispensatione Summi Pontificis possit extraordinarie Cōfirmationis Sacramentum conferre: non potest tamen sacrum Chrisma conficere, sed hoc semper ex perpetua Ecclesiæ praxi Episcopo soli reservatum fuit, ut docet, & probat Isambertus disp. 2. art. 6.

2. Quod spectat ad ritum hujus Sacramenti, præter ea, quæ illi ex institutione Divina essentialia sunt, Ecclesia ad majorem suscipientium devotionem excitandam quasdam præscripsit cæremonias in ejus administratione, ac susceptione observandas.

Prima est, ut adsit susceptor, seu Patrinus, qui confirmandum offerat Episcopo ratione cujus susceptionis contrahitur spiritualis affinitas similis illi, de qua in Baptismo dictū est. Est autem hæc cæremonia antiquissima, ut constat ex variis Conciliorum, Pontificūque decretis, quæ citantur a Gratiano, ac præsertim ex can. *Si quis*, dist.30. qu. 1. in quo præcipitur, ut viri, qui filios proprios in Confirmatione tenuerint, quoad usum thori, separentur ab uxoribus, propter affinitatem scilicet spiritualem quam contraxerūt, & diversa ratione can. *Dictum est* ibid. quibusdam fœminis, quæ fraudulenter filios proprios in Confirmatione tenuerant, ut eo prætextu a viris separarētur, injūgitur quidem pœnitentia, prohibetur tamen, ne a viris separentur.

Secunda cæremonia est, ut preces quædam solemnes ab Episcopo super confirmandis recitentur, idque ut Divinum auxilium in actione tanti momenti tum pro se, tum pro illis invocet, eosque ad mentem in Deum elevandam, pietatisque, ac devotionis sensum aliquem concipiendum excitet.

Tertia est, ut Episcopus genā cujusque confirmati percutiat, eique alapam leviter infligat, ut is intelligat, se ad probra, verbera, & quæcunque alia pro Christo patienter perferenda paratū esse debere, & ad hoc specialem Gratiā vi., & efficacia hujus Sacramenti accepisse.

Quarta in eo consistit, quod confirmato pax ab Episcopo detur, ut agnoscat, hunc esse Christianæ patientiæ fructum, & post Fidem in bellis, ac certaminibus hujus vitæ servatam, æternam illi, ac beatam pacem in cœlo esse repositam.

Quinta denique in eo consistit, ut Confirmati frons fascia ligetur, tum ne sacrum Chrisma casu aliquo profanetur, tum etiam ut significetur, Gratiam in Confirmatione acceptam sollicite, ac sedulo effectu esse custodiendam.

Monet autem Bellarmin. lib. 2. de Confirm. c. 13. morem cujusque Ecclesiæ in hac cæremonia servandum esse. Quibusdam enim

nim in locis ad septem dies fascia illa in fronte retinetur, in aliis ad tres tantum, alicubi etiam frons confirmati confestim post susceptam Confirmationem a Sacerdotibus extergitur.

3. Observat etiã Gammachæus capite 10 de Confirm. quod, si quis nomen profanum aut ridiculum gerat, possit illud mutare in Confirmatione, quæ scilicet est complementum & perfectio Baptismi. Addit etiam, Episcopũ non debere alienis diœcesanis, absque proprii Episcopi consẽsu, Confirmationis Sacramentũ administrare, nisi forte invaluerit contraria cõsuetudo, de qua nullus Episcopus cõqueratur.

CAPUT QUARTUM.

De SS. Eucharistiæ Sacramento.

SECTIO I.

Quo nomine sanctissimum hoc Sacramentum nuncupetur.

1. CUm in sanctissimo hoc Sacramento mirabilium suorũ memoriam fecerit Dominus (ut olim pronũciavit Propheta Regius Psalm 110.) illicque non modo sapientiæ, ac scientiæ, sed & potestatis, misericordiæ, charitatis, ac reliquarum Divinarum perfectionum thesauros omnes recõdiderit; minime mirum est, si nullum singulare nomen excogitari potuit, quod excellentiã illius infinitam exprimeret, sed varia, & diversa vocabula passim a SS. Patribus adhibita reperiantur, quibus tanti mysterii dignitas utcunque adumbraretur.

Aliquando enim vocatur *Sacramentũ corporis, & sanguinis Christi*, ex S. Aug. lib. de Trinit. cap. 4. ab ipsa re, quam in se continet, aliquando *Sacramentum altaris*, a loco, in quo conficitũr, ex eodem S. August. Epist. 30. aliquando *Sacramentum Fidelium*, ab iis, quorum gratia institutum est, ex sancto Augustino serm. 2. de verb. Apostoli cap. 1. aliquando *Panis supersubstantialis*, ex S. Cypr. lib. de Cœna Domini, *Panis*, ob accidentia exteriora, quibus tegitur, *supersubstantialis*, propter Divinam, vivificamque virtutem, quæ ipsi inest, aliquando *Communio*, propter unionem perfectam, & ineffabilem, quam inter Christum Dominum, ut caput, & Ecclesiæ Fideles, ut ejus membra, efficit, ex S. Damasc. lib. 4. Orthod. Fidei cap. 14. aliquando *Sacra Synaxis*, propter religiosum Fidelium conventum in solemni hujus Sacramenti celebratione fieri solitum, ex eodem S. Damasc. ibid. aliquando *viaticum*, eo quod illius virtute in hujus vitæ peregrinatione, & præsertim in ultimo ad æternitatem transitu sustentamur, ut in Concil. Nicæn. I. can. 13.

2. Sed præ cæteris usitatissimum in Ecclesia est nomen *Eucharistiæ*, quod significat bonam Gratiam, vel Gratiarum actionem, idque aptissimum

ſimum ad deſignandum ; nos in hoc Sacramento Gratias ubertimas, imo ipſum Gratiarum fontem in nobis recipere, & per id Sacramentum acceptiſſimas Deo gratias poſſe referre, ut dicitur in Catechiſmo Rom. part. 2. cap 4.

Sive igitur Euchariſtia ſive quovis alio nomine ex iis,quæ ſupra explicata ſunt,appelletur,intelligitur Sacramentũ illud,quod a Chriſto Domino in cœna ultima inſtitutum eſt, in quo ſub ſpeciebus panis,& vini vere, realiter, ac ſubſtantialiter ejuſdem Chriſti corpus, & ſanguis continetur, ut in Concil. Trident ſeſſ.13.can.1. & 2. expreſſe definitum eſt,quod plenius conſtabit ex iis, quæ Sect. ſeqq. dicenda sũt.

SECTIO II.

In quo proprie conſiſtat Euchariſtiæ Sacramentum.

1. SUpponimus tanquam certum ex Fide, Euchariſtiam eſſe verũ, & proprie dictum Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutũ, quod nullus negavit Hæreticorum, qui Sacramenta aliqua novæ legis agnoverunt. Et hæc veritas non modo in Conc. Trident. ſup. ſed etiam in Concil. Carthag. III. can. 2. in Concil. Lateran. c. *firmiter* de Sum. Trinit. & Concil. Florent. in decret. Eug. definita eſt.

Hoc præſuppoſito, quæritur,in quo proprie conſiſtat hoc Euchariſtiæ Sacramentum. Cum vero quatuor præſertim in illo ſpectari poſſint,ſcilicet conſecratio, Corpus & Sanguis Chriſti,ſpecies conſecratæ, & uſus, ſive ſumptio Sacramenti, ex quibus primum, & quartum in actione aliqua tranſeunte conſiſtunt, ſecundum vero, & tertium in re permanente: Hæretici hujus temporis contendunt, hoc Sacramentum non in re permanente, ſed in actione tranſeunte conſiſtere, Calvinus quidem in ſolo illius uſu, & ſumptione, Kemnitius autem tum in ſumptione, tum etiam in conſecratione ipſius, ut videri poteſt apud Bellarminum lib. 4. de Euch.

Huic errori oppoſita eſt Catholicæ Fidei veritas,quæ docet,Sãctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in re aliqua permanẽte cõſiſtere,& ſic Corpus Chriſti Dõini poſt verba conſecrationis prolata realiter exiſtens ſub ſpeciebus panis eſſe vere, & proprie Sacramentum, ſive ſumatur,ſive in Sacrario ſervetur,ſive ad ægros,aut alia de cauſa publice deferatur. Ita expreſſe definitum eſt in Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 5. & 6.& can. 4. & 7. & probatur fuſe a Bellarmino l 4. de Euch. cap. 4. ex antiquiſſimo ritu ſervandi Sacram Euchariſtiam, eamque cum honore, & reverentia ad ægrotos deferendi, qui ſemper in Eccleſia fuit religioſiſſime obſervatus.

Cum igitur ex Fide conſtet, Sacramentum hoc in re permanente conſiſtere, dubitatur inter Doctores, num in ſolo Chriſti corpore ſub ſpeciebus contento, num in ſolis ſpeciebus, num in utroque ſimul Sacramenti hujus ratio proprie conſiſtat.

2. Vera,

2. Vera, & ab omnibus communiter recepta est illorum sententia, qui dicunt, consistere tam in speciebus cõsecratis, quã in Christi corpore sub iis existente, proindeque Sacramẽtum Eucharistiæ esse veluti quid compositũ ex speciebus consecratis, & Corpore, ac Sanguine Christi Domini. Ita S. Doctor in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 1. cui communiter alii Theologi subscribunt. Et probatur ex c. *Hoc est*, de consecrat. dist. 2. ubi dicitur, hoc Sacramẽtum *constare duobus, visibili elementorum specie, & invisibili Christi carne, & sanguine, veluti Persona Christi constat ex Deo, & homine.* Deinde ex eo, quod Concil. Trident. sess. 13. cap. 1. dicit, in Eucharistiæ Sacramento vere contineri Corpus, & Sanguinem Christi; unde infertur, aliquid aliud ab ipso Christi corpore, & sanguine ad rationem Sacramenti pertinere, nimirum species, & accidentia, sub quibus continetur.

Ex dictis colligitur Sacramentum Eucharistiæ ab aliis sex Sacramentis in eo prætertim differre, quod alia Sacramenta in actione aliqua transeunte consistant, scilicet in applicatione formæ ad materiam (nec proinde existant, nisi cum actu conferuntur, & suscipiuntur) at vero Sacramentum Eucharistiæ in re aliqua permanente consistat, ut explicatum est.

Sunt & aliæ inter Eucharistiã & alia Sacramenta differentiæ, quæ ex infra dicendis facilius intelligentur, inter quas hæc minime prætermittenda est, quod Eucharistiæ Sacramentum sit omnium aliorum Sacramentorum nobilissimum, & excellentissimum. Unde sanctus Dionysius c. 3. de Eccl. Hier. dicit, *Ad hoc Sacramentum tanquam ad suum finem Sacramenta alia omnia ordinari*, & in Catech. Rom asseritur, *Hoc Sacramentum, quantum ad bonorum affluentiam, se habere ad reliqua, sicut se habet fons ad rivulos.*

SECTIO III.

Quænam sit materia Eucharistia conficiendæ.

1. NOmine materiæ in Sacramento Eucharistiæ intelligitur id, ex quo secundum Christi Domini institutionem conficitur ipsum Sacramentum, seu res illa, quæ per verba consecrationis in ipsius Christi Domini corpus convertenda est.

Est autem certum ex Fide, solum verum panem, & solum verum vinum ex vite esse aptam, & idoneam hujus Sacramenti materiam: Id constat ex sanctis Evãgelistis S. Matth. 26. S. Marc. 14. S. Luc. 22. qui unanimiter dicunt, Christum Dominũ, in instituẽdo hoc Sacramento, verum panem, & verum vinũ adhibuisse, & postea præcepisse Discipulis suis, ut hoc facerent, quod ipse fecerat, proinde ut verum panem, & verum vinum de vite ad Sacramentum hoc conficiendum assumerent. Id præterea definitum habetur in Conc. Later. c. *firmiter.*

in

in Concil. Flor in decret. Eug. & in pluribus aliis Conciliis, quorum canones fuse citantur a Gratiano dist. 2. de consecr.

Cum igitur id certum sit, ad majorem tamen hujus veritatis elucidationem observationes hic aliquæ faciendæ sunt.

2. Prima est. solum panem ex frumento, seu tritico *confectum* esse sufficientem, & aptã hujus Sacramenti materiam. Ita S. Doct. quæst. 74.art 3.& cõstat ex dec.Eug. in quo expressis verbis habetur, *Eucharistiæ materiam esse panem triticeum.& vinũ de vite*. Ex quo sequitur, panem ex hordeo, avena, aut aliis similibus granis a tritico specie diversis nõ esse idoneam hujus Sacramenti materiã. Imo recte monet Isambertus ad quæst.74.disp.1.ar.4. panẽ ex siligine confectum (vulgo *pain de seigle*) non esse adhibendum ad conficiendam Eucharistiã. Quamvis enim aliqui existiment, siliginem specie non differre a tritico, quia tamen alii contrariũ sentiunt, aut saltem de ea re dubitant, recte docet, pro confectione hujus Sacramenti assumendam non esse materiam dubiam sed tantum certam qualis est panis pure triticeus.

Quod si panis fiat partim ex tritico partim ex siligine,hordeo, vel aliis ejusmodi granis, tunc videndũ erit, an grana illa specie a tritico diversa in tã modica quantitate adhibita sint, ut panis secundum cõmunem æstimationem triticeus cẽseri possit,vel in tã magna, ut talis minime censeatur.In primo casu erit materia sufficiẽs cõsecrationis, in secundo non erit. Est tamen semper optimum, & reverentiæ huic Sacramento debitæ convenientissimum, ut panis consecrãdus ex puro tritico, sine ulla granorum quorumvis admistione, conficiatur.

3. Secunda est, ad consecrationis validitatem requiri, ut panis ille triticeus sit coagmentatus ex aqua elementari, & calore ignis concoctus, non vero frixus, aut elixus. Unde neque massa farinæ nondum igne cocta, neque panis ille, qui ex melle, aut butyro esset coagmentatus, aut frixus, vel elixus (qui non jam panis, sed potius placenta dici deberet) sufficiens hujus Sacramenti materia esse censetur, ut pluribus probat Isambertus a. 6.

Tertia est, panem fermentatũ ad validitatem hujus Sacramẽti sufficere, in decreto tamen Eugenii constitutũ fuisse, ut quilibet Sacerdos Eucharistiam in pane sive fermentato,sive azymo conficiat,juxta consuetudinem Ecclesiæ suæ.Unde sequitur,Sacerdotem Græcum in Græca Ecclesia pane fermentato,Latinũ vero in Ecclesia Latina non nisi azymo uti debere.Quod quidem præceptum de pane azymo tantummodo ad conficiendam Eucharistiam in tota Ecclesia Latina adhibendo adeo stricte obligare asserit idem Isambertus a. 5. ut ne in casu quidem necessitatis existimet, Sacerdotem Latinum in pane fermentato consecrare licite posse, quod probat ex capite *finali* extra de celebrat. Missarum, ubi Sacerdos, qui in pane fermentato consecrat, punitur Officii depositione, & amissione Beneficii, quamvis excusationem necessitatis prætexeret.

4. Quar-

4. Quarta est, in vino adhuc cõtento in uvis, aut in vino, seu liquore ex uvis nondũ maturis expresso(quod agresta, seu omphacium vocatur) consecrationẽ Dominici sanguinis valide fieri non posse, sicut nec in aceto, aut vino decocto, quod defrutum dicitur. Ita S. Thom. art.5. ad 2 & 3. Et ratio est, quia hæc omnia propriam vini rationem non habent, ut per se patet, & expresse declaratur in Rubricis Missalis; ubi etiam dicitur, quamvis consecratio valide fiat in musto, seu vino recenter ex uvis cum fæcibus expresso, aut in vino acescente, non tamen penitus acido, id tamen reverentiæ Sanctissimo huic Sacramento debitæ repugnare, proindeque sine gravi peccato fieri non posse, quod etiam affirmat S. Doctor loco citato.

De vino autem congelato quamvis quidam Theologi existiment, quandiu congelatum remanet, nõ esse idoneam cõsecrationis materiam; Sylvester tamen, Sotus, & alii, quos citat, & sequitur Suarez, disp.25. sect. 1. affirmant, ejusmodi vinum congelatum valide consecrari posse; quamvis ad majorem decentiam, & scrupulos evitandos sit consultius(ut ibidem monet Suarez) vel aliud vinum adhibere, vel vinum congelatum adhibitis pannis calidis, aut admoto igne liquefacere, ut sic convenientius possit consecrari, quod quidem Rubricæ Missalis faciendum esse præscribunt, si post consecrationem vinum congeletur, ut a Sacerdote celebrante sumi possit.

Quinta est, aquam vino permiscendam esse ante consecrationem; quod semper in Ecclesia observatum fuisse, testantur Ss.Patres, qui fuse a Gratiano citantur dist. 2. de consecrat. idque ex professo probat S. Cypr. Epist.63. ad Cæcilium, & præterea definitum habetur in decret. Eugen. & in Concil. Trident. sess. 22. can. 9.

Monet autem S. Doctor art. 8. aquam illam in modica quantitate vino permiscendam esse, ita ut species vini non solvantur, sed potius ipsa aqua in vinum convertatur, & sic in vinum conversa consecretur.

5. Quæres, an hæc permixtio aquæ sit de essentia consecrationis. Respondetur, non esse, sicut docet expresse Catechismus Rom. c. 4. ubi dicit, sine tali permixtione Sacramentum constare posse, & in Conc. Trid. sess. 22. c.7. dicitur, id ab Ecclesia præceptum esse Sacerdotibus; unde sequitur, non esse ex institutione Divina necessarium.

Sexta denique est, materiam illam sive panis, sive vini Sacerdoti celebranti moraliter debere esse præsentem, ita ut aliquo sensu, puta visu, vel tactu deprehendi possit, ut valide ab ipso consecretur. Ita ex communi Theologorum consensu Isambertus ad quæst. 74. disp.5. art.1. & constat ex verbis ipsius consecrationis, quæ materiam illam Sacerdoti consecranti præsentem esse significant, ut ex dicendis sequenti sectione facilius intelligetur.

Hinc sequitur(ut idem Isambertus observat) quod, quando cumulus aliquis formularum, seu hostiarum coram Sacerdote in Altari

expo-

exponitur, possint omnes ab illo valide consecrari, quamvis nec videat, nec tangat singulas, quia singulæ censentur illi moraliter præsentes eo ipso, quo continentur in cumulo illo, quem videt, aut tangit; & similiter dicendum, si formulæ illæ consecrandæ sint quidem Sacerdoti proximæ, sed velo aliquo coopertæ, aut Pyxide inclusæ, quia ratione sui continentis moraliter censentur esse præsentes.

6. Requiritur præterea, ut materia non solum sit moraliter præsens, sed etiam ut per intentionem consecrantis sit determinata, id est ut formā consecrationis proferendo intēdat facere, quod facit Ecclesia circa hanc determinatam materiam. Ita ex communi Doctorū consensu docet Isambertus ar. 2. Ex quo sequitur, ut si Sacerdos coram se centū formulas habens intendat solum consecrare quinquaginta, eas nullatenus designando, aut determinando, tunc nullā illarum consecrare censeatur. Secus est, si putans solummodo esse quinquaginta, super cumulum illarum verba consecrationis proferat. Tunc enim, cum nullas excludat, censetur omnem cumulum velle consecrare, & quamvis in æstimatione numeri decipiatur, non tamen in intētione, quæ (ut supponimus) super cumulum illum sibi præsentem fertur.

Quare ad scrupulos devitandos tutius est, ut semper Sacerdos consecrare intendat formulas omnes sibi appositas, quamvis earum numerum nesciat. Illius enim primæ intentionis virtute consecrantur omnes, etiamsi quando ipsius formæ verba profert, de illis actu non cogitet, sed ad eam, quam præ manibus habet, solummodo attendat, ut monet idem Isambertus supra.

SECTIO IV.

Quæ sit forma ad consecrandam Eucharistiam requisita, & quis verus, & proprius verborum illius sensus.

1. DOcet S. Thom. q. 78. art. 1. formam ad Sacramentum hoc conficiendum requisitam in eo consistere, ut Sacerdos eadem verba super materia panis, ac vini proferat, quæ a Christo Domino illud instituente, panemque in corpus suum, ac vinum in sanguinem convertente prolata sunt, nimirum super pane, *Hoc est Corpus meum*, & super vino, *Hic est calix sanguinis mei*, &c. Quibus verbis ex Ecclesiæ Romanæ consuetudine a S. Petro Apostolo derivata (ut observat idem S. Doctor art. 2. ad 5.) interseritur hæc conjunctio *enim*, quæ non est de formæ hujus necessitate, sed tantum ut verba ipsius consecrationis faciliori sensu cum antecedentibus cohæreāt.

Hæc autem doctrina expressis verbis traditur in Decret. Eug. & in Catechismo Rom. part. 2. c. 4. & huic etiam subscripserunt unanimiter Ss Patres, ut S. Greg. Nisl. orat. catech. c. 37. ubi dicit, quod *Panis sanctificatur a verbo (sicut dictū est) transmutatus nēpe ab isto, Hoc est corpus meum*. Tertul. lib. 4. contra Marcionem, *Panem*, inquit, *acceptum*

ptum Christus fecit corpus suum, dicendo, Hoc est Corpus meum. & S. Amb. lib. 4. de Sacram. c. 4. *Consecratio*, inquit, *fit verbis Domini, & ubi ventum est, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed Christi sermonibus utitur.*

2. Confirmari potest eadem doctrina ex antiqua universalis Ecclesiæ praxi, quæ statim post prolationem supradictorum verborum ostendit venerabile Sacramentum populo adorandum, ut videre est in Canone Missæ, quem multis ante sæculis ab ipsa Ecclesia institutum esse, declarat Conc. Trid. sess. 22. cap. 4. Unde sequi docet Gammachæus ad q. 78. c. 2. hanc doctrinam esse de Fide, nec sine Hæresi negari posse; qui etiam c 2. observat, non omnia verba, quæ in consecratione sanguinis proferri solent, ad formæ substantiam pertinere, sed tantummodo ista, *Hic est calix Sanguinis mei*; alia vero, quæ sequuntur, esse tantum de necessitate præcepti, proindeque absque gravi peccato omitti non posse; quamvis si omitterentur, nihilominus consecratio ipsius sanguinis valide conficeretur, quod etiam ante illum docuerunt Magister sentent. S. Bonavent. Albertus, Alensis, Joannes Major, & alii, quos ibidem citat.

Quod spectat ad verum, & proprium illorũ consecrationis verborum sensum, quæres 1. an debeant intelligi recitative tantum, seu materialiter, an vero significative, seu formaliter, seu an Sacerdos verba illa proferat animo solum referendi verba ab ipso Christo in hujus Sacramenti institutione usurpata, an etiam animo exercendi significationem illorum, & consecrandi, seu convertendi panem, & vinum in Corpus, & Sanguinem ejusdem Christi.

Respondetur cum S. Doct. utroque modo proferri, recitative quidem, ut constat ex his verbis Canonis, *Qui pridie, quam pateretur, accepit*, &c. quibus Sacerdos narrat, quid Christus Dom. in hujus Sacramenti institutione fecerit, & dixerit; proferri vero etiam significative, præter Sanctum Thomam, docent Alensis, S. Bonavent. Sotus, & alii apud Suarez disp. 58. sect. 4. & colligitur ex eo, quod in decr. Eug. declaratur, Sacerdotem in persona Christi loquentem hoc conficere Sacramentum, non loqueretur autem in persona Christi, si tantum narraret, & recitaret id, quod dixit Christus.

3. Quæres 2. quid in illis verbis consecrationis proprie significet pronomen *Hoc*, & *hic*.

Longum, & superfluum esset referre omnes Hæreticorum opiniones de significatione pronominis illius. Nam, ut observat Greg. a Valentia, octoginta, & amplius interpretationes absurdissimæ, & falsissimæ in eorum libris reperiuntur. Variæ quoque sunt Doctorum Catholicorum explicationes, qui tamen in eo ab Hæreticis differũt, quod hi licet inter se divisi, & male cohærentes, conveniant nihilominus in rejicienda, & deneganda transubstantiatione panis, & vini in Christi corpus & sanguinem, illi vero eam constanter asserant,

imo tanquam Fide credendam supponant. Omissis igitur etiã variis illis Catholicorum interpretationibus, omnium certissima videtur esse illa, quam affert S. Doctor, nimirum per pronomen, *Hoc*, vel *hic*, nihil demonstrari quod sit eo tempore, quo profertur, sed id quod est in fine prolationis ipsius formæ, *prædictamque locutionem intelligendam esse secundum ultimum instans prolationis verborum*.

Hæc autem S. Doctoris explicatio duplici modo intelligi potest. Prior est, ut pronomen illud accipiatur substantive saltem in forma cõsecrationis panis, & per illud significetur substantia corporis Christi (quæ erit sub speciebus panis in fine prolationis formæ) confuse tamen eo pronomine designata, & per prædicatum hujus enuntiationis distinctius expressa. Posterior modus quem tuentur Joannes Major in 4. dist. 8. quæst. unica, & Maldonat. in c. 26. S. Matth. est, ut prædictum pronomen sumatur adjective, ac proinde ut eodem modo hæc Christi verba intelligantur, *Hoc est corpus meum*, atque si quis diceret, *Hic est thesaurus meus*, & sicut etiam Pater cœlestis de eodem Christo Domino dixit, *Hic est Filius meus dilectus*. Quo posteriori sensu præsertim intelligi debet forma consecrationis sanguinis, cujus verba transtulit Interpres noster per pronomen adjectivum demonstrativum, *Hic est Calix sanguinis mei*.

4. Quæres 3. quo sensu in verbis illis consecrationis accipienda sit copula *Est*. Hæretici enim contendunt, eo loco accipiendam esse pro *Significat*, quam ad rem varia ex Scripturis exempla proferunt, in quibus eo sensu accipi videtur, ut 1. Cor. 10. *Petra erat Christus*, id est (ut inquiunt) Petra significabat Christum.

Respondetur 1. quamvis verum esset, aliquando in Scripturis verbum substantivum sic accipi, inde tamen nullo modo sequi, illud in verbis consecrationis eo sensu esse accipiendum, cum neque a SS. Patribus, neque ab Ecclesia universa unquam sic acceptum fuerit, ut constabit ex iis, quæ Sectione sequenti dicentur.

Respondetur 2. falsum esse, illud verbum substantivum, *Est*, in sacris, aut etiam profanis literis unquam accipi pro verbo, *Significat*. In omnibus enim allegoricis, aut metaphoricis locutionibus, quæ afferri possunt, ut recte observat, & probat Maldonatus supra, si quæ figura est, non hæret in verbo, *Est*, sed vel in subjecto enunciationis, vel in prædicato. Verbum enim, *Est*, semper aut substantiam, aut solam extremorum unionem significat, ut docuit Arist. lib. de interpret. c. 3.

5. Quæres 4. quomodo hæc consecrationis forma vera esse possit. Prius enim requiritur, rem aliquam esse, quam veram esse propositionem, quæ affirmat, illam esse; forma autem consecrationis, cum efficiat illam rem, quam enunciat, est illa prior, & ex consequenti falsa, cum significet, id esse, quod nondum est.

Respondetur ex S. Doct. hanc esse differentiam locutionum, quæ-

vim

vim significativam solummodo habent. & earum, quæ habent vim effectivam, quod illæ supponant rem, quam enunciant jam esse, hæ vero illam efficiant. Unde ad veritatem formæ consecrationis, per quam v. g. corpus Christi ponitur sub speciebus panis, sufficit, quod eadem duratione reali, qua significatio ejus completur, res per eam significata, & enunciata talis a parte rei sit, qualis esse significatur, & enunciatur; quod cum in forma illa reperiatur, ut constabit ex dicendis Sectione sequenti, hinc sequitur, illam veram esse.

Quæres 5. & ultimo, quo sensu intelligi debeant verba, quæ ad consecrationem sanguinis Christi Domini adhibentur. *Hic est calix sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

6. Jam diximus, non omnia illa verba esse de essentia consecrationis, sed hæc tantum, *Hic est Calix sanguinis mei*. Ea vero, quæ sequuntur, per traditionem a S. Petro Apost. qui Romanæ Liturgiæ auctor fuit, accepta esse docet Leo IX. in Epist. ad Michaelem Imperatorem c. 9. & S Th. art 3. fuisseque addita verbis essentialibus formæ ad expressius significandam virtutem ipsius sanguinis Christi, qui quidem, ut explicat S. Doctor, pro nobis effusus est. Primo ad conferendum nobis jus hæreditatis, juxta illud Hebr. 10. *Habentes fiduciam in introitu Sanctorũ in sanguine Christi*, & ad hoc exprimendum, dicitur, *novi, & æterni testamenti*. Jus enim ad hæreditatem per testamentum acquiritur. Secundo ad justificationem, & sanctitatem conferendam, cujus initium, fundamentum, & radix est Fides, ut loquitur Conc. Trid. sess. 6. cap. 8. & ideo subditur, *Mysterium Fidei*. Tertio ad amovenda ipsius gloriæ, & justificationis impedimenta, scilicet peccata, juxta illud Hebr. 9. *Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*, & quantum ad hoc subjungitur, *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. *Pro multis*, id est pro omnibus, quantum est ex parte ipsius Christi, ut explicant Euthymius, & Theophylactus apud Maldonatum supra: vel, *Pro multis*, id est pro solis prædestinatis quantum ad fructum, & efficaciam, prout a nobis explicatum est priori hujus Operis parte tract. 5. cap. 1. Sect. 6. *Effundetur*, vox Græca in tribus Evangelistis Matthæo, Luca, & Marco est præsentis temporis, significatque effundi sanguinem, id est offerri, seu libari in ipso Missæ Sacrificio. Versio tamen communis, quæ est futuri temporis, refertur ad effusionem illam sanguinis, quæ in cruce futura erat, quando hæc verba Christus protulit. Et hanc Ecclesia retinuit, ut significaret Sacrificium illud, quod in Altari offertur, & illud, quod in Cruce oblatum est, unum, & idem esse, *Sola*, ut loquitur Concil. Trident. sess. 22. c. 2. *offerendi ratione diversa*.

SECTIO IV.

Quænam dispositiones necessariæ sint ad Sacramentum Confirmationis valide, & fructuose recipiendum, & quæ sit illius recipiendi obligatio.

1. Certum est in primis, Confirmationis Sacramentum solis baptizatis valide conferri posse. Ita S. Thom. quæst. 72. art. 6. qui dicit, characterem Confirmationis ita supponere Baptismi characterem, ut si quis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet. Et hæc communissima, & indubitata Theologorum omnium doctrina est. non modo Confirmationem, sed & alia novæ legis Sacramenta solis baptizatis valide conferri posse.

Certum est præterea, omnibus baptizatis Confirmationem valide conferri posse. Ita S. Doctor supra, & constat ex praxi Ecclesiæ primitivæ, in qua etiam infantibus simul cum Baptismo conferebatur, ut habetur ex S. Dionysio c. 2. Eccles. Hierarch. ex S. Aug. tract. 5. in Epist. 1. S. Joan. & lib. de Eccl. dogm. c. 52. Quod quamvis verum sit, monet tamen Catechismus Rom. par. 2. c. 3. *Minus expedire, ut hoc fiat, antequã pueri usum rationis habeant. Quare, si duodecimus annus expectandus non videtur, usque ad septimum certe hoc Sacramentũ differre maxime convenit. Neque enim Confirmatio ad salutis necessitatẽ instituta est, sed ut ejus virtute optime instructi, & parati inveniremur, cum nobis pro Christi Fide pugnandum esset, ad quod sane pugnæ genus pueros, qui adhuc usu rationis carent, nemo aptos judicabit.*

Cum hæc certa sint, quæritur, quænam dispositiones in adultis baptizatis necessariæ sint, ut Confirmationis Sacramentum digne, ac fructuose recipiant. Respondetur, duas præsertim requiri, Fidem scilicet, & Charitatem, seu Gratiæ sanctificantis statum. Ita S. Doctor art. 7. ad 2. & constat ex Catechismo Rom. supra, ubi dicitur, *Debere adultos, qui hujus Sacramenti Gratiam, & dona consequi cupiunt, non solum Fidem, & pietatem afferre, sed etiam graviora peccata, quæ admiserunt, ex animo dolere, imo elaborandum esse, ut peccata confiteantur, & Pastorum cohortatione ad jejunia, & alia pietatis opera suscipienda incitentur, admoneanturque, laudabilem illam antiquæ Ecclesiæ consuetudinem renovandam esse, ut non nisi jejuni hoc Sacramentum suscipiant.* Quod & similiter edicitur in Conc. Aurelian. cap. *ut jejuni*, de consecr. dist. 5.

Monet autem Isambertus disp. 5. art. 2. illi, qui peccati alicujus mortalis sibi conscius esset, ad Sacramentum hoc digne suscipiendum præmittendam esse Confessionem Sacramentalem, aut saltem perfectam de tali peccato contritionem esse concipiendam, nec attritionem, aut quemvis alium dolorem charitate minime informatum sufficere.

2. Quod

2. Quod spectat ad obligationem hujus Sacramenti suscipiendi, certum est (sicut docet S.Th.ar.8.ad 5.) gravissimum fore peccatum, si quis ex contemptu illud recipere nollet. Imo Tolet.lib.2.c.24 Sylvester verbo *Confirmatio*, & alii, quos citat Layman.cap.5. de Confirm.existimant, proxime ad contemptum accedere, si quis non curaret suscipere hoc Sacramentũ, oblata illius suscipiendi opportunitate, quam in posterum non adfuturam prævideret. Equidem Hugo de sancto Victore lib.2.de Sacram. part. 7. cap.3. dicit, omnino periculosum esse, si quem ab hac vita migrare contingat, Sacramento Confirmationis minime suscepto, quod culpabiliter suscipere neglexit; & Isambertus disp.7. art. 1. asserit, in iis locis, ubi urget, aut imminet persecutio contra Ecclesiam, teneri quemlibet adultum, si Episcopũ commode adire possit, hoc Sacramentum suscipere, ut ex illo robur, & vires ad Fidem constanter profitendam hauriat, sicut & illum, qui graves contra Fidem experiretur tentationes, quas per hujus Sacramenti virtutem se posse tantummodo superare existimaret.

Optime Catechismus Roman.supra monet, *In hoc sacramento suscipiendo neque præpropera festinatione, neque dissoluta negligentia, & cunctatione utendum esse*, &c. *& quamvis ejusmodi necessitatem nõ habeat, ut sine eo salvus quis esse non possit, illud tamen a nemine prætermitti debere, sed potius maxime cavendũ est, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis Divina munera tam large impertiuntur, aliqua negligentia committatur. Quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est.*

SECTIO V.

Quis Sacramentum Confirmationis ministrare possit, & quo ritu ministrare debeat.

1. CErtum est ex Fide, ordinarium Confirmationis Ministrum esse solum Episcopum. Ita expresse definitum est in decret. Eug. & in Concil. Trident. sess. 7. can. 3. de Confirmatione, & jam antea in Conc. Constantiensi sess. 8. error huic veritati oppositus inter Vvicleffi articulos damnatus est. Et confirmari potest ex cap. 8. Act. ubi dicitur, Sanctos Petrum, & Joannem Samariam venisse, ut baptizatis manus imponerent, quo ex loco Innocentius I. Ep. 29. ad Decentium infert, non ab alio, quam ab Episcopo Confirmationis Sacramentum esse conferendum.

Docet tamen S. Thom. art. 11. ad 1. ex commissione, seu delegatione Summi Pontificis Confirmationis Sacramentum posse a simplici Sacerdote ministrari; quod etiam probat ex facto S. Gregorii Magni, qui, cum accepisset, Sardiniæ Presbyteros solere baptizatis dare Confirmationem, id eos in posterum facere prohibuit, ut habetur lib.3. registri, Ep.9. at cum ex hac prohibitione sua comperisset,

scan-

scandalum aliquod in populo exortum fuisse, ut id facerent, postea concessit, ut constat ex Epist.27.ejusdem libri. Et in decret. Eug. expresse dicitur, *Per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili, & urgenti admodum causa, simplicem Sacerdotē Chrismate per Episcopū confecto hoc Sacramentum Confirmationis aliquando administrasse.*

Ex quibus Concilii verbis colligitur, quod, quamvis simplex Sacerdos ex dispensatione Summi Pontificis possit extraordinarie Cōfirmationis Sacramentum conferre: non potest tamen sacrum Chrisma conficere, sed hoc semper ex perpetua Ecclesiæ praxi Episcopo soli reservatum fuit, ut docet, & probat Isambertus disp. 2. art. 6.

2. Quod spectat ad ritum hujus Sacramenti, præter ea, quæ illi ex institutione Divina essentialia sunt, Ecclesia ad majorem suscipientium devotionem excitandam quasdam præscripsit cæremonias in ejus administratione, ac susceptione observandas.

Prima est, ut adsit susceptor, seu Patrinus, qui confirmandum offerat Episcopo ratione cujus susceptionis contrahitur spiritualis affinitas simills illi, de qua in Baptismo dictū est. Est autem hæc cæremonia antiquissima, ut constat ex variis Conciliorum, Pontificūque decretis, quæ citantur a Gratiano, ac præsertim ex can. *Si quis*, dist. 30. qu. 1. in quo præcipitur, ut viri, qui filios proprios in Confirmatione tenuerint, quoad usum thori, separentur ab uxoribus, propter affinitatem scilicet spiritualem, quam contraxerūt, & diversa ratione can. *Dictum est* ibid. quibusdam fœminis, quæ fraudulenter filios proprios in Confirmatione tenuerant, ut eo prætextu a viris separarētur, injūgitur quidem pœnitentia, prohibetur tamen, ne a viris separentur.

Secunda cæremonia est, ut preces quædam solemnes ab Episcopo super confirmandis recitentur, idque ut Divinum auxilium in actione tanti momenti tum pro se, tum pro illis invocet, eosque ad mentem in Deum elevandam, pietatisque, ac devotionis sensum aliquem concipiendum excitet.

Tertia est, ut Episcopus genā cujusque confirmati percutiat, eique alapam leviter infligat, ut is intelligat, se ad probra, verbera, & quæcunque alia pro Christo patienter perferenda paratū esse debere, & ad hoc specialem Gratiā vi., & efficacia hujus Sacramenti accepisse.

Quarta in eo consistit, quod confirmato pax ab Episcopo detur, ut agnoscat, hunc esse Christianæ patientiæ fructum, & post Fidem in bellis, ac certaminibus hujus vitæ servatam, æternam illi, ac beatam pacem in cœlo esse repositam.

Quinta denique in eo consistit, ut Confirmati frons fascia ligetur, tum ne sacrum Chrisma casu aliquo profanetur, tum etiam ut significetur, Gratiam in Confirmatione acceptam sollicite, ac sedulo effectu esse custodiendam.

Monet autem Bellarmin. lib. 2. de Confirm. c. 13. morem cujusque Ecclesiæ in hac cæremonia servandum esse. Quibusdam enim

nim in locis ad septem dies fascia illa in fronte retinetur, in aliis ad tres tantum, alicubi etiam frons confirmati confestim post susceptam Confirmationem a Sacerdotibus extergitur.

3. Observat etiã Gammachæus capite 10 de Confirm. quod, si quis nomen profanum aut ridiculum gerat, possit illud mutare in Confirmatione, quæ scilicet est complementum & perfectio Baptismi. Addit etiam, Episcopũ non debere alienis diœcesanis, absque proprii Episcopi consẽsu, Confirmationis Sacramentũ administrare, nisi forte invaluerit contraria cõsuetudo, de qua nullus Episcopus cõqueratur.

CAPUT QUARTUM.

De SS. Eucharistiæ Sacramento.

SECTIO I.

Quo nomine sanctissimum hoc Sacramentum nuncupetur.

1. CUm in sanctissimo hoc Sacramento mirabilium suorũ memoriam fecerit Dominus (ut olim pronũciavit Propheta Regius Psalm 110.) illicque non modo sapientiæ, ac scientiæ, sed & potestatis, misericordiæ, charitatis, ac reliquarum Divinarum perfectionum thesauros omnes recõdiderit; minime mirum est, si nullum singulare nomen excogitari potuit, quod excellentiã illius infinitam exprimeret, sed varia, & diversa vocabula passim a SS. Patribus adhibita reperiantur, quibus tanti mysterii dignitas utcunque adumbraretur.

Aliquando enim vocatur *Sacramentũ corporis, & sanguinis Christi*, ex S. Aug. lib. de Trinit. cap. 4. ab ipsa re, quam in se continet, aliquando *Sacramentum altaris*, a loco, in quo conficitur, ex eodem S. August. Epist. 30. aliquando *Sacramentum Fidelium*, ab iis, quorum gratia institutum est, ex sancto Augustino serm. 2. de verb. Apostoli cap. 1. aliquando *Panis supersubstantialis*, ex S. Cypr. lib. de Cœna Domini, *Panis*, ob accidentia exteriora, quibus tegitur, *supersubstantialis*, propter Divinam, vivificamque virtutem, quæ ipsi inest, aliquando *Communio*, propter unionem perfectam, & ineffabilem, quam inter Christum Dominum, ut caput, & Ecclesiæ Fideles, ut ejus membra, efficit, ex S. Damasc. lib. 4. Orthod. Fidei cap. 14. aliquando *Sacra Synaxis*, propter religiosum Fidelium conventum in solemni hujus Sacramenti celebratione fieri solitum, ex eodem S. Damasc. ibid. aliquando *viaticum*, eo quod illius virtute in hujus vitæ peregrinatione, & præsertim in ultimo ad æternitatem transitu sustentamur, ut in Concil. Nicæn. I. can. 13.

2. Sed præ cæteris usitatissimum in Ecclesia est nomen *Eucharistiæ*, quod significat bonam Gratiam, vel Gratiarum actionem, idque aptissimum

simum ad designandum; nos in hoc Sacramento Gratias uberrimas, imo ipsum Gratiarum fontem in nobis recipere, & per id Sacramentum acceptissimas Deo gratias posse referre, ut dicitur in Catechismo Rom. part. 2. cap 4.

Sive igitur Eucharistia sive quovis alio nomine ex iis, quæ supra explicata sunt, appelletur, intelligitur Sacramentũ illud, quod a Christo Domino in cœna ultima institutum est, in quo sub speciebus panis, & vini vere, realiter, ac substantialiter ejusdem Christi corpus, & sanguis continetur, ut in Concil. Trident sess. 13. can. 1. & 2. expresse definitum est, quod plenius constabit ex iis, quæ Sect. seqq. dicenda sũt.

SECTIO II.

In quo proprie consistat Eucharistiæ Sacramentum.

1. Supponimus tanquam certum ex Fide, Eucharistiam esse verũ, & proprie dictum Sacramentum a Christo Domino institutũ, quod nullus negavit Hæreticorum, qui Sacramenta aliqua novæ legis agnoverunt. Et hæc veritas non modo in Conc. Trident. sup. sed etiam in Concil. Carthag. III. can. 2. in Concil. Lateran. c. *firmiter* de Sum. Trinit. & Concil. Florent. in decret. Eug. definita est.

Hoc præsupposito, quæritur, in quo proprie consistat hoc Eucharistiæ Sacramentum. Cum vero quatuor præsertim in illo spectari possint, scilicet consecratio, Corpus & Sanguis Christi, species consecratæ, & usus, sive sumptio Sacramenti, ex quibus primum, & quartum in actione aliqua transeunte consistunt, secundum vero, & tertium in re permanente: Hæretici hujus temporis contendunt, hoc Sacramentum non in re permanente, sed in actione transeunte consistere, Calvinus quidem in solo illius usu, & sumptione, Kemnitius autem tum in sumptione, tum etiam in consecratione ipsius, ut videri potest apud Bellarminum lib. 4. de Euch.

Huic errori opposita est Catholicæ Fidei veritas, quæ docet, Sãctissimum Eucharistiæ Sacramentum in re aliqua permanẽte cõsistere, & sic Corpus Christi Dõini post verba consecrationis prolata realiter existens sub speciebus panis esse vere, & proprie Sacramentum, sive sumatur, sive in Sacrario servetur, sive ad ægros, aut alia de causa publice deferatur. Ita expresse definitum est in Concil. Trident. sess. 13. cap. 5. & 6. & can. 4. & 7. & probatur fuse a Bellarmino l 4. de Euch. cap. 4. ex antiquissimo ritu servandi Sacram Eucharistiam, eamque cum honore, & reverentia ad ægrotos deferendi, qui semper in Ecclesia fuit religiosissime observatus.

Cum igitur ex Fide constet, Sacramentum hoc in re permanente consistere, dubitatur inter Doctores, num in solo Christi corpore sub speciebus contento, num in solis speciebus, num in utroque simul Sacramenti hujus ratio proprie consistat.

2. Vera,

2. Vera, & ab omnibus communiter recepta est illorum sententia, qui dicunt, consistere tam in speciebus cōsecratis, quā in Christi corpore sub iis existente, proindeque Sacramētum Eucharistiæ esse veluti quid compositū ex speciebus consecratis, & Corpore, ac Sanguine Christi Domini. Ita S. Doctor in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 1. cui communiter alii Theologi subscribunt. Et probatur ex c. *Hoc est*, de consecrat. dist. 2. ubi dicitur, hoc Sacramētum *constare duobus, visibili elementorum specie, & invisibili Christi carne, & sanguine, veluti Persona Christi constat ex Deo, & homine*. Deinde ex eo, quod Concil. Trident. sess. 13. cap. 1. dicit, in Eucharistiæ Sacramento vere contineri Corpus, & Sanguinem Christi; unde infertur, aliquid aliud ab ipso Christi corpore, & sanguine ad rationem Sacramenti pertinere, nimirum species, & accidentia, sub quibus continetur.

Ex dictis colligitur Sacramentum Eucharistiæ ab aliis sex Sacramentis in eo præsertim differre, quod alia Sacramenta in actione aliqua transeunte consistant, scilicet in applicatione formæ ad materiam (nec proinde existant, nisi cum actu conferuntur, & suscipiuntur) at vero Sacramentum Eucharistiæ in re aliqua permanente consistat, ut explicatum est.

Sunt & aliæ inter Eucharistiā & alia Sacramenta differentiæ, quæ ex infra dicendis facilius intelligentur, inter quas hæc minime prætermittenda est, quod Eucharistiæ Sacramentum sit omnium aliorum Sacramentorum nobilissimum, & excellentissimum. Unde sanctus Dionysius c. 3. de Eccl. Hier. dicit, *Ad hoc Sacramentum tanquam ad suum finem Sacramenta alia omnia ordinari*, & in Catech. Rom. asseritur, *Hoc Sacramentum, quantum ad bonorum affluentiam, se habere ad reliqua, sicut se habet fons ad rivulos*.

SECTIO III.

Quænam sit materia Eucharistiæ conficiendæ.

1. NOmine materiæ in Sacramento Eucharistiæ intelligitur id, ex quo secundum Christi Domini institutionem conficitur ipsum Sacramentum, seu res illa, quæ per verba consecrationis in ipsius Christi Domini corpus convertenda est.

Est autem certum ex Fide, solum verum panem, & solum verum vinum ex vite esse aptam, & idoneam hujus Sacramenti materiam: Id constat ex sanctis Evāgelistis S. Matth. 26. S. Marc. 14. S. Luc. 22. qui unanimiter dicunt, Christum Dominū, in instituēdo hoc Sacramento, verum panem, & verum vinū adhibuisse, & postea præcepisse Discipulis suis, ut hoc facerent, quod ipse fecerat, proinde ut verum panem, & verum vinum de vite ad Sacramentum hoc conficiendum assumerent. Id præterea definitum habetur in Conc. Later. c. *firmiter*.

in

in Concil. Flor in decret. Eug. & in pluribus aliis Conciliis, quorum canones fuse citantur a Gratiano dist. 2. de consecr.

Cum igitur id certum sit, ad majorem tamen hujus veritatis elucidationem observationes hic aliquæ faciendæ sunt.

2. Prima est. solum panem ex frumento, seu tritico *confectum* esse sufficientem, & aptá hujus Sacramenti materiam. Ita S. Doct. quæst. 74. art 3. & cõstat ex dec. Eug. in quo expressis verbis habetur, *Eucharistiæ materiam esse panem triticeum. & vinũ de vite.* Ex quo sequitur, panem ex hordeo, avena, aut aliis similibus granis a tritico specie diversis nõ esse idoneam hujus Sacramenti materiã. Imo recte monet Isambertus ad quæst. 74. disp. 1. ar. 4. panẽ ex siligine confectum (vulgo *pain de seigle*) non esse adhibendum ad conficiendam Eucharistiã. Quamvis enim aliqui existiment, siliginem specie non differre a tritico, quia tamen alii contrariũ sentiunt, aut saltem de ea re dubitant, recte docet, pro confectione hujus Sacramenti assumendam non esse materiam dubiam sed tantum certam qualis est panis pure triticeus.

Quod si panis fiat partim ex tritico partim ex siligine, hordeo, vel aliis ejusmodi granis, tunc videndũ erit, an grana illa specie a tritico diversa in tã modica quantitate adhibita sint, ut panis secundum cõmunem æstimationem triticeus cẽseri possit, vel in tã magna, ut talis minime censeatur. In primo casu erit materia sufficiẽs cõsecrationis, in secundo non erit. Est tamen semper optimum, & reverentiæ huic Sacramento debitæ convenientissimum, ut panis consecrãdus ex puro tritico, sine ulla granorum quorumvis admistione, conficiatur.

3. Secunda est, ad consecrationis validitatem requiri, ut panis ille triticeus sit coagmentatus ex aqua elementari, & calore ignis concoctus, non vero frixus, aut elixus. Unde neque massa farinæ nondum igne cocta, neque panis ille, qui ex melle, aut butyro esset coagmentatus, aut frixus, vel elixus (qui non jam panis, sed potius placenta dici deberet) sufficiens hujus Sacramenti materia esse censetur, ut pluribus probat Isambertus a. 6.

Tertia est, panem fermentatũ ad validitatem hujus Sacramẽti sufficere, in decreto tamen Eugenii constitutũ fuisse, ut quilibet Sacerdos Eucharistiam in pane sive fermentato, sive azymo conficiat, juxta consuetudinem Ecclesiæ suæ. Unde sequitur, Sacerdotem Græcum in Græca Ecclesia pane fermentato, Latinũ vero in Ecclesia Latina non nisi azymo uti debere. Quod quidem præceptum de pane azymo tantummodo ad conficiendam Eucharistiam in tota Ecclesia Latina adhibendo adeo stricte obligare asserit idem Isambertus a. 5. ut ne in casu quidem necessitatis existimet, Sacerdotem Latinum in pane fermentato consecrare licite posse, quod probat ex capite *finali* extra de celebrat. Missarum, ubi Sacerdos, qui in pane fermentato consecrat, punitur Officii depositione, & amissione Beneficii, quamvis excusationem necessitatis prætexeret.

4. Quar-

4. Quarta est, in vino adhuc cõtento in uvis, aut in vino, seu liquore ex uvis nondũ maturis expresso (quod agresta, seu omphacium vocatur) consecrationẽ Dominici sanguinis valide fieri non posse, sicut nec in aceto, aut vino decocto, quod defrutum dicitur. Ita S. Thom. art.5. ad 2 & 3. Et ratio est, quia hæc omnia propriam vini rationem non habent, ut per se patet, & expresse declaratur in Rubricis Missalis; ubi etiam dicitur, quamvis consecratio valide fiat in musto, seu vino recenter ex uvis cum fæcibus expresso, aut in vino acescente, non tamen penitus acido, id tamen reverentiæ Sanctissimo huic Sacramento debitæ repugnare, proindeque sine gravi peccato fieri non posse, quod etiam affirmat S. Doctor loco citato.

De vino autem congelato quamvis quidam Theologi existiment, quandiu congelatum remanet, nõ esse idoneam cõsecrationis materiam; Sylvester tamen, Sotus, & alii, quos citat, & sequitur Suarez, disp.25. sect. 1. affirmant, ejusmodi vinum congelatum valide consecrari posse; quamvis ad majorem decentiam, & scrupulos evitandos sit consultius (ut ibidem monet Suarez) vel aliud vinum adhibere, vel vinum congelatum adhibitis pannis calidis, aut admoto igne, liquefacere, ut sic convenientius possit consecrari, quod quidem Rubricæ Missalis faciendum esse præscribunt, si post consecrationem vinum congeletur, ut a Sacerdote celebrante sumi possit.

Quinta est, aquam vino permiscendam esse ante consecrationem; quod semper in Ecclesia observatum fuisse, testantur Ss. Patres, qui fuse a Gratiano citantur dist. 2. de consecrat. idque ex professo probat S. Cypr. Epist.63. ad Cæcilium, & præterea definitum habetur in decret. Eugen. & in Concil. Trident. sess. 22. can. 9.

Monet autem S. Doctor art. 8. aquam illam in modica quantitate vino permiscendam esse, ita ut species vini non solvantur, sed potius ipsa aqua in vinum convertatur, & sic in vinum conversa consecretur.

5. Quæres, an hæc permixtio aquæ sit de essentia consecrationis. Respondetur, non esse, sicut docet expresse Catechismus Rom. c. 4. ubi dicit, sine tali permixtione Sacramentum constare posse, & in Conc. Trid. sess. 22. c. 7. dicitur, id ab Ecclesia præceptum esse Sacerdotibus; unde sequitur, non esse ex institutione Divina necessarium.

Sexta denique est, materiam illam sive panis, sive vini Sacerdoti celebranti moraliter debere esse præsentem, ita ut aliquo sensu, puta visu, vel tactu deprehendi possit, ut valide ab ipso consecretur. Ita ex communi Theologorum consensu Isambertus ad quæst. 74. disp. 5. art. 1. & constat ex verbis ipsius consecrationis, quæ materiam illam Sacerdoti consecranti præsentem esse significant, ut ex dicendis sequenti sectione facilius intelligetur.

Hinc sequitur (ut idem Isambertus observat) quod, quando cumulus aliquis formularum, seu hostiarum coram Sacerdote in Altari expo-

exponitur, possint omnes ab illo valide consecrari, quamvis nec videat, nec tangat singulas, quia singulæ censentur illi moraliter præsentes eo ipso, quo continentur in cumulo illo, quem videt, aut tangit; & similiter dicendum, si formulæ illæ consecrandæ sint quidem Sacerdoti proximæ, sed velo aliquo coopertæ, aut Pyxide inclusæ, quia ratione sui continentis moraliter censentur esse præsentes.

6. Requiritur præterea, ut materia non solum sit moraliter præsens, sed etiam ut per intentionem consecrantis sit determinata, id est ut formã consecrationis proferendo intẽdat facere, quod facit Ecclesia circa hanc determinatam materiam. Ita ex communi Doctorũ consensu docet Isambertus ar. 2. Ex quo sequitur, ut si Sacerdos coram se centũ formulas habens intendat solum consecrare quinquaginta, eas nullatenus designando, aut determinando, tunc nullã illarum consecrare censeatur. Secus est, si putans solummodo esse quinquaginta, super cumulum illarum verba consecrationis proferat. Tunc enim, cum nullas excludat, censetur omnem cumulum velle consecrare, & quamvis in æstimatione numeri decipiatur, non tamen in intẽtione, quæ (ut supponimus) super cumulum illum sibi præsentem fertur.

Quare ad scrupulos devitandos tutius est, ut semper Sacerdos consecrare intendat formulas omnes sibi appositas, quamvis earum numerum nesciat. Illius enim primæ intentionis virtute consecrantur omnes, etiamsi quando ipsius formæ verba profert, de illis actu non cogitet, sed ad eam, quam præ manibus habet, solummodo attendat, ut monet idem Isambertus supra.

SECTIO IV.

Quæ sit forma ad consecrandam Eucharistiam requisita, & quis verus, & proprius verborum illius sensus.

1. DOcet S. Thom. q. 78. art. 1. formam ad Sacramentum hoc conficiendum requisitam in eo consistere, ut Sacerdos eadem verba super materia panis, ac vini proferat, quæ a Christo Domino illud instituente, panemque in corpus suum, ac vinum in sanguinem convertente prolata sunt, nimirum super pane, *Hoc est Corpus meum*, & super vino, *Hic est calix sanguinis mei*, &c. Quibus verbis ex Ecclesiæ Romanæ consuetudine a S. Petro Apostolo derivata (ut observat idem S. Doctor art. 2. ad 5.) interseritur hæc conjunctio *enim*, quæ non est de formæ hujus necessitate, sed tantum ut verba ipsius consecrationis faciliori sensu cum antecedentibus cohæreãt.

Hæc autem doctrina expressis verbis traditur in Decret. Eug. & in Catechismo Rom. part. 2. c. 4. & huic etiam subscripserunt unanimiter Ss Patres, ut S. Greg. Niss. orat. catech. c. 37. ubi dicit, quod *Panis sanctificatur a verbo (sicut dictũ est) transmutatus nẽpe ab isto, Hoc est corpus meum*. Tertul. lib. 4. contra Marcionem, *Panem*, inquit, *acceptum*

psum Christus fecit corpus suum, dicendo, Hoc est Corpus meum. & S. Amb. lib. 4. de Sacram. c. 4. *Consecratio*, inquit, *fit verbis Domini, & ubi ventum est, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed Christi sermonibus utitur*.

2. Confirmari potest eadem doctrina ex antiqua universalis Ecclesiæ praxi, quæ statim post prolationem supradictorum verborum ostendit venerabile Sacramentum populo adorandum, ut videre est in Canone Missæ, quem multis ante sæculis ab ipsa Ecclesia institutum esse, declarat Conc. Trid. sess. 22. cap. 4. Unde sequi docet Gammachæus ad q. 78. c. 2. hanc doctrinam esse de Fide, nec sine Hæresi negari posse; qui etiam c 2. observat, non omnia verba, quæ in consecratione sanguinis proferri solent, ad formæ substantiam pertinere, sed tantummodo ista, *Hic est calix Sanguinis mei*; alia vero, quæ sequuntur, esse tantum de necessitate præcepti, proindeque absque gravi peccato omitti non posse; quamvis si omitterentur, nihilominus consecratio ipsius sanguinis valide conficeretur, quod etiam ante illum docuerunt Magister sentent. S. Bonavent. Albertus, Alensis, Joannes Major, & alii, quos ibidem citat.

Quod spectat ad verum, & proprium illorũ consecrationis verborum sensum, quæres 1. an debeant intelligi recitative tantum, seu materialiter, an vero significative, seu formaliter, seu an Sacerdos verba illa proferat animo solum referendi verba ab ipso Christo in hujus Sacramenti institutione usurpata, an etiam animo exercendi significationem illorum, & consecrandi, seu convertendi panem, & vinum in Corpus, & Sanguinem ejusdem Christi.

Respondetur cum S. Doct. utroque modo proferri, recitative quidem, ut constat ex his verbis Canonis, *Qui pridie, quam pateretur, accepit*, &c. quibus Sacerdos narrat, quid Christus Dom. in hujus Sacramenti institutione fecerit, & dixerit; proferri vero etiam significative, præter Sanctum Thomam, docent Alensis, S. Bonavent. Sotus, & alii apud Suarez disp. 58. sect. 4. & colligitur ex eo, quod in decr. Eug. declaratur, Sacerdotem in persona Christi loquentem hoc conficere Sacramentum, non loqueretur autem in persona Christi, si tantum narraret, & recitaret id, quod dixit Christus.

3. Quæres 2. quid in illis verbis consecrationis proprie significet pronomen *Hoc*, & *hic*.

Longum, & superfluum esset referre omnes Hæreticorum opiniones de significatione pronominis illius. Nam, ut observat Greg. a Valentia, octoginta, & amplius interpretationes absurdissimæ, & falsissimæ in eorum libris reperiuntur. Variæ quoque sunt Doctorum Catholicorum explicationes, qui tamen in eo ab Hæreticis differũt, quod hi licet inter se divisi, & male cohærentes, conveniant nihilominus in rejicienda, & deneganda transubstantiatione panis, & vini in Christi corpus & sanguinem, illi vero eam constanter asserant,

vim significativam solummodo habent, & earum, quæ habent vim effectivam, quod illæ supponant rem, quam enunciant jam esse, hæ vero illam efficiant. Unde ad veritatem formæ consecrationis, per quam v. g. corpus Christi ponitur sub speciebus panis, sufficit, quod eadem duratione reali, qua significatio ejus completur, res per eam significata, & enunciata talis a parte rei fit, qualis esse significatur, & enunciatur; quod cum in forma illa reperiatur, ut constabit ex dicendis Sectione sequenti, hinc sequitur, illam veram esse.

Quæres 5. & ultimo, quo sensu intelligi debeant Verba, quæ ad consecrationem sanguinis Christi Domini adhibentur. *Hic est calix sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

6. Jam diximus, non omnia illa verba esse de essentia consecrationis, sed hæc tantum, *Hic est Calix sanguinis mei*. Ea vero, quæ sequuntur, per traditionem a S. Petro Apost. qui Romanæ Liturgiæ auctor fuit, accepta esse docet Leo IX. in Epist. ad Michaelem Imperatorem c. 9. & S Th. art 3. fuisseque addita verbis essentialibus formæ ad expressius significandam virtutem ipsius sanguinis Christi, qui quidem, ut explicat S. Doctor, pro nobis effusus est. Primo ad conferendum nobis jus hæreditatis, juxta illud Hebr. 10. *Habentes fiduciam in introitu Sanctorũ in sanguine Christi*, & ad hoc exprimendum, dicitur, *novi, & æterni testamenti*. Jus enim ad hæreditatem per testamentum acquiritur. Secundo ad justificationem, & sanctitatem conferendam, cujus initium, fundamentum, & radix est Fides, ut loquitur Conc. Trid. sess. 6. cap. 8. & ideo subditur, *Mysterium Fidei*. Tertio ad amovenda ipsius gloriæ, & justificationis impedimenta, scilicet peccata, juxta illud Hebr. 9. *Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*, & quantum ad hoc subjungitur, *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. *Pro multis*, id est pro omnibus, quantum est ex parte ipsius Christi, ut explicant Euthymius, & Theophylactus apud Maldonatum supra: vel, *Pro multis*, id est pro solis prædestinatis quantum ad fructum, & efficaciam, prout a nobis explicatum est priori hujus Operis parte tract. 5. cap. 1. Sect. 6. *Effundetur*, vox Græca in tribus Evangelistis Matthæo, Luca, & Marco est præsentis temporis, significatque effundi sanguinem, id est offerri, seu libari in ipso Missæ Sacrificio. Versio tamen communis, quæ est futuri temporis, refertur ad effusionem illam sanguinis, quæ in cruce futura erat, quando hæc verba Christus protulit. Et hanc Ecclesia retinuit, ut significaret Sacrificium illud, quod in Altari offertur, & illud, quod in Cruce oblatum est, unum, & idem esse, *Sola*, ut loquitur Concil. Trident. sess. 22. c. 2. *offerendi ratione diversa*.

padius, Bollingerus, aliique recentiores Sectarii, quorum agmen clausit Calvinus, cum suis asseclis, qui omnes licet inter se discordes, in eo tamen conveniunt, quod Christi Domini corpus realiter in Eucharistiæ Sacramento esse negent.

2. Prob. igitur nostræ Fidei veritas, & simul errores oppositi refelluntur 1. auctoritate Script. S. Jo. 6. ubi Christus Dominus de institutione hujus Sacramenti a se facienda sic loquitur, *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Deinde S. Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22. Christus Dom. hoc Sacramentum instituens apertis, & expressis verbis dixit, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Unde sic argumentari possumus, Christus Dom. Eucharistiæ Sacramentum instituens dedit in cibum id, quod se daturum ante promiserat; atqui in citato S. Joannis loco promiserat, se daturum in cibum, nõ figuram corporis sui, sed ipsummet corpus; ergo dicendum est, vere corpus suũ dedisse, proindeq; ipsum Christi Dom. corpus vere, & realiter in Sacramento Eucharistiæ existere. Quod autem verba illa ex S. Jo. relata de corpore Christi non figurate, sed vere ac realiter in cibum dando intelligenda sint, constat ex unanimi SS. Patrum consensu. Ita enim hunc locum de vera, & reali corporis Christi Domini sumptione in Sacramento Eucharistiæ interpretati sunt SS. Basilius, Gregorius Nissen. Chrysostomus, Cyrillus, Epiphanius, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Prosper, Leo, Damascenus, Bernardus, & alii, quorum testimonia fuse refert Maldonatus in cap. 6. S. Joannis.

Prob. 2. auct. duorum Conciliorum generalium, primi scilicet, & ultimi, scilicet Nicæni, & Trident. In illius siquidem actis (ut refert Bellarm lib. 2. de Euchar. c. 10.) hæc habentur, *Fide intelligamus situm in sacra illa mensa Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruente a Sacerdotibus immolatum; & pretiosum ipsius corpus, & sanguinem vere nos sumere, credentes hæc esse nostra resurrectionis Symbola.* In Tridentino autem sess. 13. cap. 1. *Docet sancta Synodus, & aperte, ac simpliciter profitetur, in almo Sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis, & vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum, atque hominem vere, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem, ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens, sua substantia nobis adsit ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per Fidem illustrata assequi possumus, & constantissime credere debemus.*

3. Prob. 3. ex SS. Patribus, qui fuse citantur a Bellarmino toto lib. 2 de Euch. ubi consentientem illorum per omnes Ecclesiæ ætates doctrinam ostendit. Illustriora aliquot testimonia hic proferemus.

 S. Cy-

ristiam vocari signum corporis Christi, non quod Christi corpus ibi realiter non sit, sed quia ibi modo quodam invisibili, sub speciebus tamen sensibilibus panis tanquam sub signo visibili existit.

Ad 2. respondetur, S. Augustinum verbis in objectione citatis metaphorice loqui de manducatione spirituali doctrinæ Divinæ, quæ fit per Fidem, ut ex toto ejus contextu facile colligi potest: vel, si de ejus Sacramenti manducatione loquatur, docere tantum illum voluisse, realem corporis Christi in hoc Sacramento manducationem tunc solummodo esse fructuosam, quando spiritali per Fidem manducationi conjuncta est.

Objiciunt 3. possibile non esse, Christum totum in tam parva hostia, imo in illius minutissima particula realiter contineri, simul in cœlo, & in tot locis super terram realiter adesse, ejus majestatem dedecere dentibus manducantium frangi, & conteri, imo a bestiis posse devorari, ab igne comburi, pedibus conculcari, &c.

Ad hæc & similia argumenta breviter respondetur, ista videri posse impossibilia, & indecentia iis, qui Dei potestatem incomprehensibilem, & inexhaustam bonitatem, ac (ut Apostoli verbis utamur Ephes. 2.) *nimiam charitatem* ignorant. Fideles vero, qui firmiter credunt S. Luc. 1. *non esse impossibile apud Deum omne verbum*, ut testatus est Angelus, firmissime etiam sibi persuadent, realem illam Christi præsentiam in hoc Sacramento tam expressis Divinæ veritatis testimoniis assertam, Deo possibilem esse, licet possibilitatis illius modum ignorent. Credunt etiam, nihil in illo Sacramento infinitam ejus bonitatem dedecere, neque manducatione, aut quavis alia hujus Sacramenti attrectatione corpus Christi gloriosum dehonestari, sicut nec Solis radius inficitur ex cœno, in quod illabitur, nec ex speculi, aut crystalli ab eo illustrati fractione violatur.

6. Porro ad has & similes Hæreticorum objectiones solvendas, observandum est, hujus Sacramenti veritatem nõ ratione humana, sed sola Dei auctoritate inniti, proindeque ut certo cognoscatur, nõ ratiocinium humanum, sed Divinum Oraculum esse tantummodo cõsulendum, videndum, quid asserat Sacra Scriptura, non ut ab Hæreticis in cõtrarias falsas interpretationes distorquetur, sed ut ab Ecclesia universa, & a Ss Patrib. unanimi consensu intelligitur. Præterea notandum est, Ss. Patres aliquando non aperte, & clare, sed ambigue, & obscure de hoc Sacramento locutos fuisse, ac religiosa quadã præcautione illius notitiam occultare voluisse tũ Catechumenis, ne ex ea scandalũ aliquod paterentur, tum Infidelibus, inter quos degebãt, ne tam pretiosam margaritam ante porcos projicerent, præsertim cũ inter Fideles nulla tunc circa hujus Mysterii veritatem difficultas, aut dubitatio suborta esset. Unde S. Athan. in 1. Apol. de fuga sua, *Nõ est*, inquit, *fas Mysteria nõ initiatis prodere, ne Ethnici nõ intelligentes derideant, aut Catechumeni curiosiores facti scandalizentur*.

§. II.

De Transubstantiatione, seu conversione totius substantiæ panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi Domini.

1. FIdes Catholica docet, non modo corpus, & sanguinem Christi Domini realiter in Sacramento Eucharistiæ sub speciebus panis, & vini existere, ut supra probatum est, sed præterea nihil substantiæ panis, & vini in eo remanere, totamque panis, ac vini substantiam transmutari, & converti in substantiam corporis, & sanguinis Christi Domini; quod Conc. Trid. sess. 13. cap. 4. explicavit simul, & definivit his verbis: *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus, quæ conversio convenienter, & proprie a Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata.* Huic veritati multiplices opponuntur errores, quos hic breviter recensere non erit inutile, ut evidentius fiat, quid in hoc Mysterio credi, quidve repudiari debeat.

Quidam igitur, ut refert Bellarm. lib. 3 de Euchar. cap. 11. attendentes ad modum transmutationum substantialium, quæ naturaliter fiunt, in quibus una tantum pars substantialis compositi, nempe forma transmutatur, materia prima immutabili permanente, similiter opinati sunt, in hoc Sacramento solam panis substantialem formam per consecrationis verba mutari, materiam vero panis remanere, & ab anima Christi informari. Alii e contrario existimaverunt, solam panis materiam mutari in corpus Christi, remanente forma substantiali ejusdem panis. Alii arbitrati sunt, panem in Eucharistia hypostatice assumi a Verbo Divino, eodem prorsus modo, quo natura humana ab illo assumpta est. Alii censuerunt, substantiam corporis Christi, & substantiam panis simul in Eucharistia commisceri. Lutherus denique lib. de captivit. Babyl. cap. de Eucharistia, docuit, non esse articulum Fidei, quod substantia panis maneat, vel non maneat simul cum Christi corpore in Eucharistia, at utrumque sine hæresis periculo posse defendi, sibi tamen videri probabilius, & scripturis conformius, quod in hoc Sacramento panis substantia maneat simul cum ipso Christi corpore.

2. Refelluntur hi errores, & Catholicæ Fidei veritas de Transubstantiatione panis, & vini in Christi Domini corpus, & sanguinem probatur 1. ex auctoritate Ecclesiæ, quæ id expresse, & aperte declaravit tum in Concil. Trident. supra relato, tum etiam antea in Concil. Later. sub Innoc. III. cap. *Firmiter* de Sum. Trin. ubi definitum

tum habetur, *In Sacramento altaris corpus, & sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini veraciter contineri transubstantiatis pane, & vino in corpus, & sanguinem*, & in Concil. Rom. sub Nicolao II. ubi Berengarius iterum hæresim suam abjurans, profitensque Fidem Catholicam, sic loquitur, *Corde credo, & ore confiteor panem, & vinum*, &c. *substantialiter converti in veram, ac propriam, & vivificatricem carnem, & sanguinem Christi Domini*.

Probatur 2. ex SS. Patribus, qui id unanimi consensu asserunt, ut S. Gregor. Nissen. orat. Catech. cap. 17. *Dei verbo*, inquit, *sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo transmutari*, ibidemque subdit, naturam panis, & vini *transelementari in corpus, & sanguinem Christi*. S. Cyril. Alexand. Epist. ad Calosyrium dicit, panem in altari oblatum *in veritatem propriæ carnis a Christo converti*. S. Damasc. lib. 4. de Fide cap. 14. asserit, in hoc Sacramento panem, & vinum *modo mirabili in Christi corpus, & sanguinem converti*. S. denique Ambr. de initiandis cap. 9. ipsam panis, & vini transmutationem in corpus, & sanguinem Christi Domini fuse explicat, & variis tum rationibus, tum exemplis probat, quæ apud illum utiliter legi possunt.

Objiciunt 1. Hæretici, Eucharistiam vocari in Scripturis panem, ut 1. Corint. 10. unde inferunt, panis substantiam simul cum Christi corpore in Eucharistia remanere, alias falso panis diceretur.

Respondetur, vocari panem, vel quia exteriorem figuram, & alia panis accidentia retinet, sicut Gen. 18. Angeli vocantur viri, quia exterius tales esse videbantur, licet realiter tales non essent; vel quia ante consecrationem vere panis fuit, ideoque panis dicitur, quamvis amplius non sit, sicut in Scripturis res quædam post mutationem in ipsis factam eodem plerumque nomine vocantur, quo antea vocabantur, ut Exod. 7. virga Moysis in serpentem substantialiter mutata adhuc tamen appellatur virga.

Objiciunt 2. verbum *Transubstantiationis* non reperiri in Scriptura.

Respondetur, neque etiam in illa reperiri verbum *Consubstantialis*, quod Concilium Nicæn. I. ad Christi Domini naturam Divinam explicandam usurpavit, neque ullum tamen Catholicum de veritate per verbum illud significata dubitare. Si igitur Ecclesia in Concilio illo sanctissime, ac summa cum ratione id fecit, cur eadem Ecclesia in Concilio Later. Florent. & Trident. ad Eucharistiæ veritatem expressius significandam, & ab erroribus vindicandam, idem præstare non potuit?

§. III.

§. III.

Explicantur quædam difficultates circa transsubstantiationem panis, & vini in Christi Domini corpus, & sanguinem.

1. PRima est, quid sit proprie illa transsubstantiatio, & quomodo intelligi debeat. Omissis variis, & prolixis super hac difficultate Theologorum disputationibus, breviter dicimus, transsubstantiationem panis in corpus Christi non esse ipsius corporis Christi substantialem productionem, aut mutationem, id est, Christi Domini corpus per illam transsubstantiationem de novo non produci, nec substantialiter mutari, aut localiter moveri; sed per vim, & efficaciam consecrationis fieri, ut desinente tota panis substantia, corpus Christi, quod est in Cœlo, sine ullo motu locali, aut mutatione sui substantiali, jam esse incipiat sub speciebus ipsius panis, neque solum sub illis sit per simplicem præsentiam, sive coexistentiam, sed etiam per unionem quandam, qualis erat inter substantiã panis, & accidentia ejusdem panis, sublata tamen inhærentia.

Quod si cui explicatio ista minime satisfacit, meminerit, SS. Patres (ut testatur Catechismus Rom. c.4. par.2.) sæpe admonere Fideles, *ne curiosius inquirant, quo pacto ea mutatio fieri possit.* Nec enim a nobis percipi potest, nec in naturalibus mutationibus, aut in ipsa rerũ creatione hujus rei exẽplum aliquod habemus, verũ quod sola Fide percipi debet, id quomodo fiat, non est curiosius inquirendum.

2. Secunda difficultas est, quid in illa transsubstantiatione ponatur sub speciebus panis, & vini tam vi verborum consecrationis, quam per naturalem concomitantiam. Nihil aptius ad hujus difficultatis solutionem afferri potest, quam id, quod habetur in Conc. Trid. sess. 13. cap. 3. ubi dicitur, *Verum Christi corpus, verumque ejus sanguinem sub panis, & vini specie, una cum ipsius anima, & Divinitate existere, sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur, Divinitatem quoque propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypostaticam unionem, Quapropter verissimum est tantundem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri. Totus enim, & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ejus speciei parte; totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit.*

Ex quibus Cõcilii verbis colligitur 1. quod, sicut sub specie panis totũ corpus, sic etiã sub specie vini totus Christi Dom. sanguis vi verborũ ponitur, cum nulla sit ratio, cur una ejus pars præ altera ponatur, sicque totus ille Divinus sanguis, ne unica quidem guttula exce-

cepta, vi verborũ consecrationis in sanctissimo Missæ sacrificio (quod maxime perpendi debet) pro unoquoque nostrũ quotidie effunditur.

Colligitur 2. ea omnia, quæ Christo Domino extra Sacramentum nunc in cœlo existẽti sunt intrinseca, per concomitantiã quoque poni sub speciebus cõsecratis, & sic corporis ejus gloriosi dotes, qualitates item naturales, ac supernaturales ejus animæ inexistentes, omnes denique Divinitatis ejus perfectiones in illo Sacramẽto contineri, ita ut aliqua ratione de unoquoque Fideliũ digne Sacramentũ hoc percipiente dici possit, quod tunc, cum illud percepit, in eo sint omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Per eandem quoque concomitantiam Persona Patris & Persona Spiritus Sancti, propter identitatem naturæ cum ipsius Filii Persona, sub illis panis ac vini speciebus ita simul adsunt, ut, si per immensitatem suam ubique non essent, ratione tamen illius identitatis in illo Sacramento adessent.

3. Tertia difficultas est, an Christi Dom. corpus, quod in Eucharistiæ Sacramento inextense & indivisibiliter existit (ut cõstat ex supra relatis Concil. Trid. verbis) retineat in eodem Sacramento propriam quantitatem. Respondetur affirmative cum S. Doct. qu. 76. a. 6. Ratio est, quia omnia, quæ naturalem plusquam localẽ connexionem habent cum substantia corporis Christi, ponuntur per concomitantiam in hoc Sacramento, ut ex ante dictis patet; unde sequitur, ut quantitas, quæ corpori glorioso Christi naturaliter connexa est, sub hujus Sacramẽti speciebus reperiri debeat. Quæ quidem doctrina ita certa est, ut, quamvis ab Ecclesia expresse definita non sit tãquam de Fide, contrarium tamen sentire erroneum existimet Alexander Alensis p. 1. q. 40. mem 3. a. 4.

Dicet aliquis, si corpus Christi retineret propriam quantitatem in Eucharistia, deberet esse extensum, & divisibile, & figuram etiam aliquam habere, cum figura sit intrinsecus terminus quantitatis.

Respondetur, duplicem esse quantitatis extensionem, seu corpus quantum duplici modo esse extensum: primo in ordine ad se, secundo in ordine ad locũ. Prior extẽsio est de essentia ipsius quantitatis, posterior vero est tãtũ proprietas, virtute Divina ab ea separabilis. Unde fit ut quantitas hac extensione locali destituta, quantæcumque sit magnitudinis in ordine ad se, possit tamen per Divinã Omnipotentiam intra spatium quantumvis exiguum concludi. Similiter duplex est figura, una organica, quæ pendet ab extensione quantitatis in ordine ad se, altera localis, seu (ut ita loquamur) situalis, quæ ab extensione locali ipsius quantitatis pendet. Cum igitur corpus Christi Domini in Eucharistiæ Sacramento sit solummodo extensũ in ordine ad se, non vero in ordine ad locũ, habet tantum figuram organicã, non vero localẽ. Unde intelligitur, qua ratione fieri possit, ut retinẽs propriam quantitatem, & figuram, in quantumvis exiguo spatio, & sub quãtalibet specierum Sacramentaliũ particula totũ contineri possit.

4. Quar-

4. Quarta difficultas est, quid de speciebus panis, & vini in hoc Sacramento remanentibus sentiendum sit. Respódetur, species illas, seu accidentia panis, & vini, puta figuram, colorem, saporem, &c. post consecrationẽ manere sine ullo subjecto. Ita definitum est in Conc. Trid. sess. 13. can. 2. Et hæc Vvicleffi propositio tanquam falsa, & hæretica damnata est in Concil. Constant. sess. 8. *Accidentia panis non manẽt sine subjecto in Sacramento*, &c. Id tamen de omnibus accidẽtibus conjunctim sumptis est intelligendũ. Vera siquidem est S. Th. doctrina quæst. 77. ar. 1. & 2. asserentis quantitatem panis, & vini ab omni subjecto separatam Divina virtute in hoc Sacramento existere, reliqua vero accidétia esse in ipsa quantitate tanquã in subjecto. Qui etiã art. 3. docet, species illas panis, & vini posse sic separatas agere, quidquid poterant, dum ipsius panis, & vini substantiæ tanquã proprio subjecto inhærebant, cum semper eandẽ essentiam, & agendi virtutem retineant; & art 4 species illas posse corrumpi, ut experiẽtia satis compertum est; ar. item 6 ex speciebus illis fieri posse nutritionem substantialem, sive nutritio illa ex sola specierum quantitate Divina virtute fiat, sive (quod probabilius est) ex materia quæ a Deo creatur, eo instanti, quo species illæ Sacramentales ita alterantur, ut ipsa substantia panis, si adesset sub illis esse naturaliter desineret. Denique q. 76. art. 6 ad 3. tradit, Christi Domini corpus, & sanguinẽ desinere esse sub illis panis, ac vini speciebus, quando ita mutantur, aut alterantur ut hæc mutatio, seu alteratio ad desitionem substãtiæ panis, ac vini sufficeret, remanere vero sub illis Christi corpus, ac sanguinem, quandiu mutatio illa seu alteratio tanta non est, ut ad desitionem substantiæ panis, aut vini satis esset Quod ex ipsius etiam Ecclesiæ praxi satis constat, quæ tandiu adorat in hoc Christum Sacramento, quandiu in illo species panis, ac vini remanere cognoscit.

5. Quinta difficultas est an Christi corpus sub speciebus sacramentalibus existens videri possit ab oculo corporeo, vel ab intellectu creato cognosci.

Respondet S Doct. quæst. 76. a. 7. nullum corporeum oculum pertingere posse ad visionem corporis Christi, prout est in hoc Sacramẽto, cum in illo sit per modũ substãtiæ, quæ per se non est visibilis, ab intellectu autẽ creato posse clare cognosci, dummodo lumine gloriæ illustretur, quo deficiente nó nisi obscure, ac per Fidẽ percipi posse Christi existentiam sacramentalem. Unde (ut ait idem S. Doctor) ne ipsi quidem Dæmones Christum in hoc Sacramento existentem cognoscere possunt, nisi per Fidem, cui non assentiuntur voluntarie, sed ad eam evidentia signorum convincuntur, prout dicitur S. Jac. 2. quod *Dæmones credunt, & contremiscunt*.

6. Sexta denique difficultas est, quid de miraculosis appartionibus sentiendum sit, quę aliquando in hoc Sacramento contigerunt, & adhuc contingere Deo ita volente possunt, ut quando puer, vel caro in ma-

manibus Sacerdotis, aut super altari, vel sanguis in calice cernitur. Respondet S.Doctor art.8. Christum tunc semper manere in hoc Sacramento, nec carnem illam, aut sanguinem miraculose apparentem esse carnē, vel sanguinem ipsius Christi, sed esse aliquid miraculose productum, quo tum caro, & sanguis ipsius Christi, tum etiā Sacramentales species teguntur. Monet autem recte idem S. Doctor in 4. dist. 10.q.4.a.1.q.3. non licere ejusmodi carnem, aut sanguinem miraculose sic apparentem ore sumere, quia hæc signa miraculosa nō habent modum convenientem, quo possint pro ratione hujus Sacramēti comedi, ac bibi. Quare in illo casu deberet Sacerdos (ut docet Valentia disp.6 q.4. de Euch. part.1.) alium panem, & vinum consecrare, & sumere, ut Sacrificium ea ratione perficeretur.

SECTIO VI.

Quinam sint effectus Sacramenti Eucharistiæ.

1. VArii sunt, iique saluberrimi hujus Divini Sacramenti effectus, de quo vere dici potest, quod olim de manna dictum est, omnem in illo reperiri saporis suavitatem. Præcipuos hic, & observatione maxime dignos adnotabimus.

Atque in primis certum est, hoc Sacramentum rite dispositis Gratiæ sanctificantis augmentum conferre, ut in Decr. Eug. expresse definitum habetur, & satis constat ex iis, quæ c. 1. de Sacram. in genere dicta sunt. Quod quidem Gratiæ augmentum cæteris paribus longe uberius, & plenius in isto Sacramento, quam in aliis percipitur, cum in eo Fons ipse Gratiarum, & omnium charismatum, ac donorum cœlestium contineatur, ut dicit Catechismus Romanus. Docet autem S. Th.q. 86. a.8. ad 6. effectum illum in ipsa Sacramenti sumptione percipi, ideoque præcipuam tunc, & maximam in suscipiente requiri devotionem.

Quærunt Theologi, an Sacramentum hoc conferat etiam aliquando primam Gratiam a peccatis justificantem. Respondetur, certum esse (sicut docet S. Th. q. 79. a. 3.) Sacramentum hoc nullo modo profuturum, sed potius maxime obfuturum ei, qui cum affectu, vel conscientia peccati mortalis illud susciperet. Quod vero spectat ad illum, qui in peccato mortali existens illius tamen nec affectum, nec conscientiam haberet, si bona Fide ad hoc Sacramentum accedat, quidam Theologi, ut Ricardus, Sotus, & alii, quos citat, & sequitur Suarez disp. 63. sect. 1. existimant, in illo casu Sacramentum Eucharistiæ ex opere operato justificare, ac primam Gratiam conferre: melius tamen S. Bonaventura, Gabriel, Major, & alii, quibus subcribit Vasquez dis.205. c.4. negant, cum hoc Sacramentum per se ad remissionem peccati mortalis non sit institutum. *Constat enim* (ut loquitur Catechismus Rom. sup. c. 4.) *quemadmodum* *mor-*

Mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodest, ita etiã animæ, quæ spiritu non vivit, sacra Mysteria nõ prodesse. Ac propterea panis, & vini speciem habens, ut significetur, non quidem revocandæ ad vitam animæ, sed in vita conservandæ causa instituta esse. Docet tamẽ S. Th. sup. illum, qui bona Fide ignorans, se in peccato mortali esse, devote, ac reverenter hoc Sacramentum perciperet, ex Dei bonitate per illud Gratiam aliquam actualem consecuturum, qua excitabitur ad actum charitatis, seu perfectæ contritionis eliciendum. & sic ab ipso peccato mortali illum liberari posse.

2. Secundus hujus Sacramenti effectus complectitur quædam specialia Gratię actualis auxilia opportuno tempore vi hujus Sacramẽti digne suscepti conferenda, per quæ charitas conservatur, roboratur, perficitur, idque spiritualiter animæ confertur, quod panis & vinum corpori conferre solent, ut exprese declaratur in Decr Eug ubi dicitur, *Omnem effectum quem cibus, & potus materialis quoad vitam operatur corporalem, substantiando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operari spiritualem.* In quo (ut explicat S. Chrys. hom. 6. ad pop. Antioch.) Christus Dominus maximam erga nos charitatem evidentissime testatur. Cum enim sæpenumero parentes liberos suos aliis nutriendos tradant, ipse nos alere propria sua substantia voluit, carnemque suam a nobis tangi, manducari, illique dentes nostros infigi permisit.

Tertius effectus consistit in eo, quod Christus Dominus se in hoc Sacramento sumendum nobis exhibet, non modo tanquam cibum, quo nutriamur, sed etiam tanquam salutare medicamentum, quo naturæ nostræ infirmitates, idest pravæ inclinationes, immoderati affectus, &c. curentur. Id passim docuerunt SS Patres S. Greg. Nyssenus Orat. Catech. c. 37. dicit, Eucharistiam esse *Salutare medicamentum, veneni damnum, quod corpori fueris inditum, per contrariã repelens affectionem* S. Cyrill l 4. in S. Jo. c. 17. *Sedat enim cum in nobis manet Christus, sævientem membrorũ nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat, &c.* S. Ambr. l. 5. de Sacram. c. 4. *Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis.* S. denique Bernar. in serm. de Cœna Domini, postquam dixit. Sacramentum Dominici corporis, & sanguinis efferatis moribus, & pruritibus concupiscentiæ mederi, subjungit, *Si quis vestrum non tam sæpe modo, nec tam acerbos sentis iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat corpori, & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, & gaudeat quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem.*

3. Quartus effectus est remissio peccatorum venialium, ut docet S. Doctor art. 4. & ante illum docuerat S. Ambros. l. 4. de Sacram. c. 6. & l. 5. c. 4. & habetur cap. *Literatum* de Consect. dist. 2. c. 110. Remittuntur autem peccata venialia in hoc Sacramento, sive per infu-

infusionem Gratiæ sanctificantis, præsupposita de illis attritione, sive per charitatis, & perfectæ contritionis fervorem, quem hoc Sacramentum excitat, ut ex mente S. Doctoris explicat Isambertus ad quæst. 79. art. 6.

Quintus effectus est præservatio a peccatis mortalibus, ut docet S. Th. a. 6. & S. Bernardus Serm. de Cœna Domini, ubi dicit, *Duo in nobis hoc Sacramentum operari, ut & sensum minuat in minimis, & in gravioribus tollat omnino consensum.* Hunc autem effectũ præstat tribus præsertim modis, ut docet Isambertus supra, primo suggerendo vires, & robur addendo, per augmentũ scilicet habituum supernaturalium, quod efficit, secundo amovendo peccadi occasiones, juxta illud Ps. 22. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me*, tertio denique protegendo nos a Dæmonum impugnationibus, ipsosque Dæmones arcendo. Unde S. Ignatius Ep. ad Ephes. dicit, per hujus Sacramenti frequentem, & dignam susceptionem *Expelli potestates Satanæ*, &c. *panemque illum esse antidotum non moriendi*, & S. Chryf. Homil. 61. ad pop. Antioc. *Tanquam leones*, inquit, *ignem spirantes ab illa mensa recedamus facti Diabolo terribiles*.

4. Sextus effectus est animæ gloria, seu vita æterna. Ita S. Th. z. 1. & constat ex his Christi Domini verbis S. Jo. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Confert autem hunc effectum Eucharistia, non tantum quia tribuit Gratiam sanctificantem, in qua fundatur jus, & dignitas ad ipsius vitæ æternæ consecutionem, quod & reliqua Sacramenta præstant, sed etiam quia speciali modo confert digne suscipientibus finalem perseverantiam, in quantum per specialia Gratiæ auxilia charitatem roborat, ac perficit, & a peccatis mortalibus præservat, ut supra dictum est.

Septimus effectus est corporis resurrectio, & glorificatio, quæ speciali modo tribuitur participationi hujus Sacramenti, quod Christus declaravit his verbis S. Jo. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitã æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die*. Quod fuse explicat, & probat S. Cyrill. Alexandr. l. 4. in S. Jo. c. 14. ubi observat, quod Christus Dominus *in exsuscitandis mortuis non solum verbo, & imperio, ut Deus, utebatur, verum etiam carnem suam quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat, ut reipsa ostenderet, carnem quoque suam, quoniam sibi conjuncta est, vivificam esse. Nam quando Principis filiolam suscitavit, manum ejus apprehendit*, &c. Unde concludit, quod *reformavit omnino ad immortalitatem participes sui*.

Octavus denique est singularis quædã & inexplicabilis unio Christi Domini cum eo, qui Sacramentũ istud digne suscipit, juxta quod ipse Dominus Christus dixit S. Jo. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Et de hac mirabili unione sæpe cum pietatis sensu loquuntur SS. Patres, ac præ cæteris S. Chryf.

Chryf.hom. 61. ad pop. Antioch. ubi postquam dixit, nos per hujus Sacramenti participationem unum corpus cum Christo fieri, subjungit, *Ut itaque non tantum per charitatẽ hoc fiamus, verum & ipsa re in illam misceamur carnem, hoc per escam efficitur, quam largitus est nobis, volens ostendere desiderium, quod erga nos habet. Propterea semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid efficiamur tanquam corpus capiti coagmentatum. Ardenter enim amantium hoc est.* Et S. Cyrill. Alexand. l. 10. in S. Jo. c. 13. supra relata Christi Domini verba explicans, *Sicut*, inquit, *si quis ceram igne liquefactam alteri ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, ut unum quid ex utrisque factum videatur, sic communicatione corporis, & sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso.*

Hos omnes effectus paucis, sed efficacibus verbis declaravit Conc. Trid. sess 13. cap. 2. ubi dixit, Christum Dominum hoc Sacramentum a Fidelibus sumi voluisse, *tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & cõfortentur viventes vita illius, qui dixit, Qui mãducat me, & ipse vivet propter me, & tanquam antidotũ, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis, adeoq; Symbolũ unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos tãquã membra arctissima Fidei, Spei, & Charitatis connexione astrictos esse voluit.*

5. Monet autem sapienter Isambertus ad qu. 79. disp. 1. a. 1. ad hos effectus per totam vitam obtinendos Sacramenti illius participationem sæpe repetendam esse, adeo ut existimet, vix fieri posse, ut quis propria sponte, ac deliberate ab hoc Sacramento per longũ tempus abstineat, quin in novum aliquod mortale peccatum dilabatur.

Porro circa hanc frequentem Eucharistiæ perceptionem, observãda est Doctrina S. Th. in 4. dist. 12. q. 4. a. 3. ubi dicit, *In perceptione hujus Sacramẽti duo requiri, desiderium conjunctionis ad Christum, & reverentiam Sacramenti, quorum primum inclinat ad sumẽdum, secundum ad abstinendum, sed quia amor timori præpõderat, cæteris paribus, laudabilius esse sumere, quam abstinere, dum tamen ex frequenti sumptione amor intendatur, & reverentia non minuatur.*

6. Addimus præterea ex libello vere aureo Introductionis ad vitã devotam Divi Francisci Salesii Episcopi Genevensis p. 2. c. 22. super hoc frequenti Communionis usu judicium communi Ecclesiæ consensu, & praxi approbatum. *Duo*, inquit, *genera hominum freq̃uẽti hujus Sacramẽti participatione indigẽt, perfecti quidem; cum n. sint optime dispositi, vituperio ipsis verteretur, si ad perfectionis fõtẽ nõ accederent; imperfecti autẽ, ut ad perfectionem possint aliquãdo pertingere; fortes, ne debilitẽtur, debiles, ut roborẽtur, infirmi, ut sanitatem recuperẽt, sani, nẽ in morbum incidãt.* Subjungit postea, *eos, qui multis sæcularibus negotiis sunt implicitii, sacram Eucharistiam freq̃uẽter percipere debere, eo quod ejus virtute, ac præsidio indigeant, sicut illi, qui plu-*

plurimis laboribus exterioribus attenuantur, vires solidis cibis crebro reficere opus habent: denique sanctissimum hoc Sacramentum sæpe percipiendum esse, ut, quomodo digne percipi debeat, experientia ipsa discatur. Minus siquidem recte illud fit, quod raro fit.

Hæc autem, & similia, quæ de frequenti Communionis usu apud SS. Patres, & alios probatos Auctores dicta reperiuntur, semper intelligi debent cum hac conditione, ut scilicet, quoties hoc Sacramentum sumitur, digne, & cum debitis dispositionibus sumatur. De quibus dispositionibus nunc agendum nobis est.

SECTIO VII.

De dispositionibus ad hujus Sacramenti dignam perceptionem necessariis.

De dispositionibus ad dignam Eucharistiæ perceptionem ex præcepto aliquo seu Divino, seu Ecclesiastico necessariis agendum nobis est, & inquirendum, quænam dispositiones ad Sacramentum hoc sumendum ita prærequirantur, ut si vel unica ex iis desit, in illius perceptione peccati alicujus reatus incurratur.

§. I.

Quænam dispositiones requirantur ex parte animæ.

1. Prima dispositio ad dignam Eucharistiæ sumptionem necessaria est sana, & recta de illius veritate Fides. *Sine Fide enim*, ut ait Apostolus Hebr. 11. *impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est*, &c. Et ideo, ut recte observavit S. Doctor, qu. 77. a. 3. & ante illum Yvo Carnotensis Epist. 264. ex peculiari Ecclesiæ instituto, formæ hujus Sacramenti consecratoriæ interposita sunt verba illa, *Mysterium Fidei*, ut accedentes ad illud monerentur, Fidem præsertim ipsis esse necessariam. Quod & confirmari potest ex antiqua Ecclesiæ praxi in illius administratione olim observari solita, teste S. Ambr. lib. 4. de Sacram. c. 4. ubi refert, moris suo tempore fuisse, ut Sacerdos Eucharistiam sumendam porrigens clara voce diceret, *Corpus Christi*, cui suscipiens respondebat, *Amen*, hac voce suæ erga hujus Sacramenti veritatem Fidei veluti professionem emittens.

Secunda dispositio est ab omni peccati mortalis macula munditites, & Gratiæ sanctificantis in suscipiente status. Cum enim, ut docet S. Th. q. 79. art. 2. hoc Sacramentum se habeat instar spiritualis cujusdam alimenti, vitam necessario supponere debet in suscipiente. Et qu. 80. art. 5. dicit, eos, qui cum conscientia peccati mortalis corpus Christi Dom. sumunt, gravissimum haud dubio peccatum com-

mittere. Quod quidem peccatum indigne communicantium S. Aug. tr.62. in S. Jo. cum peccato Judæ proditoris comparat. S. vero Chrysostomus hom. 6. ad Pop. Antioch. cum peccato eorum, qui ipsum Christum Domi. occiderunt. Certe Apostolus 1. Cor. 11. aperte declarat, indigne manducantem, & bibentem *reum esse corporis, & sanguinis Christi*. Quare, ut monet Conc. Trid. sess. 13. cap. 7. *Communicare volenti revocandum est in memoriam Apostoli præceptũ, Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantũvis sibi contritus videatur, absque præmissa Confessione Sacramentali ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris. Quod si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quam primum confiteatur.*

2. Ex qua Concilii doctrina obiter colligitur, quam periculosa sit quorundam Theologorum sententia, qui asserunt, olim iis, quibus ob peccata mortalia imposita fuerat pœnitentia publica, concessam nihilominus ab Ecclesia interdum fuisse Eucharistiæ participationem, quamvis Sacramentalem peccatorum absolutionem nondum recepissent: eandem etiam Eucharistiam ab Ecclesia non fuisse denegatam ob peccata quædam mortalia non ita gravia, licet nulla Sacramentali pœnitentia expiata forent.

Hæc enim manifeste pugnant cum iis, quæ a Tridentino Concilio, ex praxi, & consuetudine totius Ecclesiæ, ad dignam Eucharistiæ perceptionem facienda esse præscribuntur, imo quæ ex ipsiusmet Apostoli verbis in vero, & proprio sensu ab ipsa Ecclesia explicatis tanquam absolute necessaria declarantur.

Diximus, ad dignam sacræ Eucharistiæ perceptionem requiri munditiem a quovis peccato mortali, non vero a peccato veniali; cum per hoc sanctificantis Gratiæ status non destruatur, ut ex Fide certum est. Quanquam si quis ita erga venialia aliqua peccata prave affectus esset, ut iis expressa, & deliberata voluntate inhærere vellet, maxima esset ratio dubitandi, ut nihil hic temere definiamus, an is ad sumendam Eucharistiam sufficienter esset dispositus. Cum enim Eucharistia sit ex Divina institutione *Antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis*, ut ex Conc. Trid. supra relatum est, qui fieri posset, ut is digne illam reciperet, qui peccata illa quotidiana seu venialia deliberate in animo fovere vellet?

3. Tertia dispositio est, ut nulla Ecclesiæ prohibitio hujus Sacramẽti perceptionem impediat: Quantumvis enim quis justus, & sanctus existat: si tamen Ecclesia Sacramenti hujus sumptioni conditionem aliquam apponat, qua deficiente illud sumi prohibeat, parendum necessario, nec contempto, aut neglecto illius præcepto

digne

digne potest quis ad sacram illam Mensam accedere. Exemplū hoc affert S. Doctor qu. 80. art. 8. si quis a media nocte aliquid cibi, vel potus sumpserit, cum secundum Ecclesiæ leges non nisi a jejunis Sacramentum hoc extra morbum periculosum sumi debeat. Item si quis Excommunicationis alicujus sententia fuerit Superioris auctoritate perculsus, quantumvis alias coram Deo innocens, & ab omni crimine immunis existat, nihilominus ab Eucharistiæ perceptione abstinere tenetur, donec vel innocentiam suam Superiori probaverit, vel absolutionem ab Excommunicatione acceperit. Ut enim recte monet S. Greg. hom. 26. in Evang. *Pastoris sententia justa, vel injusta semper gregi timenda est*, &c. *& is, qui sub manu Pastoris est, timeat ligari vel injuste, nec Pastoris sui judicium temere reprehendat, ne si injuste ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.*

4. Quarta denique dispositio ad dignam Eucharistiæ perceptionē necessaria in illis, qui sunt rationis compotes, est pius aliquis reverentiæ, ac devotionis affectus. Quod satis expresse declarat Conc. Trid. sess. 13. cap. 7. ubi dicit, cuique Fidelium cavendum esse, *Ne absque magna reverentia, & sanctitate ad hoc Sacramentum percipiendum accedat*. Et cap. 8. explicans, qua ratione spiritualiter sumatur, dicit, id fieri *Fide viva, quæ per dilectionem operatur*, id est per actus aliquos Fidei, & charitatis, quibus Christo Domino quilibet Fidelis spiritualiter unitur; atqui frustra quis Christum sacramentaliter tantum in Eucharistia sumeret, nisi eidem spiritualiter conjungeretur, quod tamen sine aliquibus piis, & religiosis affectibus fieri non posse, ex relatis Concilii verbis aperte constat.

Et certe quis non merito reprehensibilem judicaret, & peccati damnaret illum, qui licet a peccato mortali per absolutionē Sacramētalē factus immunis, sine ullo tamen reverentiæ, aut pietatis sensu, animoque deliberate vanis cogitationibus distracto, ad tremendam hanc mensam accederet: Piorum equidem omnium sensus est, ut, si in Sacramenti hujus perceptione minus afferant devotionis, ac reverentiæ, quam par esse arbitrentur, de illo defectu tanquam de peccato sese in Confessione Sacramentali accusent. Unde patet, eos tanquam indubitatum tenere, Divinum hoc Sacramentum non nisi cum singulari religionis, ac pietatis affectu esse suscipiendum.

§. II.

Quænam dispositiones requirantur ex parte corporis.

1. DUæ præsertim ad hoc Sacramentū suscipiendū dispositiones ex parte corporis requiruntur. Prima est, ut qui Eucharistiā cupit percipere, sit jejunus, id est nihil cibi, vel potus a media nocte sumpserit. Ita S. Doctor quæst. 80. art. 8. Idque in variis Conciliis

decretum est, ut in Carthag. III. c. 29. & Tolet. VII. can. 2. *ut in honorem tanti Sacramenti*, quod dixit S. Aug. Ep. 118. *prius in os Christiani corpus Dominicum intraret, quam reliqui cibi*. Ex quibus verbis intelligitur, quale debeat esse illud jejunium, perfectum scil. ac naturale, ita ut omnem prorsus cibi, potus, medicinæ, aut cujusvis alterius rei in quantumlibet parva quantitate sumptionem excludat, ut etiã docet S. Th. cit. art. 8. ad 4. & cum illo communiter omnes.

Cæterum si quis sanguinem, aliumve humorem ex capite defluentem, aut os eluendo aquæ guttulas cum saliva mixtas, aut cibi reliquias dentibus adhærentes casualiter transglutiat, non censetur violare jejunium, nec ob id a Communione abstinere tenetur, ut explicat idem S. Doctor loc. cit.

2. Sunt tamen aliqui casus, in quibus secundum communem Doctorum sententiam, & Ecclesiæ praxim, etiam a non jejunis Eucharistia sumi potest. Primus est, quando in periculo mortis per modum Viatici sumenda est, ut docet idem S. Thom. supra. Secundus, quando nisi statim sumatur Eucharistia, vel incendio absumenda est, vel Infidelium, aut impiorum manibus profananda. Tunc enim a Sacerdote, vel a quovis alio etiam non jejuno cum reverentia sumi debet. Tertius, quando Sacrificii perficiendi necessitas incumbit, ut si Sacerdos celebrans post consecrationẽ, sed ante Sacramenti sumptionem moriatur. Tunc enim debet alius, etiam non jejunus, Sacrificium inchoatum perficere. Item si quis post consecrationem, & corporis Christi sumptionem animadvertat, aquam pro vino fuisse in calice appositam. Tunc enim licet illam hauserit, debet tamen (prout in Rubricis Missalis annotatur) panem, & vinum de novo offerre, & consecrare, incipiendo ab illis verbis, *Qui pridie, quam pateretur*, &c. ac postea sumere. Monet tamen recte Layman. c. 7. de Sacrificio Missæ, nullum ibi præceptum imponi, adeoque Sacerdotẽ, præsertim si publice celebret, sequi posse sententiam Soti, Gabrielis, Adriani, Navarri, & aliorum, quos ibidem citat, quibus etiam subscribit Toletus lib. 2. cap. 9. qui omnes docent, in eo casu satius esse ad evitandum scandalum, ut solummodo Sacerdos aliud in calice vinum cum pauxillo aquæ infundat, & tacite offerat, atque consecret, incipiendo ab illis verbis, *Simili modo, postquam*, &c. Quartus denique casus est, quando post sumptam ablutionem animadvertit Sacerdos superesse aliquas hostiarum a se consecratarũ particulas. Illas enim tunc licite absumere poterit, ut docent Sotus, Navarrus, Suarez, & alii apud eundem Laymannum supra: ubi etiam monet, id intelligendum esse non tantum de particulis minutis in patena, vel corporali hærentibus, sed etiam de grandioribus, si facile asservari non possint, dummodo tamen Sacerdos nondum ab Altari recesserit, aut vestes sacras exuerit.

3. Secunda dispositio ex parte corporis est mundities, seu ab omni im-

immunditia corporali puritas. Ad reverentiam quippe huic Divinó Sacramẽto debitã pertinet, ut, si quis immunditiei alicui, seu pollutioni causam culpabilem dederit, quamvis peccatũ in Pœnitentiæ sacramento expiaverit, a perceptione tamẽ Eucharistiæ abstineat illo die, ut fuse declarat S. Th. art. 7 ubi S. Gregorium tanquã illius doctrinæ assertorem citat in Epist. ad August. Anglorum Episcopũ, responsione 10. & 11. additque, quod, quamvis nulla culpabilis causa intercederet, ex quadam congruitate tamen, & decentia consultius videretur illo die abstinere. Quod tamen liberum cuique est, imo, si necessitas aliqua urgeat, aut Diaboli fraus timeatur, tunc S. Doctor Communionem censet non ideo esse relinquendam.

Quod autem de hac peccati specie dicitur, & de plerisque aliis gravioribus dicendum videtur. Quis enim asserere audeat, hominem, qui immane aliquod flagitium, puta homicidium, aut adulterium recenter perpetraverit, eodem die, mente adhuc commota, turbata conscientia, quamvis peccatum ingenti cordis dolore confessus sit, illiusque remissionem fuerit consecutus, posse tamen cum debita reverentia huic Sacramento participare? imo quis non judicet, ejusmodi hominem saltem illo die a sacra Communione abstinere debere, eique Confessarium hoc præcipere posse? Excipitur tamen casus necessitatis, aut alterius causæ rationabilis, quæ Confessarii judicio discutienda relinquitur.

Cum igitur de supra dictarum dispositionum ad dignam Eucharistiæ perceptionem necessitate omnes conveniant, de duabus aliis aliqua est hodie inter Theologos difficultas, quæ duabus Paragraphis sequentibus explanabitur.

§. III.

An sit ex precepto aliquo necessarium, ut quis pœnitentiam, seu satisfactionem sibi a Sacerdote injunctam ante sumptionem Eucharistiæ impleat.

1. QUæstio proposita intelligenda est de satisfactione, seu pœnitentia secreta, id est secreto in Confessione Sacramẽtali imposita, & secreto a pœnitente implenda, non vero de publica, & Canonica pœnitentia quæ ob peccata quædã graviora, & publica olim imponebatur. Est enim in confesso apud omnes, secundum antiquã Ecclesię praxim, publicos pœnitẽtes a Sacra Communione exclusos, ipsamque a corpore Christi separationem publicæ illius pœnitentiæ partem fuisse, nec proinde nisi peracta illa pœnitẽtia ad sacrã Mensam licite accedere potuisse; quanquam verum sit etiã, aliquanto ante perfectam publicam illam pœnitentiã, ipsos pœnitentes prius secreto, & sacramentaliter a peccatorũ reatu absolutos ad sacrã Synaxim in quibusdam casibus admissos fuisse, ut fuse, & erudite explicat, & probat Joannes Bagotius e Societate Jesu in dissertationibus

bus Theologicis de Pœnitentia disser. 2. cap. 8. Sect. 2. & seq.

Quærimus igitur hic, an pœnitens sacramentaliter cōfessus, & absolutus impositam sibi a Confessario satisfactionē prius implere teneatur, quam Eucharistiam percipiat. Et respondendum est, nullo præcepto neque Divino, neq; Ecclesiastico ad id teneri. Quod ut facilius probari possit, præsupponimus ex doctrina Concilii Trident. & communi Ecclesiæ praxi, absolutionem Sacramentalem posse valide, ac fructuose conferri pœnitenti etiam peccata mortalia cōfitēti, antequam impleverit impositam sibi a Sacerdote satisfactionem. Imo, cum ipsa satisfactio, sive consideretur, quatenus exolvitur pro pœnis, quę ut plurimum peccato quoad culpa remisso luendę supersunt, sive sub quavis alia ratione nō possit esse Deo grata, & accepta, nisi ab eo impleatur, qui justus sit, & Deo gratus, hinc sequitur, satisfactionem illā longe melius, ac perfectius effectum suum sortiri, si prius pœnitens per absolutionē Sacramentalē Deo reconcilietur.

Hoc igitur præsupposito, dicimus nullum extare præceptum Divinum, aut Ecclesiasticum, quo homo per Sacramentalem absolutionē justificatus ad implendam satisfactionem sibi a Sacerdote impositam obligetur, antequam ad sacram Communionem accedat. Neque enim Divinæ, aut Ecclesiasticæ leges quidquam aliud requirunt in eo, qui communicaturus est, nisi ut sit in Gratiæ sanctificantis statu, easque habeat dispositiones, quas paragrapho præced. explicavimus; potest autem illas habere, quamvis satisfactionem nondum impleverit. Certe Conc. Trid. sess. 13. cap. 7. ex professo declarans, quænam præparatio ad hoc Sacramentum digne suscipiendum requiratur, nihil de illa satisfactionis adimpletione dicit, sed tantummodo proponit probationem illam, quæ ab Apostolo præscribitur, ratione cujus is, qui peccati alicujus mortalis sibi conscius est, ad sacram Communionem non nisi præmissa Confessione Sacramentali, perceptaque absolutione accedere debet.

Cui Concilii doctrinæ suffragatur S. Greg. exp. in lib. Reg. 2. cap. 11. *Quid est*, inquit, *hoc loco probare, nisi evacuata peccatorum nequitia se probatum ad Dominicam mensam, & purum exhibere?*

Quod confirmari potest ex eo, quod S. Th. art. 2. dicit, quod quilibet in Gratia sanctificante existens est membrum vivum corporis Christi, proindeque filius Dei adoptivus, ac hæres; atqui membrum vivum debet sustentari de alimento ipsius corporis, & is, qui Divina illa esca in cœlestis gloriæ fruitione revelata facie pasci, ac repleri dignus est, eandem sub velo Sacramenti digne recipere potest.

Dices, saltem posse Sacerdotem pro arbitrio pœnitentem obligare, ut adimpleat satisfactionem a se impositam, priusquam corporis Christi particeps fiat.

Respondetur, posse quidem, sed non pro arbitrio. Neq; enim cœlestis illius Thesauri dominus est, sed tantum dispensator, proindeque sicut

sicut Margaritam illã Divinam projicere non debet ante porcos, sic nec justis,& filiis Panem vitæ sine maxima,& gravissima causa denegare. Imo SS. Patres nimium illum rigorem quorundam Sacerdotum prorsus improbant. Unde S Leo Papa Ep. 80. in fin *Nulli Christianorum*, inquit, *facile Communio denegetur, nec ad indignantis arbitriũ Sacerdotis hoc fiat:* & paucis interjectis, conqueritur, levibus de causis *quosdam a Gratia Communionis exclusos, & animam, pro qua Christi sanguis effusus est, irrogatione tam sævi supplicii sauciatam, & inermem quodammodo, exutamque omni munimine, Diabolicis incursibus, ut facile capiatur, objectam*.

§. IV.

An ad dignam Eucharistiæ perceptionem requiratur excellens aliquis puritatis, ac sanctitatis gradus.

1. SEnsus quæstionis est, an ad dignam corporis Christi participationem minime sufficiat, ut quis per Confessionem, & absolutionem Sacramentalem a peccatis mortalibus mundatus sit. sed requiratur insuper, ut per diuturna pœnitentiæ, bonorumque operum exercitia gradum aliquem excellentiorem puritatis, ac sanctitais acquisierit, ita ut, si quis recens a peccatis mortalibus per Sacramẽtum Pœnitentiæ purgatus, in se nihilominus adhuc experiatur vitiosos aliquos motus, pravas inclinationes, infirmam, & languidam voluntatem, & alias ejusmodi peccatorum reliquias, is sufficienter dispositus ad Eucharistiam digne percipiendam non censeatur, nisi prius in persanandis illis animi ægritudinibus, & ejusmodi peccatorum veluti radicibus penitus extirpandis, ac virtutum oppositarum acquirendis habitibus sedulo, ac diu laboraverit. Pro cujus resolutione

2. Dicendum, quod, quamvis nulla creaturæ puritas, aut sanctitas, quantacunque sit, infinitæ hujus Divini Sacramenti excellentiæ, ac dignitati pro merito respondere valeat, ea tamen fuit Divinæ in nos clementiæ benignitas, ut nullum certum puritatis, aut sanctitatis gradum ad dignam illius participationem præscripserit, sed id uniuscujusque liberæ voluntati permiserit, ita ut, dummodo quis vere a peccato mortali emundatus, & per Gratiam sanctificatus existat, quascunque animæ ægritudines, aut pravos affectus in se persentiat, modo iis non consentiat, licite, ac fructuose ad sacram Eucharistiam possit accedere.

Id satis aperte colligitur ex his Christi Dom. verbis S. Matth. 11. & 9. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiã vos*. &, *Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus*. Item ex eo, quod universa Ecclesia in publicis Collectis profitetur, ac postulat, *ut*

hoc Divinum Sacramentũ sit ablutio scelerũ, sit fortitudo fragiliũ, &c.

Id ipsum etiam asserunt SS. Patres, cum docent, unum ex hujus Sacramenti effectibus esse, animæ ægritudines sanare, pravorum affectuum motus sedare, peccati fomitem comprimere, & alia similia in nobis operari, ut ex eorum testimoniis supra relatis Sect. 6. constat, quibus tria adhuc subjungimus.

Primum est Sancti Thomæ in opusc. 58. cap. 1. de Sacramento Altaris, ubi docet, corpus Christi in Eucharistia instar medicinæ nobis exhiberi, illudque comparat massæ ficuum, qua Isajas Ezechiæ Regis ulcus sanavit, dicitque, hujus Sacramenti perceptione ulcus concupiscentiæ sanari.

Secundum est S. Bonaventuræ in compendio Theologicæ veritatis lib. 5. c. 16. ubi dicit, corpus Christi in Eucharistia esse *Ægris medicinam, peregrinantibus viam, debiles confortare; valentes delectare, languorem sanare*, &c.

Tertium est insignis Ecclesiæ Parisiensis Cancellarii Joannis Gersonis, qui tractatu 9. super *Magnificat*, postquam hortatus est animam Christianam, ut frequenter ad sacram Eucharistiam accedat, *Audio*, inquit, *quid respondeas: Frigida sum, dispersa sum, carnalis sum, exagitor curis, scrupulis inquietor, mordeor concupiscentiis, Fides imbecillis est, nutat Spes, Charitas refriguit: quæ mihi conventio cum Hospite tanto? Si te sanã judicares, opus Medico non haberes, jure a te illum repelleres. Exemplũ Petri non approbamus in hac parte: stupuit ad capturam piscium, subintulit tremens, Exi a me, Domine, quia peccator ego sum. Tanto magis, o Petre, si peccator es, retinendus est Medicus sanctificans, & peccata tollens a te. Quanto sapientius peccator Zachæus, qui festinus, & gaudens suscepit Jesum ad se? denique quam prudenter hoc fecerit, data salus ostendit.*

Cæterum quanto propensior erga nos Christi clementia, & benignitas in hoc Sacramento affulget, tanto majorem haud dubie reverentiam ac devotionem a nobis exigit; tantumque abest, ut inde quis occasionem neglectus, aut torporis accipiat, quin potius, quo sæpius accedit ad hanc Divinam Mensam, (quod tamen sine sapientis viri consilio facere periculosum est) eo attentius sibi ipsi invigilare debeat, ne tot cœlestibus Gratiis tam frequenter irroratus vitiorum tribulos, aut labruscas, sed potius uberes virtutum fructus referat. Hebr. 6. *Terra enim super se venientem bibens imbrem, proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem.*

SECTIO VIII.

Quæ sit hujus Sacramenti percipiendi necessitas.

1. DE duplici necessitate medii, vel præcepti quæstio intelligi potest. De qua in priori sensu

Dicendum 1. Sacramentum Eucharistiæ in re susceptum nec adultis, nec parvulis ad salutem necessarium esse necessitate medii. Ita S. Doctor quæst. 73. art. 3. Et de adultis quidem constat tum ex communi Ecclesiæ consensu, tũ ex illis Christi Domini verbis sancti Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, ubi æterna salus adultorum (de quibus loquitur) Fidei, ac Baptismo solum adscribitur, nulla Eucharistiæ facta mentione. De parvulis vero usu rationis carentibus Concilium Trid. sess. 21. cap. 4. expresse declaravit, illos *nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionẽ, siquidẽ per Baptismi lavacrum regenerati, Christo Domino incorporati, adeptam jam filiorum Dei Gratiam in illa ætate amittere non possunt.*

Dicet aliquis, SS. Patres Eucharistiam parvulis baptizatis administrasse, ut constat ex S. Cypriano serm. de lapsis, S. Augustino Ep. 170. ad Vitalem, & aliis. Unde sequitur, illos existimasse, Eucharistiam esse necessitate medii necessariam.

Respondetur, morem illum communicandi parvulos aliquibus tãtum in locis fuisse servatum, neque SS. Patres unquã censuisse realẽ Eucharistię susceptionem necessitate medii esse parvulis necessariã, cum S. Melchiades Papa, qui circa annum 312. rexit Ecclesiam, in Ep. Decr. ad Episcopos Hispaniæ dicat, *Regenerationem* (Baptismi scilicet) *per se salvare nos in pace beati sæculi recipiendos.* Unde Concil. Trid. sess. 21. c. 4. docet, *Non esse damnandam antiquitatem, si eum morem in aliquibus locis aliquãdo servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credẽdũ est.*

Dicendum 2. Sacramentum Eucharistiæ in voto susceptũ eatenus tam adultis, quã parvulis esse ad salutem necessariũ necessitate medii, quatenus votum illud in Baptismi susceptione continetur, tũ ratione Gratiæ Baptismalis, quæ Baptizatũ ad Eucharistiæ perceptionem idoneum efficit, tum etiam ratione propensionis, quam is, qui vitam spiritualem Gratiæ per Baptismum accepit, censetur habere ad vitam illam per alimentum Eucharistiæ conservandam, ut docet S. Thomas supra, & post illum communiter alii Theologi, ut videre est apud Valentiam disp. 6. quæst. 1. de Eucharist. punct. 5.

Ex qua doctrina sic explicata intelligi potest, quo sensu dixerit S. Augustinus l. 1. contra duas Epist. Pelag. *eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes corporis, & sanguinis Christi.* Id enim intelligendũ

est

est de sumptione corporis Christi, quæ censetur fieri in voto, cum Baptismus suscipitur. Quod idem S. Pater declaravit, ut refertur cap. *Nulli* de consec. dist. 4. ubi dicit, *Ununquenque Fidelium tunc corporis, & sanguinis Domini participem fieri, quando in Baptismo membrum corporis Christi efficitur.*

Quod si de necessitate præcepti quæstio intelligatur,

2. Dicendum 3. varia olim de hac re extitisse Ecclesiæ præcepta. Initio siquidē nascentis Ecclesiæ Fideles sæpissime, imo fere quotidie Sacramentum hoc sumebant. Quæ consuetudo cum paulatim intermitti videretur, sane S. Anacletus aliqua ex parte renovavit, Epist. 2. præcipiens, ut saltem ministri, qui Missæ Sacrificio inservirent, Eucharistiæ participarent. Charitate postmodum refrigescente, Sanctus Fabianus Papa Epist. 1. quæ refertur c. *etsi*, de consecrat. dist. 2. edixit, ut ter saltē quotannis, scilicet in festis Natalis Domini, Resurrectionis, ac Pentecostes, omnes Christi Fideles Eucharistiam sumerent. Quod postea in pluribus Conciliis similiter decretum est, ac præsertim Agathensi. Demum cum sancta illa, & salubris præceptio in desuetudinem abiisset, & maximo animarum damno in pluresetiam annos corporis Christi Communio differretur, constitutum est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *omnis, utriusque sexus*, ut singuli Fideles, cum ad annos discretionis pervenerint, Sacramentum hoc saltem semel in anno tempore Paschatis percipiant, nisi ex licentia proprii Sacerdotis in plures aliquot dies ex causa aliqua rationabili differendum censeatur.

3. Sunt autem quædam hic observanda circa Ecclesiasticum istud de sumenda Eucharistia præceptum.

Primum est, tempore Paschatis intelligi totum illud tempus, quod effluit a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive, ut ab Eugen. IV. declaratum fuisse Navarrus tradit q. 21. n. 45. Imo, ubi consuetudo legitime præscripta viget de satisfaciendo huic præcepto per Communionem quolibet Quadragesimæ die factam, idem Navarrus docet, satis esse ad transgressionem præcepti evitandam, ut quis ejusmodi consuetudini se conformet.

Secundū est ex probabilissima, & in praxi magis recepta sententia, illum, qui tempore Paschatis ex causa aliqua justa, vel injusta sacram Eucharistiā accipere intermisit, postea, quam primum commode potest, ad sumendam illam obligari. Ita docent Navarrus, Azor. Suarez, & alii apud Laymannum c. 5. de Euchar. quibus subscribit Isambertus ad quæst. 80. disput. 6. art. 2. ubi etiam addit, illum, qui prævidet, defuturā sibi tempore Paschatis communicandi occasionem, ad præveniendum illud tempus obligari. Quod tamen aliqui recte limitāt, si intra eum annum jam semel non communicaverit, aut si prævideat, quod intra eundē annum communicare non possit; quia Ecclesiæ intentio præcipua est, ut Communio ultra annum non differatur,

sicut

sicut recte observat, & probat Laymannus supra.

Tertium est, pœnam illam in supra dicto decreto Concilii Later. contra hujus præcepti transgressores constitutam, scilicet ut viventes ab Ecclesia arceantur, & mortui Ecclesiastica sepultura priventur, non esse latæ sententiæ, sed ferendæ, ut ipsius decreti verba indicant. Quapropter Parochi, aliique Sacerdotes, qui jurisdictionem in foro exteriori non obtinent, pœnam illam non nisi consulto, ac jubente Ordinario inferre non debent, nisi specialibus Diœceseon Constitutionibus, aut cōsuetudinibus aliquid expressius declaretur.

4. Dicendum 4. non modo Ecclesiasticum, sed etiam Divinum de sumenda Eucharistia extare præceptum. Ita S. Thom. q.80.ar.11. & constat tum ex his Christi Domini verbis S. Joan.6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*, tum etiam ex Concil. Trident. sess. 13. cap. 2. ubi sic loquitur, *Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit*, &c.

Quæres, quo tempore Divinum illud præceptum obliget. Respondetur 1. obligare saltem in articulo mortis, ut docet, & pluribus probat Suarez disp.69. sect. 3. & Valentia disp. 6. quæst. 8. de Euchar. puncto 4. colligiturque ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ peculiari cura semper cavit, ne infirmi sine illius sumptione ex hac vita decederent. Unde in Concilio Nicæno I. can. 13. Eucharistia in fine vitæ sumenda vocatur *Viaticum necessarium*. Idem habetur in Concilio Carthagin. IV. can. 77 & in aliis Conciliis, quæ referuntur in Decreto, causa 27. qu. 1. & q.

Respondetur 2. valde probabilem esse sententiam Soti lect. 9. de Euch. Ægidii Coninck quæst. 68. art. 3. & aliorum Doctorum, qui asserunt, ex præcepto Divino ununquenque Fidelem adultum, etiam citra mortis periculum, ad sumendam aliquoties in vita Eucharistiam obligari, Christum Dominum nullum tempus certum præscribere voluisse, sed Ecclesiæ suæ reliquisse determinandum.

Est autem observandum, quando Eucharistia in periculo mortis per modum Viatici sumitur, etiam a non jejunis illam sumi posse, quando sine gravi damno, aut periculo jejunium ab illis usque ad tempus hujus Sacramenti suscipiendi servari non potest, ut ex communi Doctorum consensu docet Toletus lib.4. cap. 15. & habetur in Rituali Romano titulo de Communione infirmorum. Si tamen nullum probabile mortis periculum immineret, & ex devotione sola communicare vellet infirmus (quod illi haud dubie saluberrimū est, ideoque consulendum) tunc non nisi jejunus Eucharistiam suscipere deberet. Quod si infirmus in mortis periculo diutius versetur, poterit iterum, & sæpius Eucharistiam per modum Viatici etiam non jejunus sumere, ut docet idem Toletus supra, dummodo tempus aliquod ab ultima Viatici sumptione intercesserit, quod quidem tempus

pus in Rituali titulo de Communione infir. decem dierum spatio præfinitur.

. Quærunt aliqui, an is, qui paulo, antequam incideret in periculum mortis, communicavit, teneatur iterum periculo illo adveniente Eucharistiam recipere. Quidam Theologi, ut Sotus, Paludanus, & alii, quos citat, & sequitur Laymannus c.5. de Euchar. existimant, illum, qui Eucharistiam recepit octo, vel decem diebus, antequam in periculum mortis incideret, non teneri sub peccato iterum communicare. Quorum sententia quamvis probabilis videatur, verior tamen, & in praxi tenẽda est ea, quæ asserit, talem ex præcepto Divino iterum obligari ad communicandum, etiamsi pridie, quam incideret in mortis periculum, jam communicasset. Ita Isambertus ad qu. 80. disp.5. art.2. ubi etiam contendit, illum, qui nihil de periculo mortis cogitans communicasset, aut celebrasset, si eodem die in tale periculum incidat, iterum ad Eucharistiam sumẽdam per modum Viatici obligari. Cui tamen sententiæ ne subscribamus, obstat Ecclesiæ lex, & consuetudo prohibens, ne quis eodem die bis communicet, exceptis aliquot casibus in jure expressis, ut Natalis Domini, Parochi duas, aut plures Ecclesias Parochiales distinctas legitime possidentis, &c. inter quos tamen propositus hic casus nusquam reperitur.

Optimum super hac re consilium esset id præstare, quod a sanctissimis viris, & nuper etiam ab Eminentissimo, & de universa Ecclesia optime merito Cardinali Baronio aliquot annis ante mortem factum legimus, qui, quoties communicabant, aut Missæ Sacrificium celebrabant, toties sacram Eucharistiam per modum Viatici ex peculiari intentione sumebant, ea scilicet mente, ut, si mors ex improviso accideret, Divino præcepto de Eucharistia in tali casu sumenda ab ipsis satisfactum esset.

SECTIO IX.

Solvuntur quædam dubia circa doctrinam præcedenti Sectione traditam.

1. PRimum est, utrum amentibus baptizatis administranda sit Eucharistia. Respondet S. Doctor q. 80. art. 9. cum distinctione. Vel enim semper caruerunt usu rationis, & talibus dicit Sacramentum hoc non esse administrandum: vel non semper caruerunt, & tunc, si prius, cũm essent rationis compotes, apparuit in eis Sacramenti hujus aliqua devotio, debet ipsis in articulo mortis exhiberi, ut ibidem docet, confirmatque auctoritate Concilii IV. Carthag. can. 76. nisi forte timeatur periculum vomitus, vel expulsionis. Iis autem, qui non omnino amentes sunt, sed debilem tantum habent rationis usum, non est hoc Sacramentum omnino denegandum, sed pro ratione dispositionis administrandum.

2. Se-

2. Secundum est, qua ætate pueris Sacramentum hoc administrari debeat. Respondetur, nihil super hac re generatim posse definiri, sed cujusque pueri indolem esse considerandam. In aliis siquidem tardius, in aliis citius rationis usus exoritur. Neque tamen requiritur, ut puer pleno, ac perfecto judicio polleat, sed satis est, secundum mentem S. Doctoris sup. in resp. ad 3. ut talem usum rationis habere incipiat, quo possit actum Fidei circa hoc Sacramentum elicere, & devotum aliquem affectum circa illud concipere.

Unde graviter aliquãdo peccant parentes, Pastores, & Confessarii, qui ex incuria primam puerorum Communionem nimis diu differunt, quos S. Franciscus Salesius Episc. Genevensis in ipso rationis crepusculo ad Christũ Dominum volebat in hujus Sacramenti participatione adduci, ut illius Gratiis irrorati tanquam novellæ olivarum in circuitu mensæ Domini adolescerent, eoque confortante, baptismalem innocentiam facilius, & constantius custodirent.

3. Tertium est, utrum reis ad mortem damnatis Eucharistia licite negari possit. Respondetur cum Isamberto ad qu 80. disp. 4. Ecclesiam posse speciali aliquo decreto, vel ratione alicujus consuetudinis, ejusmodi reos ad mortem damnatos Sacramentali Eucharistiæ perceptione privare. Quod præsertim probat ex eo, quod Ecclesia olim in quibusdam Conciliis, ac nominatim in Concilio Eliberino, quosdam peccatores publicos, licet pœnitentes, & sacramentaliter absolutos, sacra Viatici sumptione etiam in articulo mortis privavit; ergo idem etiam nunc in similibus casibus ad horrorem quorundam criminum altius animis imprimendum facere poterit, cum in dispensatione Sacramentorum salva illorum substantia plenariam a Christo Domino potestatem acceperit.

4. Quartum est, utrum sicut Sacerdotes celebrantes, sic etiam laici communicantes Sacramentum hoc sub utraque specie sumere debeant. Respondetur juxta definitionem Conc. Trid. sess. 21. cap. 1. *Laicos, & Clericos nõ conficientes nullo præcepto Divino ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum obligari, neque ullo pacto salva Fide dubitari posse, quin illis alterius speciei Cõmunio ad salutẽ sufficiat.* Et postea subdit ca. 2. quod, *licet ab initio Christianæ Religionis nõ infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu tẽporis jam mutata illa consuetudine, sancta mater Ecclesia gravibus, & justis de causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie cõmunicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit; quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.* Addit denique cap. 3. *fatendũ esse, etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum sumi, ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla Gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciẽ solum recipiunt.* Certe in Scripturis Actor. 2. 20. & 27. fit mentio solius fractionis panis; in cujus communicatione dicuntur Fideles fuisse

fuisse perseverantes: & olim in Ecclesia Sacramentum hoc sub sola specie panis ad Communionem infirmorum asservatum, ipsisque infirmis ministratum fuisse, constat ex Concilio Nicæno can. 12. & 14. ex Eusebio l.6 Histor. Eccles. c.35. & etiam ex S. Greg. Nazianz. in orat. de Gorgonia sorore: ex quibus patet, quantum a veritate alienum sit, quod Hæretici dicunt, ununquemque Fidelium præcepto Divino ad Communionem sub utraque specie sumendam obligari.

SECTIO X.

Quis sit legitimus hujus Sacramenti minister.

1. QUæstio proposita dupliciter intelligi potest, primo, quis hoc Sacramentum conficere, secundo, quis illud legitime dispensare, & administrare possit. Pro illius in utroque sensu resolutione

Dicendum 1. solum novæ legis Sacerdotem, rite ordinatum, esse proprium, & legitimum Eucharistiæ conficiendæ ministrum. Hæc veritas, quæ de Fide est, constat ex his Christi Domini verbis S. Matth. 26. & S. Luc. 22. *Hoc facite*, &c. quibus solis Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus hanc Eucharistiæ conficiendæ potestatem concessit, quo sensu verba illa intelligenda esse docet S. Th. q. 82. a. 1. Constat etiam ex Conc. Lateran. sub Innocentio III. cap. *firmiter*, in quo statuitur, *neminem nisi Sacerdotem rite secundum claves Ecclesiæ ordinatũ Sacramentum hoc posse conficere*; quod etiam expresse definitum est in Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. Huic quoque veritati subscripserunt SS. Patres, ut S. Chrys. passim in libris de Sacerdotio, præsertimque l. 3. c. 3. & S. Hier. dialogo cont. Luciferianos post medium, ubi contendit, Hilarium quendam Schismaticum non potuisse Eucharistiam conficere, eo quod fuisset tantum in Diaconum ordinatus.

2. Dicendum 2. solum Sacerdotem esse ordinarium dispensationis, & administrationis hujus Sacramenti ministrum. Ita S. Th. q. 82. a. 3. Et constat ex cap. *pervenit*, de consec. dist. 2. in quo reprehenduntur Sacerdotes, qui laicis Eucharistiam dabant ad infirmos deferendam. Et in Conc. Trid. sess. 13. c. 8. dicitur, *Hunc semper in Ecclesia morem fuisse, ut laici a Sacerdotibus Communionem acciperent.*

Diximus *ordinarium*. Primis enim Ecclesiæ temporibus ob penuriam Sacerdotum extraordinarie hanc Eucharistiæ dispensationem Diaconis commissam fuisse, constat ex S. Justino Apolog. 2. in fine, & ex S. Ambr. l. 1. Offic. c. 41. Quod tamen tempore consequenti ad solum casum necessitatis redactum fuit, ut declaratur in Concilio Carth. IV. can. 38. & demum prorsus exolevit.

3. Quanquam Suarez disp. 72. sect. 1. & alii Doctores, quos ibidem citat, existimant, etiam nunc in casu necessitatis (ut si infirmus in mortis articulo postularet Viaticum, nec adesset Sacerdos) pos-

posse Diaconum illi administrare: quod similiter docet Toletus l. 2. c. 8. Imo idem Suarez, Valentia, Konick, & alii apud Bonacinam disp. 4. q. 5. punct. 1. asserunt, in extrema necessitate, ut in articulo mortis, si nullus adsit Sacerdos, aut Diaconus, laicum posse Eucharistiam per se ipsum sumere, aut alteri sumendam præbere; quod tamen intelligendum est secluso quovis scandalo. Quamvis autem Bonacina hanc sententiam minus probabilem existimet; aliis attamen non improbanda videtur, cum olim usitatum fuerit, ut constat ex Eusebio lib. 6. c. 36. & nuper etiam in Maria Scotiæ Regina factum laudetur.

Dicendum 3. nullum Sacerdotem posse licite alteri Eucharistiam administrare, nisi sit ejus proprius Pastor, vel ex proprii Pastoris, id est Summi Pontificis, Episcopi, vel Parochi commissione, seu licentia expressà, vel rationabiliter præsumpta id faciat. Ita Suarez supra sect. 2. Vasquez disp. 219. c. 2. Laymannus l. 5. tract. 4. cap. 7 de Euch. qui hanc affert rationem, quod dispensatio Sacramentorum, ac præsertim hujus, quo Fideles spiritualiter pascuntur, sit proprium munus Pastoris, quod proinde nemo alius usurpare debet.

SECTIO XI.

De Sanctissimo Missæ Sacrificio.

§ I.

Utrum in Missa verum, & proprie dictum Sacrificium offeratur.

1. MIssæ nomen plurimi ab Hebraica voce, quæ oblationem spontaneam significat, derivare contendunt. Alii tamen probabilius (ut Bellarmino videtur lib. 1. de Miss. c. 1.) dictionem esse Latinam existimant a mittendo derivatam, quia per illam oblationes & preces ad Deum mittuntur, vel quia in illius fine Diaconi, vel Sacerdotis voce fit remissio, seu dimissio populi. Patres siquidem Græci nunquam nomen Missæ, sed λειτουργίας usurpasse reperiuntur, quos tamen alias voces Hebraicas, ut *Pascha*, *Sabbatum*, *alleluja*, &c. passim retinuisse videmus.

Quidquid sit de illius nominis derivatione, certum est, illud in Ecclesia antiquissimum, & usitatissimum fuisse, ut satis demonstrat ejus frequens mentio tum in Conciliis antiquis, tum apud Ss. Patres, quos fuse refert Bellarminus loco proxime citato. Et eo nomine, secundum communissimam, ac usitatissimam illius acceptionem, significatur actio illa Religiosa divinitus instituta, per quam Christi Domini corpus, & sanguis cum sacris quibusdam ritibus ab Ecclesia præscriptis consecratur, offertur, ac sumitur. Et de Missa eo sensu intellecta quæritur, an sit verum, & proprie dictum

Sacri-

Sacrificium. Pro cujus quæstionis faciliori resolutione,

2. Supponimus ex doctrina S. Thomæ 2. 2. quæst 85. & aliorum communiter Theologorum, Sacrificium proprie dictum esse oblationem externam soli Deo factam, qua in testificationem supremi dominii, quod in omnes creaturas, earumque vitam, & existentiam obtinet (cujus proinde nutu sicut creatæ sunt, & conservantur, sic etiam destrui, & annihilari possunt) a legitimo ministro res aliqua sensibilis, & permanens ritu mystico consecratur, & transmutatur.

Dicitur 1. *oblatio externa*, ut ab internis Religionis actibus discernatur.

Dicitur 2. *soli Deo facta*. *Quis enim*, inquit S. Aug. lib. 10. de civit. c. 4. *sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?*

Dicitur 3. *in testificationem supremi dominii*, &c. ut explicetur, in quem finem Sacrificium offeratur.

Dicitur 4. *a legitimo ministro*. Non enim cujusvis est offerre Sacrificium, nec, ut ait Apostolus, *quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*.

Dicitur 5. *res aliqua sensibilis, & permanens*, ut a ratione Sacrificii proprie dicti excludantur actiones transeuntes, quales sunt psalmodiæ, preces, &c.

Dicitur 6. *ritu mystico consecratur*, idest Divino cultui, & honori dedicatur. Sacrificare enim, ut ait S. Doctor sup. a. 3. est aliquid sacrum facere.

Dicitur 7. *& transmutatur*. Ad verum enim, & proprie dictum Sacrificium requiritur, ut id, quod sacrificatur, ita transmutetur, ut desinat esse id, quod ante erat. Cum enim (ut supra dictum est) Sacrificium offeratur in protestationem, quod Deus sit summus vitæ, ac necis arbiter, ad hoc requiritur, ut non solum usus rei, sed ejus etiam substantia Deo offeratur, & in ejus honorem consumatur.

3. Hoc præsupposito, dicendum est, in Missa verum, & proprie dictum Sacrificium Deo offerri. Hæc veritas, quæ a Conc. Trid. definita est, tanquam Fide credenda, quam Hæretici hodierni præsertim impugnant, probatur 1. ex Malachia c. 1. sic Judæos alloquente, *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiã de manu vestra. Ab ortu enim usque ad occasum magnũ est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*, quibus verbis prædicit Propheta, ut explicat S. Aug. l. 19. de Civ. c. 23. *cessaturas victimas, quas in umbra futurorum offerebant Judæi, & unum Sacrificium gentes a Solis ortu usque ad occasum, sicut jam fieri cernimus, oblaturas*.

Probatur 2. ex eo, quod Apostolus Heb. 6. dixit, quod Christus Dominus *factus est Pontifex in æternum secundum ordinẽ Melchisedech*, id

id est, quod sicut Melchisedech panem, & vinum in sacrificiū obtulit, sic etiam Christus Dominus corpus, & sanguinem suum sub specie panis, & vini in sacrificium obtulit, & Discipulis suis, eorumque in Sacerdotio successoribus offerendum tradidit. Ita enim hunc Apostoli locum explicant Sancti Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, & alii, quos refert Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 6.

Prob. 3. ex Conc. Nicæno I. can. 14. ubi statuitur, *Diaconos non habere potestatem offerendi Sacrificium, sed solos Sacerdotes*, & Nicæno II. act. 6. ubi fit expressa mentio incruenti Sacrificii, quod in memoriam Passionis Christi a Sacerdote offertur, diciturque, in eo non imaginem, sed ipsummet Christi corpus offerri.

4. Prob. 4. ex sancto Ambrosio capite 1. in sanctum Lucam, *Cum sacrificamus*, inquit, *Christus adest, Christus immolatur*, S. Greg. Niss. orat. 1. de festo Paschæ, *Christus non expectat Pilati judicium, sed ineffabilis sacrificii modo præoccupat violentum impetum Judæorum, ac seipsum offert oblationem pro nobis, Sacerdos simul, & Agnus. Quando vero id accidit? cum nempe corpus suum ad manducandum, & sanguinem familiaribus exhibuit ad bibendum*. S. Aug. lib. de Trinit. c. 14. *Quid gratius offerri, aut suscipi potest, quam caro Sacrificii nostri, corpus effectum Sacerdotis nostri?*

Prob. 5. hac ratione. Ubicunque reperiuntur Altaria, & Sacerdotes, ibi sacrificium etiam reperiri necesse est, cum non nisi ad Sacrificia offerenda usui esse possint; atqui in Ecclesia Catholica semper fuerunt Altaria, & Sacerdotes, ut constat ex antiquissimis Conciliis, Chalcedonensi act. 1. ubi dicitur, Patres Concilii consedisse in Ecclesia *Ante cancellos sanctissimi Altaris*, & Laodiceno can. 19. ubi statuitur, *Solis sacratis licere ad Altare accedere*, & can. 44. ubi prohibetur, *Ne mulier ingrediatur ad Altare*, item ex S. Cypriano lib. 1. Epist. 9. ubi prohibet, ne offeratur Sacrificium pro Christiano quodam defuncto, qui testamento suo rerum aliquarum temporalium procurationem Sacerdoti mandaverat. *Quia*, inquit, *non est dignum, ut pro illo sacrificetur, qui Sacerdotem Dei ab Altari abstraxit*.

Objiciunt 1. Hæretici, Christum Dominum in Scripturis vocari, & re vera esse Sacerdotem in æternum, unde inferunt, nullos in terris Sacerdotes illi esse substituendos, nec ulla proinde Sacrificia ab ipsis posse offerri.

Respondetur, Sacerdotes non substitui Christo Domino, nec illorum multiplicationem repugnare unitati, & æternitati Sacerdotii ipsius Christi, sed operari, & sacrificare in illius virtute tanquam ejus Vicarios, sicut quamvis ipse Christus de seipso loquens dixerit, *Unus est Magister vester Christus*, hoc non obstat, quin sub illo sint etiam alii Doctores, & Magistri: unde Apostolus 2. Timoth. 1. vocat se se *Magistrum, & Doctorem Gentium*.

Objiciunt 2. Apostolum Hebr. 10. dixisse, Christum una sui oblatio-

latione consummasse in æternum sanctificatos, unde sequitur, nos nullo alio Sacrificio indigere, cum unum Christi in cruce Sacrificium infinitam, & æternam vim habuerit.

Respondetur, verum esse, quod Christus Dominus unica sui oblatione æternā humani generis redemptionem perfecit; quod tamen non obstat, quin, ut loquitur Conc. Trid. sess. 22. c. 1. *Ecclesiæ suæ visibile, sicut hominum natura exigit, reliquerit Sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peractum repræsentaretur, ejusq; memoria in finē usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionē eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur.*

§. II.

Quænam partes Missæ ad rationem Sacrificii pertineant.

1. De duabus præsertim ipsius Missæ partibus controversia est apud Theologos, consecratione scilicet, & communione, an utraque, vel una solummodo illarum ad rationem, seu essentiam Sacrificii pertineat. De aliis enim, quæ in Missa fiunt, conveniunt omnes, quod ad essentiam Sacrificii minime pertineant, sed quod sint tantum cæremoniæ quædam ab Ecclesia institutæ, quarum aliæ sunt præparatoriæ ad Sacrificium, aliæ repræsentativæ eorum, quæ in Passione Christi Domini gesta sunt, aliæ demum significativæ fructus, qui ex illo Sacrificio super Fideles derivatur.

Sunt autē duæ celebriores Theologorū super hac quæstione sententiæ. Prior eorum, qui existimant, rationem, seu essentiam Sacrificii Missæ in sola consecratione consistere. Ita Suar. disp. 75. & plures alii, quos ibidem citat, quorum præcipuæ rationes hæ sunt.

Prima; quod sacri Evangelistæ institutionem hujus Sacrificii referentes solius consecrationis meminerint, nec dicant, Christum Dominum corpus, & sanguinem suum in illa institutione sumpsisse. Quod quamvis S. Th. qu. 81. art. 1. & plurimi alii tum Sancti Patres, tum Doctores asserant; non est tamen verisimile, sacros Evangelistas omissuros fuisse, si ad hujus Sacrificii rationem, & essentiam pertinere existimassent.

Secunda, quod hujus Sacrificii essentia consistat in ea actione, quæ est expressissima Passionis, & mortis Christi Dom. repræsentatio; atqui consecratio est ejusmodi, cum in illa vi verborū corpus seorsim a sanguine ponatur, & sic fiat mystica quædā separatio sanguinis ab ipso corpore, in qua quidem separatione realiter in cruce facta posita fuit vera, & propria ratio Sacrificii in ipsa cruce peracti; ergo, &c.

Tertia, quod hujus Sacrificii propria, & essentialis ratio cōstituenda sit in actione illa, in qua Sacerdos fungitur vice Christi D. principalis offerentis, & illius nomine aliquid Deo offert; atqui in sola consecratione id reperitur. Tunc enim solummodo Sacerdos in perso-

persona ipsius Christi loquitur, & virtute verborum consecrationis Victimam illam Divinam veluti sistit in Altari, sicque eam Deo offert. Omnes enim reliquæ oblationes, quæ ipsam consecrationẽ antecedunt, aut subsequuntur, ab Ecclesia institutæ sunt, cum S. Gregor. lib. 7. Ep. 63. Apostolos primis Ecclesiæ temporibus ad verba consecrations solam Orationem Dominicã addere solitos fuisse testetur.

2. Posterior sententia est eorum, qui asserunt, ad rationem, & essentiam hujus Sacrificii pertinere quidem consecrationẽ corporis, & sanguinis Christi Dom. quatenus est veluti positio, seu adductio victimæ ad Altare, illiusq; oblatio sed solam nõ sufficere, defectu realis immutationis in Sacrificio requisitæ, proindeque ad rationem, & essentiã hujus Sacrificii pertinere quoque Sacerdotis Communionem, per quam hujus Sacrificii victima in honorem Dei veluti destruitur, atque consumitur, in quantum per illam Sacerdotis Communionem corpus, & sanguis Christi sub speciebus sacramentalibus esse desinit.

Cujus sententiæ assertores sunt Canus, Sotus, Bellarminus, & alii, quibus subscribit Isambertus ad qu. 81. disp. 3. art. 4. qui etiam pro ea citat S. Doctorem præfatæ quæstionis a. 2. Et fundamenta illius posterioris sententiæ præcipua sunt hæc:

Primum, quod Christus Dominus Sacrificium hoc instituens simul, & offerens dixit S. Luc. 22. & 1 Cor. 11 *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur, frangitur*, juxta Græcam editionem, & de calice sanguinis sui; *Qui pro vobis fundetur in remissionem peccatorum*, quæ quidem verba de fractione, & effusione, quæ in ipso Sacrificio fit, intelligenda esse ex mente S. Chrysost. & plurium SS. PP. probat Maldonatus ad c. 16. S. Matth Unde recte colligitur, sumptionem corporis, & sanguinis Christi Domini a Sacerdote factam, quæ per fractionem, & effusionem illam significatur, ad Sacrificii rationem, & essentiam pertinere, cum illius fractionis, & effusionis virtute peccata remittenda esse dicantur, qui quidem effectus hujus Sacrificii proprius est, ut infra explicabitur.

Secundum est, quod ad rationem sacrificii pertineat realis quædam immutatio, seu destructio rei oblatæ; per consecrationem autem nulla fiat corporis, & sanguinis Christi destructio, sed potius nova ipsius sub speciebus sacramentalibus positio, quæ per Communionem destruitur, per quam proinde fit, ut corpus Christi amittat esse sacramentale, & sic realiter immutetur.

Tertium est, quod Ecclesia præcepit, ut si contingat Sacerdotem celebrantem facta consecratione mori ante Communionem, alius Sacerdos etiam non jejunus perficiat Missam, consumendo totam Victimam, ne scilicet Sacrificium imperfectum relinquatur, *Quale enim est Sacrificium*, ut dicitur cap. *Relatum* de consecrat. dist. 2. *cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?*

3. Quamvis autem hæ duæ sententiæ maxime videantur probabi-

les, & ex utraque illarum possint varii, & eximii pietatis, ac religionis effectus elici; posterior tamen magis nobis arridet, tum ob fundamenta illa, quibus innititur, tum etiam, quia rationes pro priori allatæ non ita firmæ sunt, quin everti posse videantur.

Ad primã siquidem respondetur, satis expressam in Evangelio fieri mentionem non solum consecrationis, sed etiam Communionis, seu consumptionis Victimæ hujus sacrificii verbis illis Christi Domini, quæ in primo posterioris sententiæ fundamento relata sunt.

Ad secundã respondetur, mysticam illam separationem sanguinis a corpore Christi Domini non sufficere ad rationem sacrificii, ad quam, ut dictum est, realis aliqua immutatio rei sacrificatæ requiritur, quæ cũ in sola consecratione non reperiatur, hinc sequitur, in illa sola perfectam, & completam rationem sacrificii minime reperiri.

Ad tertiam denique respondetur, Sacerdotem vi suæ ordinationis habere potestatem non modo consecrandi, & offerendi Victimam, sed etiam illam consumendi, cum hæc consumptio æque, ac consecratio, & oblatio pertineat ad rationem sacrificii, quod perficere debet tanquam Minister Christi, in cujus persona æque dici debet Victimam consumere, cum id Christus Dominus fecerit, sicut in ejus persona dicitur ipsam Victimam consecrare.

§. III.

Quinam sint hujus Sacrificii effectus.

1. SUpponimus ex veriori sententia, quam Bellarm. l. 2. de Missa cap. 4. communem esse Theologorum affirmat, Sacrificium Missæ ad effectus suos producendos vim habere, non solum ex opere operantis, ratione scil. Bonitatis, & devotionis ejus, qui illud offert, quod illi cum omnibus aliis piis operibus commune est, sed etiam ex opere operato, id est virtute ipsius sacrificii, quod offertur, idque independẽter a bonitate, vel malitia, seu indignitate Ministri offerentis. Unde Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. dicit, *hujus Sacrificii oblationem ita esse mundam, ut nulla indignitate, aut malitia offerentiũ inquinari possit*; posset autem inquinari, si ex sola bonitate morali, ac merito operis, quod exercet offerens, valorem, ac effectum haberet. Accedit communis totius Ecclesiæ sensus, qui est, Sacrificium hoc pro aliquo, sive vivente, sive mortuo oblatum posse ipsi esse fructuosum, etsi offerendi ratio ex parte ipsius operantis nihil habeat bonitatis moralis: nec ullo statuto, aut lege obligat Sacerdotem, qui in peccato mortali ex aliqua obligatione celebravit, iterum celebrare, tanquam obligationi illi minime satisfecerit.

Hoc præsupposito, pro resolutione quæstionis propositæ dicendũ est, Missæ Sacrificium esse ex opere operato non modo Latreuticum, & Eucharisticum, seu *Sacrificium laudis, & gratiarum actionis*,

ctionis, ut loquitur Conc. Trident. sess. 22. cap. 2. & can. 3. sed prætera esse etiam propitiatorium, & impetratorium, ut in eodem Concilio definitum est. Atque in primis quod sit Latreuticum, & Eucharisticum, seu quod offerri possit in laudem, & honorem Dei, & in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, consentiunt omnes, & inde constat, quod (ut docet S. Aug. in Psalm. 29. & S. Leo sermone tertio de Passione) in se contineat modo quodam longe perfectiori, & eminentiori differentias omnes, & proprietates sacrificiorum antiquæ legis; atqui inter sacrificia illa antiquæ legis, ut observat S. Doctor 1. 2. q. 102. a. 3. quædam offerebantur pure in honorem, & laudem Dei, quæ *holocausta* dicebantur, quædam in gratiarum actionem, quæ vocabantur *hostiæ pacificæ*; ergo a fortiori Missæ sacrificium idem præstare poterit; & proinde in Dei laudem, & gratiarum actionem offerri.

2. Quod vero sit etiã propitiatoriũ, seu expiatorium peccatorum, quod Hæretici præsertim negant, probatur 1. ex eo, quod Christus Dom. hoc sacrificium instituens, & offerens dixit S. Matth. 26. & S. Marc. 14. *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, quibus verbis, ut explicat sanctus Alexander Papa, & Martyr, qui anno 119. Ecclesiæ præfuit, in Epistola decretali ad omnes Orthodoxos, *Ipsa Veritas nos instruit*, &c. *crimina, atque peccata oblatis his Domino Sacrificiis deleri*, &c. *& talibus hostiis placari Deum, & peccata ingentia dimittere*.

Prob. 2. ex Sanctis Patribus, qui hanc veritatem unanimiter asserunt, ut S. Cyprianus, qui sermone de Cœna Domini hoc sacrificium esse dicit *Medicamentum simul, & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates*. S. Augustinus, qui qu. 57. in Leviticum asserit, in illo sacrificio *veram fieri remissionem peccatorum*, & sermone undecimo de Sanctis dicit, *in altari sanguinem effundi pro peccatoribus*. Plura Sanctorum Patrum testimonia videri possunt apud Gregorium a Valentia disp. 16. q. 11. de ritu, & oblatione Eucharistiæ puncto 2.

3. Est autem observandum id, quod docet Bellarm. lib. 1. de Missa c. 4. Suarez disp. 79. sect. 3. & communiter alii Theologi, remissionem peccatorum quoad culpam esse hujus sacrificii effectum, non ad eum modum, quo in Baptismo & Pœnitentia per infusionem Gratiæ habitualis justificantis remitti solent, sed ea solum ratione, quod hujus sacrificii intuitu Deus conferat donum pœnitentiæ, id est Gratiæ alicujus actualis auxilium, quo peccator ad actum perfectæ contritionis eliciendum, vel ad absolutionẽ in Sacramento Pœnitentiæ digne, & fructuose recipiendam excitetur, & adjuvetur. Quod expresse declaravit Conc. Trid. sess. 22. cap. 2. ubi de hoc Sacrificio loquens, *Hujus*, inquit, *oblatione placatus Dominus Gratiam, & donum pœnitentiæ concedens crimina etiam ingentia dimittit*.

Quod vero spectat ad remissionem pœnæ peccatis quoad culpam remissis debitæ, communis, & vera Theologorum sententia, quam fuse explicat, & probat Suarez disp. 79. sect. 6. est, illam per Missæ Sacrificium immediate fieri, Deo scilicet ob illius oblationem relaxante pœnam ei, pro quo oblatum est. Quod etiam docet S. Thomas qu. 79. art. 5. ubi dicit, Missæ sacrificium habere directe ex institutione sua vim pro peccatis satisfactivam.

4 Denique quod Missæ sacrificium sit etiam impetratoriũ, præter auctoritatem Conc. Trid. sess. 22. c. 2. & can. 3. id expresse definientis, constat tum ex Apost. 1. ad Timoth. c. 2. præcipiente fieri *Obsecrationes*, id est, ut S. Chrysost. Theophylactus, & Oecumenius explicant, Sacrificia, *pro Regibus*, &c. *ut quietam, & tranquillam vitã agamus*: tum ex perpetua, & universali Ecclesiæ praxi, quæ hoc sacrificium offerre consuevit pro quibuscunq; bonis spiritualibus, imo temporalibus a Deo impetrandis, & pro quibuscunque malis deprecandis, & avertendis, ut satis constat ex orationibus, quibus in Canone, & aliis partibus Missæ olim usa est, sicut ex antiquis Liturgiis patet, & nunc etiam utitur. Cujus quidem rei insigne exemplum profert S. Aug lib. 22. de Civ. c. 8. ubi loquens de viro quodam Tribunitio nomine Hesperio, qui domum suam a malignis spiritibus infestari compererat, servosque, & animalia vim illorum noxiam perpeti, *Rogavit nostros*, inquit, *me absente, Presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi Sacrificium corporis Christi, orans, quantum potuit, ut cessaret illa vexatio, Deoque protinus miserante cessavit*.

Neque dicas, minus conveniens videri rem infinite excellentem, qualis est Victima illa Divina, quæ in Missa offertur, ad rem aliquam temporalem, & caducam ordinare. Respondetur enim minime conveniens fore, si res illa temporalis, & caduca propter se solummodo expeteretur; non esse autem, si expetatur tanquam medium ad Deum in bonis honorandum, & salutem æternam per rectum, & legitimum illorum usum consequendam, ex qua sola intentione decet, Christianos non modo in Sacrificio Missæ, sed etiam in aliis orationibus a Deo bona temporalia postulare.

5 Quæres 1. an Missæ sacrificium effectus suos infallibiliter producat. Respondetur cum distinctione. Si enim consideretur, ut est Latreuticum, & Eucharisticũ, infallibiliter haud dubie consequitur effectũ suum respectu Dei, ad quem honor, & laus ex hoc sacrificio, quod illi non potest non esse acceptissimũ, semper redundat; si ut satisfactorium, habet etiã infallibiliter suum effectum in illis, pro quibus offertur, idque secundum modum, & mensuram tum institutionis ipsius Christi, tum devotionis, & bonæ dispositionis illorum, pro quibus offertur, dummodo nullam ponant obicem, idest dummodo, quãdo illis hujusmodi fructus applicatur, sint in Gratia sanctificante con-

constituti: nunquam enim pœna peccati relaxatur, nisi simul remittatur, vel ante remissa sit culpa, ut ex dicendis capite sequenti intelligetur; si autem spectetur ut impetratorium, habet etiam infallibilem efficaciam ad bona spiritualia, vel temporalia in generali a Deo impetranda, non vero ad hæc, vel illa in particulari, cum ex parte Dei nulla intercedat promissio absoluta de his, aut illis specialibus bonis Sacrificii hujus intuitu conferendis, sed tantum conditionata, si nimirum bona illa hic, & nunc conducant ad majorem Dei gloriam, & illius, pro quo postulantur, salutem.

6. Quæres 2. an Missæ Sacrificium æqualis sit efficaciæ, sive a bono, sive a malo Ministro offeratur. Respondetur, si spectetur illius effectus, prout est ex opere operato, æqualem prorsus esse illius efficaciam, cum nullo modo pendeat a dispositione bona, vel mala Ministri, ut docet S. Thomas q. 82. a. 6. si vero spectetur, prout est ex opere operantis, tunc certum est, illius fructum pendere a dispositione Sacerdotis, quæ quo melior est, eo magis illi, & aliis prodest.

§. IV.

Quibus personis prosit Missæ Sacrificium, seu pro quibus licite, & valide offerri possit.

1. QUæstio proposita intelligenda est, non de eo Missæ fructu, qui ex opere operantis provenit: certum est enim, ejusmodi fructum applicari posse a quolibet Sacerdote iis omnibus vivis, & defunctis, pro quibus orationes suas particulares ad Deum dirigere potest, cum sit utrobique par ratio, sed de fructu illo, qui est ex opere operato.

Circa hujus vero quæstionis resolutionem conveniunt in quibusdam Theologi, in quibusdam vero non conveniunt. Atque in primis conveniunt omnes in eo, quod Sacrificium Missæ valide, & licite offerri possit pro omnibus, & quibuslibet Fidelibus baptizatis non excommunicatis, sive vivis, sive defunctis in Purgatorio existentibus. Id constat ex ipsius Ecclesiæ perpetua, & universali praxi, quæ tum in antiquis Liturgiis, ut videre est apud Pamelium tom. 1. Liturgicô, tum in ritu illo, quo nunc in Missæ celebratione utitur, Sacrificium hoc offerre consuevit, *Pro omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ Fidei cultoribus*, &c. *Et pro omnibus in Christo quiescentibus, qui nos præcesserunt cum signo Fidei, & dormiunt in somno pacis.*

Conveniunt etiam omnes in eo, quod Missæ Sacrificium nec licite, nec valide offerri possit pro damnatis, sive cum peccato aliquo actuali mortali, sive cum solo originali decesserint. Quod expresse docuit S. August. lib. 3. de origine animæ cap. 11. *Noli credere*, inquit, *nec docere, nec dicere, Sacrificium Christianorum pro iis, qui non baptizati de corpore exierunt, offerendum, si vis esse Catholicus.*

2. Conveniunt item omnes, Sacrificium Missæ posse valide, ac licite offerri in honorem, & memoriam Sanctorum, ut habetur in Conc. Trid. sess. 22. cap. 3. *non quod illis offeratur Sacrificium*, ut ibidem declaratur, *sed Deo soli, qui illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere solet, Offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris*.

Non conveniunt autem omnes, an, & qua ratione hoc Missæ Sacrificium licite offerri possit pro Infidelibus non baptizatis, & pro excommunicatis baptizatis. Quidam enim Doctores existimant, Missæ Sacrificium directe pro Infidelibus non baptizatis offerri licite posse. Probabilius tamen alii docent, indirecte quidem posse pro Infidelibus non baptizatis, sicut & pro excommunicatis baptizatis Sacrificium illud licite offerri, quatenus scilicet pro incremento, & exaltatione Ecclesiæ, & quovis Schismate ab ea tollendo offertur, quæ duo per conversionem Infidelium, & resipiscentiam excommunicatorum maxime fiunt; directe autem nec pro excommunicatis, nec pro Infidelibus non baptizatis posse licite offerri.

3. Atque in primis quod spectat ad excommunicatos, quo nomine intelligimus hic tantum nominatim excommunicatos, & notorios Clericorum percussores juxta Extravagantem Martini V. quæ incipit, *Ad evitanda*, extat prohibitio Ecclesiæ cap. *A nobis*, & cap. *Sacra*, extra. de sententia excommunicationis, ubi vetatur pro illis Missæ Sacrificium offerri. Quam tamen prohibitionem Ricardus, & Navarrus apud Isambertum ad quæst. 81. disp. 7. art. 2. docent non extendi ad excommunicatos per veram pœnitentiam jam contritos, licet nondum ab excommunicatione absolutos, pro quibus existimant Missæ Sacrificium licite posse offerri.

Quod autem neque etiam pro Infidelibus non baptizatis offerri licite possit, constat ex ipsius Ecclesiæ praxi, quæ quamvis summo affectu illorum conversionem, & salutem exoptet, nullam tamen eorum mentionem in Missa fieri voluit, neque pro eis orationes ullas in illa offerri; Quod tamen haud dubie fecisset, si pro eis Sacrificiũ hoc offerri voluisset. *Quis enim*, inquit S. August. lib. 1. de anima cap. 1. *offerat corpus Christi, nisi pro eis, qui sunt membra Christi?*

4. Quæres, an Missæ Sacrificium ex opere operato prosit, non solũ illis, pro quibus offertur, sed etiam ipsi Sacerdoti offerenti, quatenus præcise est offerens. Suarez dis. 79. sect. 5. & quidam alii cum illo affirmative respondent. Alii tamen cum Gabriele, Vasquez disp. 232. c. 3. probabilius negant, docentque, nullum in Sacrificio Missæ fructũ ex opere operato provenire Sacerdoti offerenti, quatenus est offerẽs. Quod probari potest ex eo, quod Apostolus Hebr. 5. dicit, Pontificẽ, seu Sacerdotem constitui pro hominibus in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis, unde concludit, quod *De-*

bet

bet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis. Ex quibus verbis sequitur, quod recte docet S. Th. 3. p. q. 22. art. 4. ad 1. Sacerdotem sui Sacrificii effectum participare, non in quantum Sacerdotem, sed in quantum peccatorem, proindeque ut effectum aliquem Sacrificii sui accipiat, requiri necessario, ut habeat se passive ad illud, id est ut illud offerat pro se, sicut & pro aliis, ad quos ex ejus applicatione fructus Missæ derivatur. Quod præterea confirmari posse videtur ex verbis, quibus per Episcopum Sacerdos cōsecratur, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium tam pro vivis, quam pro defunctis.* Hæc enim verba significant, potestatem illi conferri, qua prosit iis, pro quibus Missæ Sacrificiū oblaturus est; unde sequitur, Sacerdotē præcise eatenus sibi ipsi prodesse, non quatenus offert Missæ Sacrificium, sed quatenus pro seipso illud offert.

§. V.

Quænam applicatio requiratur ex parte Sacerdotis celebrantis, ut Missæ fructus in alios derivetur.

1. AD faciliorem, & certiorem quæstionis propositæ resolutionem quædam hic ex communi, & recepta Theologorum doctrina observanda sunt.

Primum est, Sacerdotem celebrantem multiplici nomine Missæ Sacrificium offerre. In primis quidem nomine Christi, ut principalis offerentis, & ex cujus meritis procedit ipsius Sacrificii valor, proinde ex cujus voluntate præsertim pendet illius applicatio. Ut enim habetur in Conc. Trid. sess. 22. c. 2. *Idem est nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit.* Deinde nomine Ecclesiæ, cui meritorum suorum, & satisfactionum dispensationem Christus Dominus commisit. Præterea nomine proprio, quatenus ex libera sua voluntate Missæ Sacrificium offert, illiusque fructum aliis, vel sibi applicat. Denique nomine aliorum, qui simul cum eo Sacrificium illud offerunt, quales sunt ii, qui Missæ inserviunt, aut assistunt, vel pro illa celebranda eleemosynam ad ipsius Sacerdotis victum erogant: qui quidem quamvis laici existant, dicuntur tamen ipsum Missæ Sacrificium suo modo per ipsum Sacerdotē offerre, præsertim quando interno affectu illius actioni junguntur, ut docet S. Leo Epist. 8. & aperte colligitur ex ipsis Sacerdotis celebrantis verbis, dum in Missæ canone de astantibus dicit, *Qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis.*

2. Secundum est, inter illos omnes offerentes Christum Dominum primum, & principalem locum tenere, ita ut ex ejus præsertim voluntate pendeat fructuum hujus Sacrificii applicatio, quorū quidem voluit omnes, & singulos Fideles esse participes, quoties illud Sacrificium offertur, dummodo tamen illius participationis capaces sint, nul-

nullusque ex illorum parte obex reperiatur. Quod explicat Sanctus Cyrillus Hierosolym. Catech. 5. Mystag. ubi hoc Missæ Sacrificium dicit esse *hostiam propitiationis pro communi Ecclesiarũ pace*, &c. *pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, pro afflictis, & in summa pro omnibus, qui egent auxilio*, &c. *deinde pro defunctis sanctis Patribus, & Episcopis, denique pro omnibus, qui inter nos vita functi sunt*. Unde quoad communem hunc fructum Missæ, qui ex Christi Domini voluntate in omnes Fideles diffunditur, nulla specialis ipsius Sacerdotis celebrantis applicatio requiritur, imo, dummodo valide illud offerat, nullum ex Fidelibus ab illius participatione potest excludere, ut recte monet Isambertus, sed velit, nolit, unusquisque illorum portionem, quæ ipsi contingit, recipit.

Simili ratione Ecclesia, quæ est intentionum ipsius Christi Domini fidelis interpres, vult, etiam fructuum ejusdem Sacrificii participationem omnibus Fidelibus baptizatis, ab unitate sua non præcisis, & nullum obicem ponentibus communicari; ideoque in Canone præscripsit hoc Sacrificium offerendum esse *Pro omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ Fidei cultoribus*, & etiam *pro omnibus in Christo quiescentibus*.

3. Porro ex hac fructuum Missæ generalitate certum est, Christo Domino ita volente, & disponente, notabilem aliquã partem relictã esse liberæ applicationi, & determinationi tã ipsius Sacerdotis celebrantis tanquam Ministri, & Mysteriorum ejus dispensatoris, quam aliorum simul cum eo offerentium. Quod constat ex communi sensu ipsius Ecclesiæ, quæ approbat morem Fidelium, quo expetunt pro se Sacrificium illud peculiariter offerri; quod frustra facerent, si omnis ejus fructus jã ex Christi Domini, & Ecclesiæ intentione applicatus esset, nullusque superesset per Sacerdotis intentionem applicandus.

Sicut autem Sacerdos in hujus Sacrificii actione superior existit aliis cum ipso offerentibus, sic etiam fructuum illorum applicatio ab ejus intẽtione præsertim pendet; ita ut, sive licite, sive illicite applicet, de qua re mox dicetur, valida tamẽ, & rata semper sit hæc illius applicatio, cum sit actus a potestate Ordinis pendens, qui proinde ejus voluntati subjacet, ut recte docet Isambertus supra art. 13.

4. Tertium est, determinari certo a nobis non posse, quantus sit fructus Missæ, quem Christus Dominus voluit, sive generatim ad omnes Fideles vivos, & defunctos, sive speciatim ad hos, vel illos secundum intentionem particularem Sacerdotis celebrantis derivari, cum nec Sacra Scriptura, nec Ecclesiæ Traditio, nec Concilia, aut Patres quidquam de ejusmodi quantitate definierint, aut tradiderint; ideoque satis esse, ut Sacerdos celebrans saltem tacite, & interpretative tantum de hujus Sacrificii fructu his, aut illis secundum propriam devotionem, aut obligationem applicare velit, quantum Christus Dominus ipsi applicandum concessit.

5. His

5. His observatis, pro quæstionis initio hujus Paragraphi propositæ resolutione dicendum est, quædam requiri ex parte Sacerdotis celebrantis, ut ejus applicatio valida sit, quædam vero, ut sit licita.

Ad hoc enim ut valide fructũ hujus Sacrificii applicet, requiritur in primis ejus intentio, eodẽ prorsus modo, quo antea dictum est requiri, ut Sacramentum aliquod valide conficiat. Etenim utrobiq; par ratio est, ut docet Isambertus citato art. 13. Unde sicut ad validam Sacramenti cujuslibet confectionem sic etiam ad validam hujus Sacrificii applicationem habitualis intentio minime sufficiens est, actualis optima, sed non necessaria, virtualis vero sufficiens est, & actuali deficiente necessaria.

Requiritur 2. ad eandem applicationis validitatem, ut intentio illa, sive actualis sive virtualis, concomitetur ipsã Sacrificii actionem, sicut comitari debet Sacramenti confectionẽ, alias si post Sacrificiũ peractum, verbi gratia, post consecrationem factam, præsertim secũdum sententiam illorum, qui existimant, Sacrificii rationem, & essentiam in illa sola consistere, Sacerdos applicare incipiat, hæc ejus applicatio nullum effectum sortietur, quia, cum Sacrificium esse desierit, illius effectus ex opere operato non amplius subjacet liberæ applicationi Sacerdotis.

Requiritur 3. ut applicatio illa specialis a Sacerdote faciẽda sit determinata, & certa, ne effectũ hujus Sacrifici suspensum relinquat. Qua ratione docet idem Isãbertus cit. art. 13. Sacerdotem, ver. grat., qui a nullo rogatus hodie celebrat Missam, non posse istius Missæ fructũ ex opere operato applicare illi, qui die crastino rogaturus est eum, ut dato honorario pro se offerat, ita ut hac priori Missæ celebratione satisfaciat obligationi, quam honorario illo accepto cõtraxit; quia sicut Sacramentorum, sic etiam Sacrificii effectus a futura conditione pendere non potest.

6. Neque dicas, Deum probe nosse futurum esse, ut talis crastina die roget Sacerdotem, ipsique eleemosynam largiatur, ut pro se offerat. Quamvis enim hoc verum sit, sicut tamen Deus nullum punit, nec remunerat ob ea, quæ futura prævidet, sic etiam effectum hujus Sacrificii non confert propter prævisam aliquam actionem; unde sequeretur, effectum Sacrificii manere suspensum, quod nullatenus dici debet.

Jam ad hoc ut applicatio Sacerdotis non modo valida sit, sed etiã licita, debet ipse Sacerdos præsertim attẽdere, ut per illã obligationibus suis, si quæ sint, satisfaciat. Circa illas autẽ obligationes præcipuã difficultas est, an possit Sacerdos una Missæ celebratione, & applicatione pluribus obligationibus particularibus satisfacere, an ver. gr. qui pro Missæ Sacrificio celebrãdo accepit duo stipẽdia, seu honoraria, quorum quodlibet secundũ receptam consuetudinem sufficiens cẽseatur, possit una Missæ celebratione utrique satisfacere.

Cu-

Cujus quidem difficultatis solutio pendere videtur ex solutione alterius quæstionis, quam §. sequenti discutiemus.

§. VI.

An Missæ Sacrificium pro pluribus oblatum tantum singulis prosit, quantum si pro uno solum offerretur.

1. SUpponendum est, ex communi Theologorum doctrina, quod, quamvis Sacrificium Missæ sit in se valoris infiniti, tam ratione rei oblatæ, quam principalis offerentis, cujus dignitas, & excellentia infinita est, nihilominus efficientia, & influxus ipsius Sacrificii est solummodo finitus, ut docet S. Thomas in 4. dist.45. qu. 2. art.4. & post illum Navarrus. Bellarminus, Toletus. Suarez, & plures alii, quos citat, & sequitur Layman. tract. 5. de Sacrificio Missæ cap. 1. Idque constat, tum ex eo, quod Ecclesia Missæ Sacrificium pro eadē re sæpius iterat, ut satis manifestum est ex ejus praxi; unde sequitur, quod influxum actualem illius finitum esse dicit, tum etiam ex eo, quod Eucharistia non sit majoris efficientiæ in ratione Sacrificii, quam in ratione Sacramenti; atqui licet in ratione Sacramenti sit infiniti valoris, & excellentiæ, non nisi limitatos tamen producit effectus; ergo a pari in ratione Sacrificii non nisi finitos producet.

Hoc præsupposito, pro quæstionis propositæ resolutione, dicendū 1. Quando plures sunt Missæ Sacrificium simul offerentes, tunc illud non minus prodesse singulis pro ratione dispositionis cujusque illorum, quam si unus tantum esset offerens. Ex. gr. quando multi Missæ celebrationi adstant, illique cum Sacerdote offerunt tantum singulis prodest illud Sacrificium, quantum si unus solus adesset, & offerret. Ita Cordubensis lib. 1. Quæstionarii q. 3. opin. 5. concl. 3. ubi dicit, hanc esse communem Doct. sententiam, & pro illa plurimos citat, quibus subscribit Isambertus ad q. 83. disp. 7. ar. 8. Ratio est, quia ad multiplicationem oblationis ejus quoque fructus multiplicatur; atqui quādo plures adstant Sacerdoti celebranti, censentur cum illo moraliter simul offerre, proindeq; tot sunt oblationes, quot sunt offerentes; unde sequitur, quod Sacrificium illud tantum singulis prosit, quantum uni prodesset, si solus offerret. Imo si spectetur fructus Missæ, prout respōdet non tantū operi operato, sed etiam operi operantis, quo numerus adstantium est major, etiam fructus ille copiosior est, tum quia sicut major est virtus unita, quam divisa, sic etiam multorum preces in illo Sacrificio simul unitæ magis efficaces sunt apud Deum, quam separatim oblatæ; tum etiā quia quo numerosior est offerentiū multitudo, eo major honor Deo exhibetur, sicut Princeps multitudine adstantium, & sibi deservientium honorari censetur. Qua ratione Sancti Patres, & Concil. Missam Parochialē commen-

mendant, propter majorem in illa Fidelium simul offerentium unionem, & uberiores, quæ inde profluunt, benedictiones.

2. Dicendum 2. Missæ Sacrificium non æque prodesse iis, pro quibus offertur tantũ generatim, ac illis, pro quibus speciatim,& nominatim offertur. Id satis constat ex ipsius Ecclesiæ praxi. Si enim non magis prodesset iis, pro quibus speciatim offertur, quam aliis, frustra Ecclesia illud offerret pro certis, & determinatis quibusdã personis, ut pro muliere prægnante, pro infirmo, pro hoc, vel illo defuncto, &c.

Dicendum 3. Sacrificiũ Missæ oblatum speciatim pro pluribus nõ tantũ prodesse illis singulis, quantũ uni eorum, si pro illo solũ offerretur, proindeque Sacerdotem, qui pro pluribus personis ratione stipẽdii, seu honorarii a singulis accepti, aut alia quavis de causa obligatus est ad sacrificandum, non satisfacere unicum pro illis offerendo Sacrificium. Ita S. Bonaventura, Ricardus, Major, Sotus, & alii, quos citat, & quibus subscribit Suarez disp.69.sect.2. Quæ sententia communis est, & in praxi tenenda, probaturque ex communi ipsius Ecclesiæ sensu, & quotidiana praxi, qua tam multæ singulares Missæ pro singularibus personis, nullo etiam accepto ab eis stipendio, offeruntur, cum saltẽ ex charitate illa, singulas offerri pro pluribus, imo pro omnibus par esset, si pro illis pluribus, vel omnibus oblatæ æque illis ex opere operato prodessent, ac si pro singulis offerrentur. Et sane, cum Missæ Sacrificium pro defunctis oblatum iis aliter prodesse non possit, nisi ad relaxationem pœnæ temporalis in Purgatorio ab ipsis luendæ, si Missa una pro pluribus oblata tantum pœnæ singulis relaxat, quantum relaxaret uni, si pro eo solo offerretur, cur tam multæ Missæ pro uno duntaxat, & non pro omnibus, aut saltem pro pluribus speciatim offeruntur? cur Concil. Trident. sess. 25. cap. 4. de reformat. cum tanta cautela solis Episcopis, & Abbatibus, ac Generalibus Ordinum reductionem Missarum ad minorem numerum permisit, idque tantum in certis casibus ibidem expressis, quod etiam circunspecte, & prudenter ab ipsis fieri vult, ne forte conscientiam suam in discrimen adducant, cur, inquam, hoc ita statueret, si Missam pro pluribus oblatam tantum prodesse existimaret, quantum, si pro uno duntaxat offerretur?

3. Hoc autem, quod in tertia assertione dictum est, intelligi debet, ut recte observat Isambertus ad q.83.disp.7.a.12.de Sacrificio Missæ, prout est satisfactoriũ; quà ratione, quãdo pro pluribus speciatim offertur, minus singulis prodest, minusq; pœnę per illud remittitur respectu singulorũ, quã si pro uno tantũ offerretur, quia ut sic se habet per modum cujusdam solutionis, quæ cum sit finita, ut ex antedictis patet, minuitur haud dubie, si in plures dividatur. At vero quatenus est impetratorium, tantum potest prodesse multis, quantum uni. Cum enim vis illius impetratoria infinitam Dei misericordiam, & liberalitatem respiciat, nihil obstat, quin Deus oblatione illius Sacrificii

ad

ad beneficia sua conferenda exoretur æque pro multis, ac pro uno.

Quæres, utrū, sicut Sacerdos intentioni eorum, pro quibus obligatur, satisfacere debet quoad numerum Missarum, ita etiam teneatur quoad alias hujus Sacrificii circumstantias, v. gr. utrum quando quis postulavit de tali Sancto, in tali loco, vel tempore celebrari, Sacerdos ad id præstandum teneatur. Respondetur, Sacerdotem celebrātem, quantum potest, intentionem illius, a quo stipendium accepit, exequi debere, proindeque talem pro illo Missam celebrare, qualem postulavit; non tamē peccare si ex justa aliqua causa Missam celebret aliam ab illa Ex. gr. si postulavit, ut celebraret pro defunctis, & illo die incidat festum alicujus Sancti duplex, vel semiduplex, aut etiam simplex, poterit Sacerdos Missam illius festi celebrare. Quamvis enim Missa propria defunctorum aliqua ratione ipsis defunctis magis prosit, propter orationes, & preces ad hunc finem ab Ecclesia institutas, si tamen consideretur ut Sacrificium, æqualiter prodest. Imo illarum orationum defectus satis suppleri censetur devotione celebrantis, & intercessione illius Sancti, cujus Missa celebratur. Ita Navarrus, Suarez, Toletus, & plures alii, quos citat, & sequitur Bonacina disp. 4. quæst. ult. de Sacrificio Missæ punct. 9. §. 3.

Quod vero ad locum spectat, debet Sacerdos in eo celebrare, quē designavit is, qui stipendium dedit, nisi necessitas aliqua, aut rationabilis causa excuset: & similiter quoad tempus, debet, quam primū potest, obligationi suæ satisfacere Unde Bonacina supra § 5. dicit, peccare Sacerdotes, qui sunt notabiliter in mora celebrandi, præsertim quando ex mora illa sequitur alteri præjudicium, ut si Missa, quæ pro infirmo dicenda erat, ob nimiam dilationem non nisi defuncto illo celebretur. Quare cavere debent Sacerdotes, ne stipendia Missarum dicendarum nimis cupide congerant, ex quarum dilatione conscientia ipsorum oneretur. In iis tamen locis, in quibus fit populi concursus ob festum alicujus Sancti, vel aliquam devotionem, censentur illi, qui postulant Missas, & stipendia offerunt, tacite consentire in dilationem illam, quæ ut plurimum necessaria est, ut illorum, & aliorum intentioni satisfiat. In quo tamen, qui ejusmodi stipendia recipiunt, curare debent, ut nihil ab ipsis fiat, quod justitiæ, vel charitati repugnet.

§. VII.

Applicationis à Sacerdote celebrante faciendæ facilis, & optima praxis proponitur.

1. QUoniam non raro contingit, Sacerdotes quosdam ex inconsideratione, aut alia de causa minus convenienter hujus Divini Sacrificii vim, & efficaciam applicare, ex qua tamen applicatione, ut ex ante dictis constat, tanquam ex conditione necessaria uberrimorum

morum, fructuum illius participatio maxime pendet; idcirco illis nec inutile, nec ingratum fore existimavimus, si ex iis, quæ in superioribus Paragraphis dicta sunt, brevem aliquam, & facilem hujus applicationis faciendæ methodum, seu praxim colligamus.

Cum igitur Divinum hoc Sacrificium omnes quorumcunque Sacrificiorum proprietates modo quodam excellentissimo in se complectatur, sitque Latreuticum, Eucharisticum, propitiatorium, & impetratorium, ut supra explicavimus, Sacerdos celebrans illud secundum has omnes ejus proprietates applicare poterit, & ad hoc attentionem, & intentionem suam dirigere.

Atque in primis illud offerre intendet ad supremũ cultum, & honorem condignũ Divinæ Majestati deferendum, offerendo ipsiusmet Christi veri, & naturalis Filii Dei demissionem, humilitatem, devotionem, adorationem, & alia similia religionis officia, quæ in hoc victimæ statu modo quodã inexplicabili summę Trinitati exhibet.

2. Secundo illud offeret ad gratias Divinæ Majestati exhibendas pro tot, & tantis beneficiis, sive in natura, sive in gratia, ingratis licet, & immerentibus tempore præterito collatis & in futurum præparatis, & promissis, ac præcipue pro inæstimabili Redemptionis humanæ per Divini Verbi Incarnationem, & ejus in carne assumpta Passionem, & mortem, beneficio cujus memoriam præsertim in hoc Sacrificio recoli voluit ipse Christus Dominus, & expressis verbis in ejus institutione præcepit.

Tertio ad placandum Divinum Numen tot, & tantis sceleribus, & peccatis quotidie, & ubique offensum, ab eoque misericordiam, ac pœnitentiæ gratiam pro eluendis ipsorum peccatorum maculis exorandam, nec non ad satisfactionem condignam pro iisdem peccatis ejus justitiæ exhibendam.

Quarto denique ad postulanda quæcunque beneficia tũ spiritualia, tum etiam temporalia, quatenus ad ejus gloriam, & salutem nostram conducere possunt, & ad deprecanda quæcunque mala, sive præsenti tempore vexantia, sive in futurum impendentia.

Hæc autem præstabit Sacerdos, primum nomine ipsius summi Sacerdotis Christi Domini, intentionem suã illius intentioni perfecte conformando, & submittendo, deinde totius Ecclesiæ nomine omnimodã vim, & efficaciam hujus Divini Sacrificii universis illius membris applicando, tum Sanctis, & beatis in cœlo, ad gratias de illorũ victoriis, & præmiis Deo exhibendas, præsertim quando in illorum honorem Missa celebratur, tum animabus in Purgatorio, ad pœnas earum per satisfactoriam hujus Sacrificii vim sublevandas, tum cunctis Fidelibus viatoribus in terra, præsertimque illis, quorum memoriam in Canone nominatim fieri præcipit, ut Summo Pontifici, Episcopo, Regi, adstantibus, &c. ad fructuum hujus Sacrificii participationem illis communicandam: demum ut ipsius Christi, & Ecclesiæ Mi-

Minister, cui notabilis fructuum illorum pars pro arbitrio dispensanda relicta est, applicabit eos in particulari tum sibi, tū personis aliis, sive vivis, sive defunctis, quibus ex obligatione tenetur, vel ex charitate, & devotione hoc pietatis officium impendere cupit, idque, ut suo, ac illorum nomine supremum latriæ, ac religionis cultū Deo per Christum deferat, gratias pro omnibus beneficiis, ac nominatim pro his, vel illis exhibeat, veniam, & gratiam pro omnibus peccatis, ac peculiariter pro his, aut illis exoret, ac denique, ut bona quæcūque sibi necessaria, aut utilia impetret, præsertimque hæc, vel illa, quatenus ad Divinam gloriam conducere possunt.

3. Ad evitandos autem scrupulos, qui circa hujus particularis applicationis obligationē, vel modum suboriri possent, optimū aliquibus visum est, si post debitam applicationē iis factam, erga quos aliqua incumbit obligatio, Sacerdos illius Sacrificii fructus aliis personis sibi charitate, aut alia ratione peculiariter conjunctis, aut commendatis communicare cupiens, intentioni suæ conditionem ejusmodi apponat, ut scilicet hanc illis communicationem velit, & a Deo postulet, in quantum licite, & secundum justitiæ, ac charitatis leges velle, & postulare potest. Sic enim tuta cōscientia, & sine cujusquam præjudicio poterit ex infinito illo, & nunquam exhauriendo meritorum, ac satisfactionū Christi Domini thesauro, cujus dispensator constitutus est, in alias personas partem aliquam derivare, quæ ex summa, & ineffabili Dei charitate, ac misericordia non nisi maxima, & uberrima sperari potest.

§. VIII.

Explicantur reliqua, quæ ad debitam hujus Sacrificij celebrationem requiruntur.

1. NOn repetemus ea, quæ variis Sectionibus hujus capitis dicta sunt de materia, forma, intentione, aliisque ad validā, & licitam Eucharistiæ confectionē requisitis, nec non de dispositionibus ad ipsius dignam receptionem necessariis, quæque maxime quidē a Sacerdotibus exiguntur, ut Divinum hoc Sacrificium debite offerant; sed illis suppositis, subjungemus tantum ea, quæ ex ipsius Ecclesiæ instituto ad convenientem Missæ celebrationem requiruntur.

Dicendum igitur 1. ad debitam hujus Sacrificii celebrationem requiri tempus aptum, totū illud scilicet, quod a primo auroræ crepusculo usq; ad meridiē excurrit, ut habetur cap. *Nocte* & cap. *Et hoc*, de cōsecr. dist. 1. Quare excepta festivitate Natalis Domini, in cujus nocte sacrificatur, illicitum est aliis temporibus ante auroræ initium Missam celebrare, ut docet S. Th. qu. 83 a. 2. & cum illo communiter omnes. Quod tamen Suarez disp. 80. sect. 4. & quidam alii Doctores, quos citat, & sequitur Layman. tract. 5. de Sacrif. Missæ. c. 4.

ita

ita explicant, ut ad evitandam culpam satis fore existiment, si Missa privata ad initium auroræ finiatur.

Potest autem Episcopus in causa particulari dispensare, ut ante auroram celebrare liceat, multoq; magis ipsemet tali facultate uti, sicut ex communi Theologorum consensu docet Ægidius Konink. qu. 8. art. 2. dub. 4. ubi addit, consuetudinem, quæ in quibusdam Galliæ, Belgii, ac Germaniæ locis viget, ut hyemis tempore aliquot horis ante Solis ortum Missa inchoetur in gratiam operariorum, & famulorum, reprehendi non debere, quando non contradicit Episcopus; quod etiam docet Navarrus cap. 25. can. 85.

2. Simili ratione illicitum est Missam celebrare post meridiem, quæ est doctrina communis fundata in praxi, & consuetudine ipsius Ecclesiæ, & roborata speciali constitutione Pii V. quæ incipit, *Sanctissimus*. Suarez tamen, & alii, quos citat, & sequitur idem Laymann. supra, existimant, ad culpam evitandam satis esse, si Missa inchoetur ante meridiem, vel saltem in ipso meridie.

Potest vero Episcopus ob justam aliquam causam dispensare, ut post meridiem celebretur, ut supra de anticipatione dictum est. Imo in casu necessitatis, etiam non petita Episcopi licentia, si ad illū facilis non detur recursus, celebrari poterit post meridiem, v. gr. si infirmus viatico indigeat. Si festo die publica Concio usque ad meridiē, & ultra producta sit, licebit postea Missam privatam inchoare, præsertim quando aliqui ex populo Missam non audierunt. Item, si Sacerdos festo die ratione itineris impeditus fuerit, ne ante meridiem celebraret, poterit post meridiem celebrare, ut docet Henriq. Miranda, Suarez, & alii apud eundem Laymann. supra.

3 Dicendum 2 requiri locum idoneum, id est ab Episcopo consecratum, seu dedicatum, vel ab eodem, aut alio ex ejus licentia, & facultate benedictum. Ita S. Th. qu. 83. art. 5. & habetur cap. *sicut*, & cap. *nullus* de consecr. dist. 1. Ubi tamen excipitur casus necessitatis, ex. gr. in bello, quando Missa in castris pro exercitu dicenda est, in longa peregrinatione per loca Infidelium, in maximo aliquo populi concursu, quem Ecclesia capere non potest, & similibus casibus, in quibus tamen semper Episcopi licentia obtinenda est, si commode ad illum recurri possit.

Ipsis autem Episcopis speciali privilegio indultum est, ut supra Altare portatile ubivis sacrificare, vel sacrificanti assistere possint, non solum in casu necessitatis, sed & ob solam devotionem. Quod docet Suarez disp. 81. sect. 3. Ex eorum tamen prudentia pendet prospicere, ut tales locos ad id eligant, in quibus nihil, quod tanti mysterii sanctitati, ac reverentiæ minus conveniat, factum sit, aut faciendum videatur.

4. Monentur tamen iidem Episcopi in Conc. Trid. sess. 22. decret. de observādis, & evitandis in celebratione Missæ, *Ne patiantur, privatis*

in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & Oratoria ad Divinum tantum cultum dicata, ab iisdem Ordinariis designanda, & visitanda sanctum hoc Sacrificium a sæcularibus, aut regularibus peragi.

Porro neque etiã in Ecclesia consecrata celebrare licet, si violata, aut polluta fuerit, nisi prius reconcilietur, ut ex communi Ecclesiæ praxi cõstat. Tribus vero modis censetur Ecclesia pollui. Primo per homicidiũ, aut violentam aliquam sanguinis humanĩ effusionem, ex gravi & notoria percussione facta in Ecclesia, ut habetur c. *Porposuisti*, & c. ult. de consecr. Ecclesiæ. Secundo per illicitam, & notoriã seminis humani intra Ecclesiam effusionem, ut habetur eodem cap. ult. & cap. *Ecclesiis*, de consecr. dist. 1. Tertio per sepulturam hominis nominatim excommunicati, aut notorii Clericorum percussoris, item Infidelis, aut alicujus hominis non baptizati, etiamsi solummodo infans sit, ut habetur citato cap. *Proposuisti*, & cap. *Sacris*, de sepulturis, & cap. *Ecclesiam*, de consecratione.

Est autem observandum discrimen inter Ecclesiam ab Episcopo consecratam, & illam, quæ Episcopali auctoritate tantum benedicta est. Illam enim solus Episcopus, hanc vero quilibet Sacerdos ex Episcopi commissione reconciliare potest, ut habetur cap. *Aquam*, & cap. ult. de consecr. Ecclesiæ.

Si autem Ecclesia secundum majorem sui partem destruatur, quod Episcopus dijudicare debet, v.g. si ejus parietes ex majori parte corruerint, non amplius in ea celebrare licet: eaque reædificata non simplici reconciliatione, sed iterata consecratione, seu dedicatione, aut saltem benedictione opus est, ut habetur cap. *Ecclesiis*, de consecr. dist. 1. & cap. *Ligneis*, de consecr. Ecclesiæ. Ubi tamen declaratur, consecrationem non amitti, si tecta solummodo, aliaque opera lignea combusta sint, illæsis parietibus, eo quod consecratio in ipsis præsertim parietibus fiat. Quamvis in ejusmodi Ecclesia, quæ omni prorsus tecto careret, Missam celebrari non conveniat, ob varios casus, qui aeris injuria, & ventorum agitatione accidere possent. Tecto tamen illius instaurato, nulla neque consecratione, neque reconciliatione opus erit.

5. Dicendum 3. requiri Altare, quod lapideum esse debet, & ab Episcopo consecratum, ut habetur *c. Altaria*, de consecr. dist. 1. Est autem duplex Altare, unum portatile, alterum fixum, & stabile, inter quæ hoc discrimen intercedit, quod illud per se consecratur, hoc vero non nisi quatenus basi affixum est. Unde sequitur, quod Altare portatile, quocunque deferatur, non amittat consecrationem, fixum vero amittat, si ab inferiori structura, & basi amoveatur, ut habetur c. *Si motum*, de consecr. dist. 1. & c. *Ligneis*, de consecr. Ecclesiæ. Illud vero utrique Altari commune est, quod notabili fractione consecrationem amittat, quando scilicet talis est, ut in illo calix cum patena amplius consistere non possit, item violatione sigilli, seu

seu loculi, quo reliquiæ Sanctorum conditæ sunt. Quod quamvis aliqui Theologi negent, asserantq; reliquias illas ad consecrationem Altaris non esse absolute necessarias; spectata tamen consuetudine ipsius Ecclesiæ, quæ initio Missæ hanc orationem a Sacerdote ad altare ascendente, illudq; osculante recitari voluit, *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt*, &c. probabilius est, & in praxi tenendum, ejusmodi sigilli violatione consecrationem altaris amitti, proindeque iterum esse consecrandum. Quod aperte colligitur ex c. 1. de consecrat. Eccl ubi dicitur, quod, *Si lapis ille, qui sigillum continet, confractus fuerit, aut etiam diminutus, debet Altare denuo consecrari*. Et ita docet Durandus in Rationali lib. 1. cap. 6. Angelus verbo *Altare*, §. 2. & alii communiter.

6. Dicendum 4. in Altari, dum Missa peragitur, necessaria esse quædam ornamenta, quæ in Rubricis Missalis enumerantur: in primis tres, aut saltem duas mappas, aut ad minus unam duplicatam, ut tradit Suarez disp. 31. sect. 6. Tolet. lib. 2. cap. 2.

Secundo corporale, quod equidem non sericum, aut auro, aliave materia intertextum, sed pure lineum, ac simplex esse debet. Similiter, & pallam, quæ Calici superponitur, & pars quædã corporalis esse censetur, sicuti colligitur ex antiqua consuetudine, secundũ quam corporale etiam calicem cooperiebat, ut observat Sotus l. 1 de Sacrificio c 5. quæ palla etiam linea, & simplex esse debet, saltem ex ea parte, qua calicem contingit. Et utrunque ab Episcopo, aut alio facultatem habente benedictum esse oportet. Ita docet S. Th. q. 83. ad 7. & habetur c. *Consulto*, de consecr. dist. 1. Quamvis autem de mapparum benedictione nihil in jure decretum reperiatur, Ecclesiæ tamen consuetudo id etiam exigit, ut docet Azor. l. 10. c. 28. q. 8.

Tertio calicem & patenam ex materia aurea, vel argentea, aut saltem stannea, non vero lignea, lapidea, ferrea, aut vitrea, ut docet S. Th. q. 73. art. 3. ad 6. & habetur cap. *Vasa*, & cap. *ut calix*, de consecr. dist. 1. Debent autem calix, & patena esse ab Episcopo consecrata, ut habetur cap. unico de sacra unctione, & constat ex usu, & consuetudine ipsius Ecclesiæ. Adjungitur purificatorium lineum, & mundum ad ipsum calicem abstergendum; velum item sericum, quo calix, & pars anterior corporalis tegi solet.

Quarto Missale approbatum, secundum usum, quem celebrando quisque sequi tenetur. Communis enim Doctorum sententia est, ac præsertim Navarri cap. 25. n. 84. Sylvestri verbo *Missa*, Azorii, c. 28. qu. 4. Tolet. lib. 2. c. 2. Sacerdotem illum peccaturum mortaliter, qui celebraret absque libro, in quo saltem canon Missæ contineretur, quamvis quæ dicenda essent, memoriter teneret.

Quinto lumen, ut constat ex cap. ult. de celebratione Missarum. Dicit autem Toletus loc. cit. duas candelas accensas, aut saltem unam requiri, ita ut sine lumine celebrare existimet esse peccatum

G 2 mor-

mortale. Quamvis autem absolute loquendo necessarium non sit ex præcepto, ut candelæ illæ sint cereæ, possitque lumen ex oleo, ita postulante necessitate, adhiberi, ut docet Suarez disp. 81. sect. 6. standum est tamen communi Ecclesiæ consuetudini, nec nisi candelis ex cera communiter utendum est.

Sexto imaginem Crucifixi, quæ secundum regulas Missalis Altari superponi debet, ad cujus pedes reponi solet tabella secretorum, quam vulgo Canonem vocant.

7. Dicendum 5. requiri præterea vestes sacras, quibus Sacerdos celebrans indutus esse debet. Sunt autem sex, amictus scilicet, alba, cingulum, manipulus, stola, casula. Quas quidem vestes mundas, & integras, atque ab Episcopo, aut alio facultatem habente benedictas esse oportet, ita ut Toletus loco citato, & plures alii existiment, esse peccatum mortale, cum vestibus minime benedictis, aut notabiliter immundis, vel laceris celebrare. Quod & similiter de corporalibus intelligendum est.

Quæres 1. quandiu vasa, & linteamina sacra consecrationem, vel benedictionem retineant. Respondetur de vasis, tandiu consecrationem retinere, quandiu integra perseverant, amittere vero, si notabiliter frangantur, aut dividantur, ita ut formam, & quantitatem, quæ ad convenientē & proportionatum eorum usum necessaria est, amplius non retineant. Ita Ledesma tract. de Sacram. Euchar. cap. 21. ubi addit, calicem, & patenam, quamvis pristinam formam retineant, amittere tamen consecrationem, si de novo deaurentur ex ea parte, qua corpus, & sanguinem Christi contingunt, proindeque de novo consecrari debere. De vestimentis autem, aut linteaminibus sacris docet Azorius lib. 10. cap. 28. qu 9. illa tunc amittere benedictionem, quando ita franguntur, aut difluuntur, ut ad id amplius apta non sint, ad quod Ecclesiæ benedictione destinata fuerant.

8 Quæres 2. an liceat omnibus sacra vasa, & vestes contingere. Respondetur 1. vasa, & linteamina sacra, calicem scilicet, patenam, corporale, & ciborium dum in illis continetur corpus, & sanguis Christi, a nemine præterquam a Sacerdote, vel Diacono sine gravi culpa tangi posse. Ita Suarez, Paludanus, & alii apud Laymannum tract. 5. de Sacrif. Missæ, c 6 & habetur ex cap. *Non oportet*, dist. 23.

Respondetur 2. eadem linteamina, & vasa sacra, etsi vacua sint, contrectari, aut tangi non debere ab iis, qui sacris Ordinibus non sunt initiati, ut habetur cap. *In sancta*, de consecrat. dist. 1. Hujus tamen præcepti Ecclesiastici transgressionem (si contemptus absit) culpam venialem non excedere, docet Suarez, Azorius, Sotus, & alii apud Layman. supra. Imo si rationabilis causa suadeat, nulla erit culpa, ut ibidem docet.

Ubi autem consuetudo viget, ut corporalia, & pallæ, ac purificatoria a personis laicis, præsertimq; fœminis Deo sacris mūdentur, prius a Sa-

a Sacerdote, vel Diacono in pelvi lavari debent, & aqua lotionis in piscinam effundi, vel in ignem projici.

Porro alias vestes benedictas, & reliqua Altaris ornamenta, quæ neque chrismate uncta sunt, neque corpus Domini, aut sanguinem immediate attingunt, cum reverentia tangere omnibus etiam laicis concessum est. Verum ad profanos usus adhibenda non sunt, quamvis vetustate consumpta sint, sed potius igni absumenda, ut dicitur capite *Ligna*, & capite *Altaris*, de consecr. dist. 1.

9. Dicendum 6. requiri Ministrum, qui Sacerdoti celebrãti inserviat. ut habetur cap. *Hoc autem*, de consecr. dist. 1. & cap. *Proposuit*, de filiis Presbyterorum. Hic autem Minister debet esse vir, nõ fœmina, ut habetur c. 1. de cohabitatione Clericorum, ac mulierum. Imo Suarez dis. 87. sect. 1. & Sotus disp. 13. qu. 2. art. 5. arg. 12. satius esse arbitrantur, si urgeat necessitas, Missam absque Ministro celebrare, quam fœminam ad Altare respondentem, aut urceolos porrigentem adhiberi. Nihil tamen obstare videtur, quominus fœminæ, præsertim sanctimoniales, ex loco remoto sacrificanti respondeant, ut ibidem dicit Suarez, & usus Ecclesiæ in Monasteriis declarat.

Est autem observandum, Sacerdotis celebrantis pedes calceatos esse debere, ob majorem honestatem, & decentiam, ut docent Sylvester, Ricardus, & alii apud Petrum Ledesma tract. de Euchar. cap. 10. caput vero apertum, & nudum, ut habetur cap. *Nullus*, de consecr. dist. 1. Azorius tamen, & alii, quos citat Laymannus cap. 5. de Sacrificio Missæ, cap 6. existimant, Episcopum posse ob causam aliquam rationabilem, v. g. infirmitatis, dare licentiam sacrificandi capite operto amictu, vel pileolo, præsertim usque ad Canonem. Imo si causa ita celebrandi manifesta sit, tali dispensatione non esse opus, docent Navarrus, Sylvester, & Henriquez apud eundem Laymann. dummodo nullum inde scandalum oriatur, & necessitas celebrantis, v. g. ob infirmitatem, senectutem, loci frigus, &c. ab unoquoque adstantium facile dignosci possit.

10. Superest una difficultas hic solvenda, nimirũ quoties Sacerdos Missam celebrare teneatur. Respondetur cum distinctione. Si enim de Parocho, aut alio Beneficiato sermo sit, toties celebrare tenetur vel per se, vel saltem per alium, quoties requiritur, ut officio suo, vel obligationi satisfaciat. Si vero de Sacerdote generatim hoc quæratur, abstrahendo ab aliis obligationibus specialibus; nihil aptius responderi potest, quam id, quod habetur in Conc. Trid. sess. 23. c. 14. ubi dicit, Episcopum curare debere, ut *Sacerdotes saltem*, (quod verbum notandũ est) *diebus Dominicis, & festis solemnibus, si autem curam animarum habuerint, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent*: ex quibus Concilii verbis merito infertur, maxime congruum esse, ac decens, ut Sacerdos, quantum fieri potest, quotidie sanctissimum illud Sacrificium offerat. Quam quidem praxim ut

piam, & religiosam laudant SS. Patres, ac præsertim S. Cyprianus l. 1. Ep. 2. S. Ambros. orat. in funere fratris, S. Hieronym. l. 1. adversus Jovinian. S. Syricius Papa in Epist. ad Hymerium cap. 7. S. Innocentius in Epist. ad Exuperium, S. Chrysostomus hom. 16. in Epist. ad Hæbreos, quibus addere possumus Joannem Gersonem part. 2. operum tract. de præparatione ad Missam.

11. Monet tamen idem Concil. sess. 22. in decret. de observandis, ac evitandis in celebratione Missæ. *Omnem operam, & diligentiam in eo ponendã esse, ut, quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori devotionis, ac pietatis specie hoc Divinũ, atque tremendũ Mysteriũ peragatur.* Ideoque decernit, *ut Episcopi ea omnia prohibere, atque e medio tollere sedulo curent, ac teneantur, quæ vel avaritia Idolorum servitus, vel irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest, vel superstitio veræ pietatis falsa imitatrix induxit.*

Atque ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant.

Deinde ut irreverentia vitetur, singuli in suis Diœcesibus interdicant, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat. Neminem præterea, qui publice & notorie criminosus sit, aut sancto Altari ministrare, aut sacris interesse permittant. Neve patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & Oratoria ad Divinum tantum cultum dedicata, ab iisdem Ordinariis designanda, & visitanda, sanctum hoc Sacrificium a sæcularibus, aut regularibus quibuscunque peragi, ac nisi prius qui intersint, decenter composito corporis habitu declaraverint se mente etiam ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse. Ab Ecclesiis vero musicas eas, ubi sive organo, sive cantu lascivum, aut impurum aliquid miscetur, item sæculares omnes actiones, vana, atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant, ut domus Dei vere domus orationis esse videatur, ac dici possit.

Postremo ne superstitioni locus aliquis detur, edicto, & pœnis propositis caveant, ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent, neve ritus alios, aut alias cæremonias, & preces inter Missarum solemnia adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti, & laudabili usu receptæ fuerint. Quarumdam vero Missarum, & candelarum numerum, qui magis a superstitioso cultu, quam a vera religione inventus est, omnino ab Ecclesia removeant. Doceantque populum, quis sit, & a quo potissimum proveniat sanctissimi hujus Sacrificii tam pretiosus, ac cœlestis fructus. Moneant etiam eundem populum, ut frequenter ad suas Parochias saltem diebus Dominicis, & majoribus Festis accedant.

CAPUT QUINTUM.

De Sacramento Pœnitentiæ.

SECTIO I.
Quid nomine Pœnitentiæ intelligatur.

1. POEnitentiæ nomen in duplici sensu a Theologis sumi solet. Primo pro virtute morali infusa, cujus proprius actus est detestari peccatum, ac de illo commisso dolere, non modo quatenus rectæ rationi adversatur, sed præsertim quatenus est offesa quædam, & injuria Deo illata, cum proposito emendandi, ac reparandi offensam illam, & injuriam, ipsique Deo satisfaciendi. Ita S. Doctor 3. part. qu. 85. art. 1. 2. & 3. De hac pœnitentiæ virtute frequens mentio reperitur in Scripturis, *fuitque*, ut loquitur Concil. Trid. sess. 14. cap. 1. *universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad Gratiam, & justitiam assequendam necessaria.*

Secundo, nomen Pœnitentiæ sumitur pro uno ex Sacramentis novæ Legis, idest pro ritu aliquo externo sensibili divinitus instituto, quosdam hominis pœnitentis, & ministri absolventis actus complectente, quo ab hoc ille Deo reconciliatur, & a peccatis post Baptismum commissis absolvitur.

2. Primus, qui hujus Sacramenti veritatem impugnavit, fuit Novatus Episcopus Africanus, qui exinde Romam veniens Novatianum Presbyterum, & alios quosdam seduxit, & in suas partes traxit, ut fusius declarat Baronius ad annum Christi 254. nu. 66. ubi refert ipsum Novatum, ejusque gregales primum in Africa adversus sanctum Cyprianum schisma conflasse, eo quod in lapsis Ecclesiæ reconciliandis nimis rigidum se præberet, postea mutata facie (quod recte observat idem Baronius, peculiare esse omnium Hæreticorum, atque Schismaticorum, nunquam scilicet perstare in eadem sententia, sed pro loco, & tempore novas induere formas) in sanctissimum Pontificem Cornelium turbas Romæ concitasse, eo quod lapsos pœnitentes in Ecclesiam reciperet, eisque beneficium absolutionis impertiret, ut eũ prætextu illo e Sede Romana deturbarent, & Novatum fastu, & ambitione tumentem in illam per fas, nefasque intruderent, eoque tandem devenit ipse Novatus, ut negaret, ullam Sacerdotibus novæ legis ad remittenda peccata post Baptismum commissa traditam esse a Christo potestatem. Verum ipsius Novati sectatores postmodum ab eo desciverunt; quod Lutheranis, Calvinistis, & aliis a veritate dissidentibus familiare est, nimirum ut ab Auctoribus, & Patriarchis sectarum suarum, ubi fraus illorum patescere incipit, paulatim se subducant, & alia dogmata profiteri

subinde incipiant, donec ab illis etiam ad alia transfugere veritatis armis oppressi cogantur. Cum enim Novati asseclæ præfatam magistri sui hæresim propugnare non possent, illam temperare voluerunt, admittentes quidem aliquod remedium, quo virtute clavium Ecclesia remittere posset leviora peccata, non tamen graviora, & atrociora. Quod testatur S. Amb. lib. de Pœnit. cap. 3. ubi de illis Hæreticis sic loquitur, *Ajunt se, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus, non hoc quidem auctore erroris Novato, qui nemini dandam pœnitentiam putavit.*

Errorem illum ab Ecclesia proscriptum, ut testatur Cyprianus Ep. 52. & 54. ut jam obsoletum recentiores Hæretici denuo renovare conati sunt, ut videre est apud Bellarminum lib. 1. de Pœnitent. c. 9. negantes, sacrum illum ritum, quo Ecclesia Catholica in reconciliandis pœnitentibus post Baptismum lapsis utitur, esse Sacramentum a Christo Domino institutum, aut ullam inesse Sacerdotibus ad peccata remittenda judiciariam potestatem. Cujus quidem erroris falsitas, & simul Catholici dogmatis veritas plenius constabit ex iis, quæ sequenti sectione dicentur.

SECTIO II.

Pœnitentiam esse verum, & proprie dictum novæ legis Sacramentum, contra Hæreticos demonstratur.

1. PRæter auctoritatem universæ Ecclesiæ, quæ tum in Conc. Florentino, in decreto Eugenii, tum in Trident. sess. 14. can. 1. hoc dogma tanquam certissimum, ac Fide credendum definivit, erroremque oppositum anathemate percussit; probari potest ejusdem dogmatis veritas variis testimoniis Ss. Patrum fuse relatis a Judoco Coccio tomo 2. Thesauri lib. 7. art. 1. & seq. Duo, vel tria hic illustriora proferemus. Primus est S. Ambrosii lib. 1. de Pœnit. cap. 7. *Cur baptizatis*, inquit, *si per hominem peccata dimitti non licet?* &c. *quid interest, utrum per Pœnitentiam? aut per Lavacrum hoc jus sibi datum Sacerdotes sibi vindicent?* quibus verbis æqualem vim ad peccata remittenda Sacerdotibus, sive Baptismum conferendo, sive Pœnitentiæ Sacramentum administrando, tribuit. Secundum est sancti Chrysostomi lib. 3. de Sacerdotio, ubi, postquam potestatem ad peccata remittenda, quæ Sacerdotibus collata est, contulit cum potestate eorumdem ad conficiendam Eucharistiam, postea conferens eandem cum potestate baptizandi, *Neque enim*, inquit, *solum, cum nos regenerant, sed etiam postea condonandorum nobis peccatorum potestatem obtinent*. Tertium S. Petri Chrysologi serm. 84. &c. *Ubi sunt*, inquit, *qui per homines nō posse peccata remitti præscribunt?* &c. *Remisit Petrus peccata, & toto cum gaudio suscipit pœnitentes, atque omnibus Sacerdotibus hanc a Deo concessam amplectitur potestatem.*

2. Pro-

2. Probari præterea potest eadem veritas ex his Christi Domini verbis S. Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quibus duo colliguntur. Primum est, ritum aliquem externum a Christo Domino institutum esse, quo Apostoli, eorumque in Sacerdotio successores de peccatis juridice cognoscerent, eaque sic cognita vel remitterent, vel retinerent, idque (ut fit in judiciis humanis) verbo aliquo manifestarent. Secundum est, huic ritui divinitus instituto adjunctam esse promissionem Gratiæ sanctificantis, quod satis indicant verba illa, *Remittuntur eis*, cum hæc peccatorum remissio non nisi per Gratiæ sanctificantis infusionem fiat, ut constat ex iis, quæ in priori hujus Operis parte in tractatu de Gratia dicta sunt. Unde patet, Pœnitentiam esse ritum externũ a Christo Domino institutum, quo Gratia confertur, ac proinde esse Sacramentum. Et eo sensu verba illa Christi Domini intellexerunt Sanctus Cyprianus in sermone de lapsis, Sanctus Basilius in Epist. ad Amphilochium, Sanctus Athanasius hom. in illa verba, *Item in Castellum*, & S. Thomas in comment. super cap. 16. S. Matth. Ubi tres errores super illorum verborum explicatione vitandos esse monet. Primus est eorum, qui opinati sunt, Sacerdotes posse quemlibet pro arbitrio solvere, aut ligare, peccata remittere, aut retinere. Quod falsum est. His enim verbis Christus vices suas tantummodo demandavit Sacerdotibus, ut facerent, quod ipse facturus fuisset, si visibilis in terra manere voluisset; proindeque ut peccata remitterent, vel retinerent, non pro libito, sed prout ipse remisisset, aut retinuisset. Quod ab Ecclesiæ sensu discere debent.

3. Secundus error est, solvere, aut ligare nihil esse aliud, quam pœnitentem solutum, aut ligatum declarare. Verum si hoc ita esset, Christus Dominus potius dicere debuisset, *Quæcumque soluta erunt in cœlis, solvetis super terram*, cum e contrario dixerit, *Quæcunque solvetis super terram, soluta erunt in Cœlis*. Et hic error proscriptus etiam fuit in Concilio Tridentino sessione 14. can. 9.

Tertius denique error est, Sacerdotem, antequã absolutionis verba proferat, supponere debere, pœnitentem per contritionis actum a culpa peccati, & æternæ pœnæ reatu jam factum esse liberum, proindeque absolvendo illum, tantummodo a pœna temporali, quæ plerumque peccato quoad culpam remisso luenda superest, non tota quidem, sed aliqua ejus parte, illum eximere. Verum quam falsa, & aliena sit a vero, & genuino verborum Christi Domini sensu hæc verborum illorum expositio, satis per se manifestum est. Quis enim dicat, remittere peccata nihil aliud esse, quam ipsa peccata jam remissa supponere, & solummodo aliquid de pœna temporali peccatis quoad culpam remissis debita minuere?

Objicies, in Sacramentis novæ Legis pro materia requiri rem aliquam sensibilem, nullam autem ejusmodi materiam in Pœniten-

niten-

nitentia reperiri; proindeque non esse Sacramentum.

Respondetur, actus poenitentis esse materiam Sacramenti Poenitentiæ, ut infra dicetur; actus autem illos esse sensibiles vel per se, vel per aliquid aliud, confessionem quidem per se, cum Sacerdotis auditu percipiatur, contritionem autem per humiliationem externam, genuflexionem, lacrymas, & alia ejusmodi signa exteriora, atque etiam per ipsammet confessionem.

4. Quæres, an Poenitentiæ Sacramentum sit ad salutem necessarium. Respondetur affirmative, idque non modo necessitate præcepti, de qua suo loco agetur, sed etiam medii, quod satis expresse declaravit Conc. Trid. sess. 14 cap. 2. ubi dicit, *Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium esse, ut nondum regeneratis ipsum Baptismum*. Est autem necessarium vel in re, vel saltē in voto, ita ut, quamvis peccator aliquando per actum perfectæ contritionis Deo reconcilietur, *ipsa tamen reconciliatio*, ut loquitur idem Concilium, *ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non sit adscribenda*. Eatenus autem votū hujus Sacramenti in perfectæ contritionis actu includi censetur, quatenus qui perfecte conteritur, ita dispositus est, ut absolute velit servare præcepta omnia sub mortali obligatione, ita ut nullum sit, de quo actu cogitaret, quod adimplere non vellet; atqui datur præceptum Divinum, & Ecclesiasticum, ut infra explicabitur, confitendi peccata omnia mortalia post Baptismum commissa, eaque clavibus Ecclesiæ subjiciendi; unde sequitur, peccatorem perfecte contritum ita esse dispositum, ut peccata sua confiteri, & clavibus Ecclesiæ subjicere expressa, vel tacita, seu interpretativa intentione velit.

SECTIO III.

Quæ sit materia Sacramenti Pœnitentiæ.

1. SUpponimus juxta doctrinam S. Thomæ, q. 84. art. 2. in Sacramento Poenitentiæ, sicut & in aliis novæ Legis Sacramentis, duplicem materiam esse distinguendam, remotam scilicet, & proximam. Juxta quam distinctionem

Dicendum 1. materiam remotam Sacramenti Poenitentiæ esse peccata actualia post actualem Baptismi susceptionem commissa. Ita S. Th. cit. art. 2. & cum eo communiter omnes. Ratio est, quia Sacramentum Poenitentiæ versatur circa peccata, unde sequitur, quod ejus sint materia, dici autem non potest, quod sint materia proxima, cum illa sit pars ipsius Sacramenti, quæ simul cum ejus forma ad producendam Gratiam suo modo concurrere debet, quod peccatis nullo modo convenire potest; unde sequitur, quod sint tantum materia remota.

Sunt autem hic aliqua observanda circa remotam illam Poenitentiæ

tiæ materiam. Primum est, peccata illa eatenus dici hujus Sacramenti materiam, quatenus per Pœnitentiam destruuntur, & abolentur, sicut lignum dicitur ignis materia, quia per illum consumitur: quo exemplo utitur Catechismus Romanus part. 2. cap. 5.

Secundum est, sola peccata post realem Baptismi susceptionem admissa esse remotam hujus Sacramenti materiam; quod satis expresse declaravit Conc. Trident. sess. 14. cap. 1. & 2. Ratio est, quia sola ea peccata sunt hujus Sacramenti materia, quæ ab illis commissa sunt, in quos Sacerdos tanquam judex potest ferre sententiam; at *Ecclesia*, ut loquitur Conc. Trid. citat. cap. 2. *in neminem judicium exercet, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus*.

2. Tertium est, peccata omnia post Baptismũ commissa, sive mortalia, sive venialia, esse materiam hujus Sacramenti, cum de omnibus cõfessio fieri possit a pœnitente, & a Sacerdote absolutio conferri, ut satis constat ex generali, & illimitata potestate remittẽdi quæcunque peccata, quam Christus Dominus Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus concessit. Et hoc etiam intelligi debet de peccatis jam in confessione declaratis, & per Sacerdotis absolutionem remissis, ut docet S.Th. in 4. dist. 17. q.3.a.3.q.5. ad 4. & dist. 18. q.1.a.3.q 2. ad 4. & post illum Paludanus, Major, Medina, Suarez, & alii apud Laymannum tract. 9. c. 3. de Sacram. Pœnit. & demonstrat usus in Ecclesia receptus, & approbatus confessiones generales instituendi, in quibus peccata jam antea confessa, & remissa declarantur, & clavibus iterum subjiciuntur. Et hanc praxim non solum in confessionibus generalibus, sed & in aliis peccata aliqua jam confessa, & remissa iterum declarandi, Navar. tanquam sanctam, & piam laudat, si devotionis causa cum conscientia quieta fiat.

3. Dices, peccata jam remissa fuisse, & ex consequenti esse deleta, & abolita, proindeque materiam hujus Sacramenti esse non posse, cum amplius deleri, & aboleri non possint.

Respondetur, peccata illa eatenus esse hujus Sacramenti materiam, quatenus actus pœnitentis circa illa versari possunt, idest quatenus pœnitens potest illa detestari, confiteri, &c. sicque materiam proximam hujus Sacramenti subministrare, quæ simul cum forma illius proprium effectum producat, scilicet Gratiam sanctificantem, per quam peccata illa formaliter delerentur, & abolerentur, nisi jam deleta, & abolita forent.

Quartum est, hanc esse differentiam inter peccata mortalia, & venialia, quod peccata mortalia sint materia hujus Sacramenti necessaria, id est quod non alia ratione, quã per hoc Sacramentum in re, vel in voto susceptum remitti possint, peccata autem venialia sint tantum materia sufficiens, id est quod *quanquam recte, & utiliter*, ut loquitur Conc. Trident sess. 14. cap 5. *citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri*

tamen

tamen citra culpam, multisq; aliis remediis expiari possint. Addit Navarrus c.21.n.3. iis, qui per Divinam Gratiam mortalibus non implicantur, utile esse sæpius peccata venialia confiteri, quia per id augetur Gratia, pœna Purgatorii minuitur. propositum nunquam peccādi mortaliter renovatur, & habitus peccandi venialiter diminuitur.

4. Dicendum 2. materiam proximam hujus Sacramenti esse hos tres actus pœnitentis, scilicet contritionem (sumpto generatim hoc nomine, prout etiam attritionem complectitur) confessionem, & satisfactionem. Ita S Doct. q 84. ar. 1. & expresse definitum habetur in Conc. Florent. in decreto Eugenii, & in Trident sess. 14. c. 3 his verbis, *Sunt autē quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nēpe Cōtritio, Confessio, & Satisfactio qui quatenus in pœnitēte ad integritatē Sacramenti, ad plenamque & perfectā peccatorū remissionē ex Dei institutione requirūtur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.*

Ex illis autem tribus Pœnitentiæ partibus S Doct. cit ar. 2. & cum eo communiter alii Theologi asserunt, contritionem, & confessionem esse partes essentiales, satisfactionem vero esse tantum partem integralem ipsius Sacramenti, quod etiam habetur in Catech Rom. par. 2. c. 5. Contritionem enim, & confessionem esse partes essentiales, inde constat, quod sine illis Pœnitentiæ Sacramentum nec fructuosum, nec validum esse possit, ut ex infra dicendis constabit, satisfactionem vero esse tantum integrantem, quod absque ea & validū, & fructuosum esse possit, ut patet in pœnitente illo, cui in articulo mortis potest aliquando valide, & fructuose conferri absolutio. quāvis nulla pœnitentia injungatur, & præterea eo quod satisfactio cōmuniter post receptam absolutionem impleatur, ut dicetur infra. ex quibus cum habeatur, illam non esse partem hujus Sacramenti essentialem, sequitur, ut sit solum integrans, id est, quod hoc Sacramentum absque illa integrum & completum esse non possit, sicut licet pes, vel manus non sit pars essentialis hominis, cum absque pede, vel manu verus homo esse possit, est tamen pars integrans, quia sine pede, vel manū homo integer, & completus esse non potest.

SECTIO IV.

Quæ sit forma Sacramenti Pœnitentiæ.

1. FOrma Sacramenti Pœnitentiæ consistit in his verbis Sacerdotis pœnitentē absolventis, *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ita definitum habetur in decreto Eugenii, & in Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. ubi dicitur, *Formam hujus Sacramenti in illis Ministri verbis positam esse, Ego te absolvo*, & hoc etiam docet S. Th. q. 84. ar. 3. ex cujus doctrina quædā observatu digna colligit Isambertus ad cit. quæst. disp. 8. art 2 & sequent.

Primum, ad validitatem hujus Sacramenti necessario requiri, ut illa

la absolutionis verba pronuncientur voce Sacerdotis, neque ad hoc satis esse, si scripto tradantur. Cujus quidē rei nulla melior ratio afferri potest, quam ipsa Christi Domini institutio, quæ nobis per Ecclesiæ praxim innotescit. Hæc autē verborum prolatio debet a Sacerdote fieri præsente ipso pœnitente. Absolutio enim absenti conferri non potest, ut declaravit Clemens VIII. speciali suo decreto, quod refertur a Laymanno tract. 6. cap. 3. de Sacram. Pœnit.

2. Secundū est, quod, quāvis Sacerdos in hujus Sacramēti administratione verba omnia supra relata proferre, imo & alias preces, quę ex Ecclesiæ instituto ante, & post absolutionē recitandæ sunt, adjungere debeat, nisi forte aliqua necessitas, aut causa rationabilis excuset ut in Rituali declaratur; nihilominus ad essentiam absolutionis, seu formæ hujus Sacramenti, ex probabiliori Theologorū sententia, hæc sola verba pertinēt, *Ego te absolvo*, vel *absolvo te*, quæ quoad sensum idem significant. Atque in primis, quod expressio SS. Trinitatis non requiratur essentialiter in hoc Sacramento, sicut in Baptismo, docet S. Th. & probat ex eo, quod Christus Dominus hoc Sacramentum instituens nullam SS. Trinitatis, sicut in institutione Baptismi, mentionem fecit. Quod item hæc verba, *A peccatis tuis*, ad ejusdem formæ essentiam non pertineant, constat ex ejusdem S. Th. doctrina cit. art 3. ibid. ubi pro legitima hujus Sacramenti forma hæc verba tantum ponit, *Ego te absolvo*. Quia tamen Joannes Major, Petrus Sotus, & aliqui alii graves Theologi existimaverunt, verba illa, *A peccatis tuis*, ad essentiam formæ pertinere, & nihil ab Ecclesia super hac re definitum est, ideo tutius erit nunquam illa omittere, præsertim cum ex Ecclesiæ præscripto proferri debeant.

Tertium est, impositionem manuum in hoc Sacramento, ut docet S. Th. a. 4. esse tantum ex Ecclesiæ instituto, & ad Sacramenti rationem non pertinere, quamvis cæremonia illa, sicut & quævis alia ex Ecclesiæ usu, aut statuto aliquo in administrandis Sacramentis præscripta non debeat omitti.

Quartum est, absolutionis formam modo deprecatorio prolatā esse invalidam, ut ex eodem S. Doct. a. 3. constat. Est enim hoc Pœnitentiæ Sacramentum ad instar judicii institutum, cujus verba debent esse absoluta, non deprecatoria. Non enim dixit Christus Dominus, *Peccata illorū, pro quibus oraveritis, remittentur eis*, sed simpliciter, & absolute, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Unde si quis pœnitentem absolveret dicendo, *Absolvat te Deus*, nihil efficeret.

3. Quintum est, conditionem de futuro hujus Sacramenti formæ appositam reddere illam insufficientem, & nullam: quia talis conditio suspenderet ipsius formę significationem, & effectum, proindeque in causa esset, cur absolutio illa irrita, & nulla existeret. Imo Petrus de Ledesma tract. de Pœnit. c. 3. dicit gravissimum sacrilegium ab illo Sacerdote committi, qui ejusmodi conditionem de futuro absolu-

solutioni apponeret, v. g. si diceret, *Ego te absolvo, dummodo rem oblatam intra decem dies restituas*, aut quid simile.

Quod autem spectat ad alias cōditiones de præterito, vel præsenti, quamvis non reddant absolutionem invalidam, cum ejus significationem, aut effectum non suspendant, nihilominus sine rationabili aliqua causa, aut necessitate apponi non debent, puta cū Sacerdos ad moribundum absolvendum accedens non nisi dubia, & incerta contritionis signa in eo deprehendit. Tunc enim potest, imo debet absolutionem illi conferre sub hac cōditione tacita, vel expressa, *Si tu es absolutionis capax*, ut docet Isambertus disp. 18. de Sacram. Pœnit. ar. 16 & Gammachæus c 21. de eodem Sacram. Pœnit. §. 1. in fine. Similiter quando Sacerdos dubitat, utrum pœnitens plenum, ac perfectū rationis usum habuerit, necne quando peccata in confessione declarata commisit, v g. quando puer in primo rationis crepusculo ad Sacramentum Pœnitentiæ accessit. Tunc enim secundum communem omnium Doctorū consensum, ut loquitur Ledesma supra, licite poterit Sacerdos dicere in absolutione, *Si peccasti, ego te absolvo*, &c. Additque idem de similibus, & aliis casibus esse dicendum.

Quæres, quisnam sit verus, & proprius sensus illorum verborū. *Ego te absolvo*. Quorundam antiquorum Scholasticorum opinio fuit, verborum illorū sensum hunc esse *Ego declaro, peccata tibi a Deo esse remissa*, sicque absolutionem Sacramentalem nihil aliud esse, quam declarationem remissionis peccatorum ipsi pœnitenti a Deo factæ. Quam quidem opinionem non satis cum Fidei veritate cohærere, docet Isambertus disp. 8. de Sacram. Pœnit a 12. maxime ob contrariam definitionem Concilii Trid. sess. 14. c. 6. & can. 9. ubi anathema profert in eū, qui dixerit, *Absolutionē Sacerdotis esse nudum ministerium declarandi peccata esse remissa*. Quare vera & certa responsio ad quæstionem propositam est, Sacerdotem per verba illa absolutionis significare se pœnitentis peccata remittere, illumque a peccati macula, & consequenter a pœna æterna illi debita Christi Dom. auctoritate vere absolvere. Ita S. Th. q. 84. a. 3. ad 3. Et probatur in primis ex his Christi Domini verbis S. Matth. 18. *Quæcunque solveritis super terram*, &c. & S. Jo. 20 *Quorum remiseritis peccata*, &c. Hujus siquidem vocis, *Absolvo*, in forma Sacramenti Pœnitentiæ eadem est significatio, quæ est istorum verborum, *Solveritis*, *& remiseritis*, cum iis usus sit Christus Dominus ad Sacramentum hoc instituendum; atqui verba illa veram, & effectivam peccatorum remissionem significant in omnibus aliis Scripturæ locis, quæ frequenter in utriusque Tastamenti libris occurrunt, nusquam autem simplicem illius remissionis declarationem; ergo etiam in illo duplici S. Matth. & S. Jo. loco idem significare censenda sunt, & ex consequenti verbum *Absolvo*, in forma Sacramenti Pœnitentiæ eandem significationem habere dicendum est.

Pro-

Probatur deinde ex eo, quod S. Chryf. l. 3. de Sacerdot. peccatorum remissione loquens dixit, *Deum Patrem omnifariam potestatem dedisse Filio, & eandem ipsam omnifariam potestatem a Deo Filio ipsis Sacerdotibus esse traditam*; atqui certum est, Filium Dei habuisse veram potestatem remittendi peccata, quoad culpam, & pœnam æternam; ergo eandem potestatem Sacerdotibus dedit.

Denique, ut recte observat S. Ambr. l. 1. de Pœnit. cap. 2. potestas remittendi peccata tanta est, quanta potestas eadem retinendi, cum æqualiter utraque a Christo Domino data fuerit; atqui per hanc Sacerdotes vere peccata quoad maculā, & æternæ pœnæ reatum retinent, denegando absolutionem; ergo per illam eadem peccata vere quoad maculam, & æternæ pœnæ reatum poterunt absolutionem conferendo remittere.

Objicies, in variis Scripturæ locis dici, solum Deum dimittere peccata, delere iniquitates.

Respondet S. Doct. supra, iis locis nihil aliud significari, quā Dei solius esse tanquā causæ principalis per propriam auctoritatem peccata remittere, quod non impedit, quin Sacerdos ejusdē Dei nomine peccata remittat, per modum causæ ministerialis, seu instrumentalis.

SECTIO V.

Quinam sint effectus hujus Sacramenti.

1. PRimus Sacramēti Pœnitentiæ effectus est remissio omnium, & quorumcunque peccatorum mortalium post susceptionē Baptismi commissorum, quantumcunque gravia sint, & enormia; cum potestas peccata remittēdi a Christo Domino collata Sacerdotibus S. Jo. 20. ad omnia, nullo prorsus excepto, se extendat. Et hoc definitum habetur in Conc. Lateran. sub Innocentio III. cap. 1. *Firmiter* extra de summa Trinitate; ubi sine ulla exceptione, aut restrictione dicitur, peccatum quodcunque post Baptismi susceptionem commissum posse per pœnitentiam reparari.

Objicies, Christum Dominum declarasse S. Matth. 12. & S. Marc. 3 peccatum in Spiritum Sanctum neque in hoc sæculo remitti, neque in futuro.

Respondetur 1. per peccatum in Spiritum Sanctum intelligi a S. Aug. serm. 11. de verb. Dom. & Ep. 10. ad Bonifacium, peccatum finalis impœnitentiæ, quod certum est nunquam remitti; cum post illud commissum peccator sit extra statum viæ, nec proinde sit amplius pœnitentiæ, aut absolutionis capax.

Respondetur 2. alios SS. Patres per peccatum in Spiritum Sanctum intellexisse peccatum illud, quo quis veritatem aliquam a Deo revelatam, & ut sic cognitam ex certa malitia impugnat. Ita SS. Athanasius, Chryf. Basilius, Ambrof. Hier. & alii apud Bellarminum l. 2.

de

de Pœnitentia cap. 16. Dici autem irremissibile, non quod absolute remitti non possit, si peccatorem vere de illo pœniteat, illudque clavibus Ecclesiæ subjiciat, sed quia ordinarie, & ut plurimum qui tale peccatum commisit, de illo ob propriæ voluntatis perversitatem non dolet, nec proinde illius remissionem accipit; sicut alia peccata citatis locis dicuntur remitti, non quod semper de facto remittantur, cum multi de illis non doleant, sed quia ut plurimum, & ordinarie pœnitentibus condonentur.

2. Secundus hujus Sacramenti effectus est remissio peccatorũ venialium, quæ sicut quivis potest proprie, & salubriter in confessione declarare, ita de illis quoque remissionem, virtute illus Sacramenti, consequi posse certum est, ut ex ante dictis patet.

Est autem difficultas inter Theologos, qua ratione peccata illa in Sacramento Pœnitentiæ remittantur. Omissis variis super hac re sententiis, quas instituti nostri non est hic fusius explicare, probabilissime loqui videntur ii, qui afferunt, hanc peccatorum venialium remissionem in Sacramento Pœnitentiæ fieri per Gratiam sanctificantem per hoc Sacramentum ex opere operato productam, non solum secundum se præcise consideratam, sed præsertim ut datam intuitu præviæ de illis attritionis, qua ratione formalem cum illis peccatis habet repugnantiam, cum sit gratia reconciliationis ab ipsis. Ita Vasquez in 1. 2. disp. 207. c. 4. Ex qua doctrina sequitur, ad hoc ut quis in Sacramento Pœnit. Peccatorum venialium remissionem consequatur, necessarium esse, non modo ut nullam actualem circa peccata illa complacentiam habeat, sed præterea requiri, ut formalem de iis, vel saltem virtualem contritionem, aut attritionem concipiat, ita ut, quamvis unum, aut alterum in confessione declaret, si tamen de aliis omnibus generatim vere ex animo doleat, virtute Sacramenti illorum omnium remissionẽ consequatur. Quod ideo hic obiter observamus, ut cuique facilius, & certius innotescat, neque necessarium, imo neque satis consultum esse omnia, & singula peccata venialia singillatim in confessionibus quotidianis declarare, quod aliqui scrupulosius faciunt, sed uno, aut altero graviori explicato, si nullum mortale subsit, de his & reliquis omnibus verum dolorem, & emendationis propositum concipere, & sic beneficium absolutionis recipere.

3. Quæres, quando peccata venialia extra Sacramentũ Pœnitẽtiæ remittantur. Respondetur juxta doctrinam. S. Th. q. 87. a. 1. ad peccatorum venialium remissionem extra Sacramentum Pœnitentiæ non sufficere habitualẽ displicentiã, quæ in hubitu charitatis includitur, alias nullus justus peccati venialis reatũ haberet, sed requiri displicẽtiã de illis formalẽ, quæ in actu perfectæ cõtritionis reperitur, aut saltẽ virtualem contentã in eo actu dilectionis Dei, quo quis ipsum sic diligit, ut, si peccata venialia, quæ commisit, menti occurrerent,

per

perfectum de illis dolorē conciperet. Ita Alensis in 4.p.q.15. memb. 3. art. 4. Paludanus in q. 82.tit. 16.qu.1. art. 2. & plures alii Theologi. Quamvis etiā probabilis videatur sententia Dominici Soti in 4. dist. 15.qu.12.Suarez disp.11.sect.3. & quorundā aliorum Doctorum, qui docent, non modo per contritionem formalem, & virtualem, sed etiam per attritionem de illis ex motivo supernaturali elicitam, ejusmodi peccata remitti. Certe S. Bernardus sermone 1. de Cœna Domini de peccatis illis venialibus loquens dicit, *Necesse non esse de illis nos nimis sollicitos esse, Deum facile illa ignoscere, imo & libēter, si tantummodo nos agnoscamus: in ejusmodi namque quasi inevitabilibus & negligentiam inculpabilem esse, & timorem inordinatum.*

Respondetur 2. remitti quoque peccata venialia, tum per aliorum Sacramentorum susceptionem, dummodo suscipiens vere de peccatis illis doleat, tum etiam per usum Sacramentalium, ut docet S. Thomas qu. 87. art. 3. Nomine autem Sacramentalium Theologi communiter intelligunt res quasdam, vel actiones sacras ab Ecclesia eo fine institutas, ut per illarum usum peccatorum venialium remissio obtineatur.

4. Varie autem a Theologis Sacramentalia illa solent enumerari. Præcipua, & de quibus apud omnes constat, sunt quinque, scilicet *Aqua benedicta*, ut habetur cap. *Aquam*, de consecr. dist 3. *Panis benedictus*, c. *Cum omne crimen*, de consec. dist. 2. *Benedictio Episcopalis*, c. *Dictum est*, dist. 1. qu. 2. *Oratio devote ad Deum fusa in Ecclesia dedicata*, ut ex ipso ritu dedicationis Ecclesiarum intelligitur, *& qualibet Sacramentalis unctio*, ut docet S. Th. cit. art. 3. id est, unctio illa, quæ fit in quibusdam Sacramentis ex solo Ecclesiæ instituto.

Remituntur autem peccata venialia per sacramentalium illorum usum, non quidem ex opere operato, ut quidam Theologi minus probabiliter dixerunt, sed tantum ex opere operantis, quatenus per preces Ecclesiæ, quæ in ejusmodi sacramentalium usu nobis applicantur, actualia quædam Gratiæ auxilia impetrantur, quibus excitamur ad actum aliquem formalem, aut virtualem contritionis de illis peccatis venialibus concipiendum. Ita S. Th. cit. art. 3. ad 3. ubi dicit, quod per Sacramentalia tolluntur peccata venialia virtute charitatis, cujus motus per illa excitatur.

5. Quod si quæstio intelligatur de peccatis venialibus, cum quibus justus ex hac vita decedit, dicendum est cum S. Doctore qu. 7. de malo art. 1. *Illa remitti post hanc vitam quantum ad culpam, eo modo, quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum charitatis in Deum, repugnantem venialibus in vita commissis.*

Neque dicas, nullum esse in altera vita merito locum, nec proinde contritionem tunc peccatorum venialiū remissionem posse promereri. Respondetur enim, peccata illa non remitti vi contritionis illius, quatenus est actus bonus, & meritorius, sed quatenus est for-

ma quædam peccato veniali repugnans, illudq; ex anima expellens.
Sunt etiã alii hujus Sacramenti effectus præter duos supra explicatos, quorum præcipui sunt pax, & serenitas conscientiæ cũ vehementi Spiritus Sancti consolatione, ut declarat Conc. Trid. sess. 14. c. 3. quibus addere possumus reviviscentiam bonorum operum per peccatum mortale extinctorum, de qua sectione seq. agendum est.

SECTIO VI.

Utrum per Pœnitentiæ Sacramentum merita bonorum operum reviviscant.

1. DE duplici bonorum operum genere quæstio proposita intelligi potest, primo de illis, quæ in statu peccati mortalis exercentur; & vocantur mortuæ: secundo de illis, quæ in statu quidem Gratiæ facta sunt, sed statu illo per peccatum mortale labefactato, vim quoque suam, ac meritum amiserunt. De utrisque igitur quæritur, an per Gratiam in Sacramento Pœnitentiæ acceptam, quoad meritum, reviviscant. Pro cujus resolutione

Dicendum 1. opera bona facta in statu peccati mortalis nihil unquam homini justificato ad gloriam consequendam profutura esse. Ita S. Th. qu. 89. art. 6. & constat ex iis, quæ in priore hujus Operis parte tr. 6. a nobis dicta sunt de conditionibus operis vitæ æternæ meritorii, quarum prima, & præcipua hæc est, ut fiat ab homine in statu Gratiæ sanctificantis. Unde S. Aug. tr. 71. in S. Joan. explicans hæc Christi Dom. verba, *Sine me nihil potestis facere*, dicit opera Fidelium a Christo Domino in peccato mortali excisorũ nihil illis ad vitam æternam consequendam prodesse. Quod quamvis verum sit, recte nihilominus monet S. Doctor in resp. ad 3. non esse prorsus inutilia ejusmodi opera in statu peccati mortslis facta, ut fusius explicavimus in citato tract. 6. Unde S. Hier. in c. 1. Aggæi, *Si quando videris*, inquit, *inter multa mala opera facere peccatorẽ quenquam aliqua, quæ justa sunt, non est tam injustus Deus, ut propter multa mala obliviscatur paucorum bonorum*.

2. Dicendum 2. bona opera in statu Gratiæ sanctificantis facta, & per peccatum mortificata, hujus Sacramenti virtute reviviscere, ita ut jus, quod homo sibi ad æternam gloriam per opera illa acquisierat, eidem restituatur, proindeque etiam Gratia sanctificans per peccatum mortale deperdita, in qua fundatur jus illud, & meritum ad æternam gloriam. Ita S. Doctor quæst. 89. art. 5. Et probatur 1. ex illis Apostoli verbis ad Galat. cap. 3. *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa*; quibus alloquens ipsos Galatas ob susceptam Christi Fidem multa perpessos, & postea in peccatum mortale lapsos, declarat, quamvis in illo statu peccati mortalis bona

illa

illa opera essent ipsis inutilia si tamen per veram pœnitentiam converterentur, non fore frustra, & inutiliter ab illis facta. Ita hunc locum explicat S. Hieronymus in illud caput, ubi sic loquitur, *Qui ob Christi Fidem laboraverit, & postea lapsus fuerit in peccatum, non perdet merita sua, si ad pristinam Fidem, & studium revertatur.*

Probatur 2. ex Conc. Trid. sess. 6 cap. 16 ubi ait, *Justificatis hominibus, sive acceptam Gratiam perpetuo servaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda esse Apostoli verba, Abundate in omni opere bono, scientes, quod Deus non est injustus, ut obliviscatur operis vestri*, &c. quo loco notanda est distinctio Gratiæ perpetuo servatæ, & Gratiæ amissæ, sed recuperatæ, quæ videretur inutilis, nisi Concilium intelligeret, per pœnitentiam pristina merita instaurari, ut docet Gammachæus cap. 27. de Sacram. Pœnitent. ubi etiam addit ex S. Doctore, Gratiam illam habitualem per peccatum deperditam reparari per Pœnitentiam in majori, vel minori gradu, juxta majorem, vel minorem devotionem, ac dispositionem ipsius pœnitentis, quod etiam prius docuerant Hugo a S. Victore lib. 2. de Sacramentis part. 4. c. 19. & Bonaventura in 4. dist. 14. part. 2. art. 2. quæst. 3.

3. Quæres, an, sicut bona opera mortificata per Pœnitentiam reviviscunt, sic e contrario peccata in Sacramento Pœnitentiæ semel remissa per subsequens peccatum mortale redeant, quoad reatum tam culpæ, quam pœnæ. Respondet S. Doctor qu. 88. art. 1. peccata semel remissa nunquam postea redire. Quod probari potest ex variis Scripturæ locis. Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua*. Mich. 7. *Projiciet in profundum maris omnia nostra scelera*; quibus, & aliis similibus loquendi modis significatur, Deum absolute, & independenter ab eventu futuro pœnitentibus peccata remittere. Quo etiam spectat illud Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei*. Probari deinde potest auctoritate Gelasii Papæ cap. *Divina* de Pœnitent. dist. 4. ubi dicit quod *Divina clementia peccata dimissa in ultionem venire non sinit*.

Quamvis autem peccata jam condonata nec formaliter, nec materialiter ob sequentem lapsum redeant, redeunt tamen virtualiter, in quantum aggravatur peccatum subsequens propter circunstantiã ingratitudinis erga Deum, a quo tam misericorditer præcedentia peccata condonata fuerant. Et hæc ingratitudo tanto gravior esse censetur, quanto plura, & atrociora delicta fuerunt remissa. Quamvis autem hæc ingratitudo novum peccatum notabiliter aggravet, non est tamen speciale peccatum ab eo distinctum, ut docet S. Th. nisi in eo casu, quo contra Deum peccaretur ex formali, expressoque contemptu beneficii ab eo accepti.

SECTIO VII.

Quid sit contritio in genere.

1. EXplicatis iis, quæ ad naturam, effectusque hujus Sacramenti pertinent, nunc de singulis illius partibus agendum est, atque in primis de Contritione, quæ in genere secundum mentem Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. definitur, *Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.*

Dicitur, *Animi dolor*, ut significetur, contritionem non in appetitu inferiori, sed in voluntate sedem habere, neq; in dolore sensibili, sed in dolore spirituali, qui solius voluntatis proprius est, consistere.

Dicitur deinde *Detestatio*, ut exprimatur odium peccati commissi, ex quo dolor ille solet oriri, vel quod in ipso dolore saltem virtualiter continetur. Eo ipso enim, quo quis vere de peccato commisso dolet, vellet non peccasse (qui proprius est ipsius contritionis motus, ut docet Navarrus cap. 1. num. 2.) proindeque ita dispositus est, ut peccatum commissum odisse, & detestari censeatur.

Dicitur præterea, *de peccato commisso*, ut intelligatur, objectum doloris illius, ac detestationis non esse quodcunque malum, nec etiam quodcunque peccatum, sed solum illud, quod vel omissione, vel commissione a nobis perpetratum est. Non dicitur de hoc, vel illo peccato, sed indefinite de peccato commisso, ut ostendatur, contritionem de omnibus peccatis commissis esse concipiendam. Qui enim erga aliquod peccatum mortale ita esset affectus, ut de illo commisso non doleret, quantumcunque de aliis sibi dolere videretur, ejus contritio vera non esset.

Dicitur denique, *cum proposito non peccandi de cætero.* Qui enim amico a se offenso vult reconciliari, ut dicit Catech. Rom. part 2. cap. 5. oportet, ut & doleat, quod in eum injuriosus, atque contumeliosus fuerit, & de ejus amicitia in posterum non amplius lædenda sollicite provideat, alias non agitur pœnitentia, sed simulatur.

2. Quamvis autem optimum sit, ut propositum illud formaliter & expresse concipiatur, & nonnunquam illud exigendum sit a pœnitentibus, quorum dispositio non satis evidenter Confessario nota foret; absolute tamen loquendo dicendum est, sufficere, ut propositum illud sit virtuale, & implicitum, id est ut pœnitens de peccatis commissis dolens ita sit dispositus, & affectus, ut, si de futuro tempore cogitaret, peccata illa in posterum devitare firmiter proponeret. Ita Major, Medina, And. de Vega, Navarrus, & alii, quos citat, & sequitur Suarez, disp. 4. de Pœn. sect. 3. Ratio est, quia, ubi est vera aversio a peccato, & vera conversio ad Deum, ibi etiam est vera pœnitentia, & vera contritio; potest autem cum solo virtuali proposi-

to

to non peccandi concipi vera aversio a peccato, & vera conversio ad Deum. Ex. gr. si quis totus defixus sit in perpendendis peccatis, quæ ex intimo cordis affectu dolet in Deum infinite bonum, & diligibilem commisisse, ita ut nullo modo de vita in futurum instituenda cogitet, quis dicat, illum vere a peccatis non averti, & ad Deum non converti? Certe ubi David Rex tantummodo dixit 2. Reg. cap. 12. *Peccavi Domino*, quibus verbis detestationem, & displicentiam peccati a se commissi declaravit; quamvis nullum propositum peccati illius in futurum devitandi expresserit, continuo audivit. *Dominus transtulit peccatum tuum*.

3. Quæres, an sicut sufficit propositum virtuale, quod includitur in vera, & formali contritione, sic etiam sufficiat dolor virtualis de peccatis, qui censetur includi in actu aliquo amoris Divini, an scilicet is qui accederet ad confessionem nihil cogitans de peccatis deflendis, sed totus Divini amoris actibus eliciendis intentus, sufficienter esset dispositus ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Respondet Suarez disp. de Fide sect. 4. num. 19. hunc amorem sufficere, eo quod ex se voluntatem efficaciter avertat a peccato, & convertat ad Deum & eo ipso, quo quis perfecte diligit Deum, censeatur exhorrescere, & detestari quamcunque offensam, & injuriam Dei. Hæc autem opinio Suarez, cui favere videtur D. Th. part. 3. qu. 85. art. 1. quamvis valde probabilis sit, tamen in praxi non videtur esse consulenda, & communi doctrinæ Conciliorum, & Patrum magis consentaneum est dicere, dolorem expressum, seu displicentiam de peccatis ad Sacramentum Pœnitentiæ necessarium esse, illudque Sacramentum ita esse a Christo institutum, ut habere pro materia necessaria debeat dolorem, & displicentiam de peccatis; unde etiam nomen Pœnitentiæ illi impositum est.

4. Observat autem Catech. Rom. supra, ad significandum dolorem illum de peccatis, qui ad veram illam Pœnitentiam requiritur, nomen contritionis usurpari, ducta similitudine a rebus corporeis, quæ minutim confringuntur, ut significetur, *Corda nostra, quæ peccando obdurnerunt, illius doloris vi contundi, atque conteri debere*, adeoque dolorem illum contritionis debere esse summum appretiative, ut loquuntur Theologi, id est, quod pœnitens debet de peccatis commissis plus dolere, eaque magis odisse, & aversari, quam alia quæcunque mala.

Porro quæ hucusque dicta sunt, generatim intelligi debent de contritione illa, quæ, ut loquitur Concil. Trid. cit. c. 4. *quovis tempore necessaria fuit ad impetrandam veniam peccatorum*. Si enim agatur de contritione, quæ Fidelium baptizatorum propria est, quæque ad peccatorum remissionem in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam requiritur, præter conditiones supra explicatas, unam adhuc exigit Concilium, nimirum ut dolor ille de peccatis *Cum fi-*

ducia Divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctim fit, quæ ad rite suscipiendum Pœnitentiæ Sacramentū requiruntur, id est, ut explicitum, aut saltem implicitum propositum includat confitendi Sacramentaliter peccata mortalia commissa, & pro illis Deo satisfaciendi, seu satisfactionem imponendam acceptandi, & adimplendi, ut explicat Catechismus Romanus supra,

SECTIO VIII.

Quid sit Contritio perfecta, & quo pacto ab attritione distinguatur.

1. SUpponimus ex doctrina Conc. Trid. sess. 14. c. 4. contritionem illam, de qua præcedenti Sect. dictum est, dividi in perfectam, quæ simpliciter contritio dici solet, & in imperfactam, quæ communiter vocatur attritio. Hoc præsupposito, quæritur, quid sit illa contritio perfecta, & quomodo ab attritione distinguatur.

Quidam olim dixerunt, contritionem in eo tantū distingui ab attritione quod illius intensio, & duratio hujus intensione, & duratione major esset; alii, quod contritionis actus esset sēper Gratia sanctificante informatus, attritionis non item; alii. quod contritio detestaretur peccatum mortale, ut summum malū & super omnia mala detestabile, attritio vero illud quidem detestaretur, sed nō super omne detestabile; alii, quod cōtritio se extenderet virtualiter super omnia peccata mortalia, attritio vero super omnia illa non se extenderet.

Omissa illarum opinionum refutatione, quæ apud Isambertum videri potest disp. 12. de Sacr. Pœn. art. 1. sententia communis hodie inter Theologos est, contritionem in eo præsertim ab attritione distingui, quod contritio sit detestatio, & dolor de peccato commisso, prout est offensa Dei, seu propter Deum summe dilectum, attritio vero sit ejusdem peccati detestatio, & dolor propter aliquod aliud motivum bonum, & honestum a perfectæ contritionis motivo distinctum. Ita Isambert. loc. cit.

2. Prob in primis ex Conc. Trid. cit. c. 4. ubi contritionem ab attritione distinguit in eo, quod contritio sit *Charitate perfecta*, seu informata, attritio vero non sit. Quod quidem intelligi debet de perfectione intrinseca per formale motivū charitatis, a quo ille cōtritionis actus specificatur in ratione veræ dilectionis Dei. Neq; enim intelligi potest de extrinseca perfectione, quæ per habitum charitatis in actum contritionis derivaretur, cum hoc commune sit cum omnibus aliis virtutum actibus, qui ab homine in statu gratiæ constituto eliciuntur, & etiam ipsi attritioni, si in tali casu eliceretur.

Probatur 2. ex S. Aug. serm. 7. de temp. ubi dicit, *Odium peccati, & amorem Dei efficere veram & perfectam pœnitentiam*. Atqui non alia ratione amor Dei cum odio peccati conjungi potest ad verā, & perfectam pœnitentiam, seu contritionem efficiendam, nisi quando quis odit,

odit & detestatur peccatum a se commissum, de eoque dolet, prout est offensa Dei id est prout est malum quoddam ipsius Dei. Ejusdem enim charitatis est velle Deo bonum, seu quod illi gratũ, & acceptũ est, & aversari, ac detestari malum illius, seu peccatum, de illoq; dolere. At vero attritio non ex amore Dei, sed ex turpitudine peccati, vel timore gehennæ, aut alio simili motivo a charitate diverso concipitur, ut docet Concilium supra, & sect. sequenti explicabitur.

3. De hac autem perfecta contritione tria præsertim hic a nobis observari debent. Primum est, illius tantam, & tam admirabilem esse vim, & efficaciam ratione charitatis, qua informatur, cujus motivo elicitur, ut peccata quæcunque deleat, peccatoremque Deo perfecte reconciliet, etiam antequam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur, ut expresse definitum est in Conc. Trid. supra.

Secundum est, ad rationem perfectæ contritionis, adeoque ut producat effectum illum remissionis peccatorum, & reconciliationis cũ Deo, non requiri certum aliquem intensionis gradum, aut determinatum voluntatis conatum, infra quem non sit ad effectum illum producendum sufficiens, neque certam aliquam durationis moram, neque ut tot eliciantur contritionis actus, quot peccata commissa sunt. Quamvis enim optimum sit, & quã maxime optandum, ut quivis pœnitens quam plurimos eliciat perfectæ contritionis actus, eosque, quantum poterit, intensos, & ex summo voluntatis conatu; ea tamen est Divinæ misericordiæ immensa largitas, ut ad peccatorum quorumcunque remissionem, & peccatoris cum Deo reconciliationem sufficiat unicus perfectæ contritionis actus, quamvis parum intensus, & vel unico tantum momento durans, dummodo ex veræ charitatis, & Dei dilectionis, motivo eliciatur, sitque, si nõ intensive, certe appretiative summus, id est talis, ut per illum voluntas Deum quibuscunque rebus absolute, & sine ulla prorsus exceptione præponat, proindeque peccatum, quatenus ipsius Dei offensa est, tanquam summum malum, & supra omnia alia quæcunque mala detestabile, aversetur. Ita Bellarm. lib. 2. de Sacr. Pœn. cap. 2. Gammachæus cap. 7. de Pœn. assert. 3. & plures alii Theologi, quos ibidem citat.

Ac in primis, quod contritio, quamvis minimum intensa, ad remissionẽ peccatorũ sufficiat, patet ex Scriptura, quæ variis in locis peccatorum condonationem promittit pœnitentibus, seu contritis, nulla proposita mẽsura doloris, aut contritionis peccatorum, ut Ezech. 18. *Convertimini, & agite pænitentiã ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Zac. 1. *Convertimini ad me, & ego cõvertar ad vos.* Actor. 3. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleãtur peccata vestra.* Et certe nulla est ratio, cur potius certus aliquis gradus intensionis in contritione requiratur ad remissionem peccatorũ efficiendam, quam alius major, vel minor. Neque etiam dici debet, quod summus requiratur. Alias quis unquam probabiliter quidẽ sibi per-

suadere posset, quod ad gradum illum contritionis summe intensum pervenisset? Denique ut quid pœnitentia S Magdalenæ, aliorũq; Sanctorum pœnitentium tantopere celebraretur, si omnes pœnitētes ad eandē pœnitentiæ perfectionem obligarentur. Quod vero unicus de omnibus peccatis perfectæ contritionis actus vel momento elicitus ad illorum remissionem sufficiat, patet ex multis Sanctis, ut S. Magdalena, S. Matthæo, S. Paulo, & aliis, quos Scriptura refert brevissimo tēpore, & quasi momento unico vere conversos, & justificatos fuisse.

Huic doctrinæ favent SS. Patres, ut S. Cyprianus de serm. in cœna Domini: *Sed & in eodem articulo temporis*, inquit, *cum jam anima festinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerserit, Pœnitentiam clementissimi Dei benignitas non aspernatur*. Et paulo inferius, *Nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, si vera contritio, si pura fuerit voluntatum mutatio, excludit a venia*. Et S. Joannes Chrysostomus in priori Ep. ad Theodorum lapsum, de bono Latrone loquens dicit, quod *In unico momento totius vitæ peccata simul absterfit*.

Tertium est, certum esse dari aliquod præceptum Divinum, quo peccator ad actum contritionis eliciendum obligetur. *Neque enim* (ut recte dixit Sanctus Augustinus lib. de duabus animabus capite 14.) *in hanc rem Scripturæ testimonia colligere necesse est. Vox est etiam ista naturæ: neminem stultum rei hujus notitia deseruit*, &c. *Potest aliquis dicere se non peccare, non autem esse, si peccaverit, pœnitendum: nulla barbaries hoc dicere audebit*.

4. Verum difficultas est, quonam tempore præceptum illud obliget. Quidam enim dixerunt, peccatorem statim a peccato commisso ad perfectæ contritionis actum eliciendum obligari, & tandiu peccare continue, quandiu ab ipso peccato, vel perfectæ contritionis actu, vel Sacramenti Pœnitentiæ susceptione, non purgatur. Alii peccatorem ad id obligari asseruerunt, quoties peccata commissa, nec remissa memoriæ occurrunt. Alii peccatorem astringunt ad id diebus Dominicis, vel festivis, ut illos debite sanctificare possit. Quæ omnia quamvis optima sint, & saluberrima, nullam tamen in illis casibus ad contritionis perfectæ actum eliciendum obligationem esse docet, & probat Gammachæus cap. 8. de Sac. Pœnit. & Isambert. disp. 13. de eod. Sacr. ar. 3. & seq.

Quare cum illis dicendum est, peccatorem ex Divino præcepto in duobus tantum casibus ad actum perfectæ contritionis eliciendũ obligari. Primus est, quoties actio aliqua necessario exercenda est, quæ statum Gratiæ requirit in eo, qui hujusmodi actionem exercere debet, nec adest Sacerdos, qui cũ a peccato mortali, quod commisit, sacramentaliter absolvat. Tunc enim ne novum sacrilegii peccatum incurrat, perfectæ contritionis actum elicere tenetur.

Secundus casus est, quoties quis in periculo mortis cōstitutus, ali-

cujus

cujus peccati mortalis se conscium esse deprehendit. Tunc enim, si Confessarii copia non suppetat, tenetur perfectæ contritionis actum elicere. Ratio est, quia ex Divinæ legis præscripto quilibet tenetur æternæ damnationis, & separationis a Deo certum periculum devitare, mediumque ad id necessarium adhibere; atqui nullum aliud tunc suppetit damnationis evitandæ medium, quam actus perfectæ contritionis; ergo peccator tunc ad illum eliciendum obligabitur.

SECTIO IX.

Utrum Contritio perfecta necessaria sit ad Sacramentum Pœnitentiæ digne, & fructuose recipiendum, an vero attritio ad id sufficiat.

1. PRæsupponimus, alterutram esse necessariam, id est ad fructuosam, & dignam Sacramenti Pœnitentiæ susceptionem requiri contritionem aliquam formalem, & expressam, ita ut aliquis verus, & actualis dolor a Pœnitente concipiatur de peccatis commissis, quàvis venialia tantummodo forêt; cum contritio sit pars essentialis hujus Sacramenti, qua deficiente nullum esset Sacramentum. Quare qui tantummodo doleret, quod de peccatis non doleat, careret dolore ad fructum hujus Sacramenti necessario; quia contritio est dolor de peccato commisso, ut ex Concilii Trid. doctrina constat, proindeque quivis alius dolor, qui non est de peccato commisso, non est contritio. Quanquam si dolor ille sit absolutus, & efficax, pariet necessario verum de peccatis dolorem, id est efficiet, ut voluntas peccata commissa aversetur, & doleat ea commisisse. Quo sensu intelligi debent Theologi illi, qui ad pœnitentiæ Sacramentum sufficere dicunt, pœnitentem dolere, quod de peccatis non doleat.

2 Hoc præsupposito, dicendum est, contritionem perfectam, quamvis sit optima, & excellentissima dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ digne, & cum uberrimo Gratiarum fructu recipiendum, non esse tamen necessariam, sed simpliciter sufficere attritionem. Ita docent Paludanus in 4. dist. 19. q. 1. 2. 2. S. Antoninus 3. par. tit. 14. cap. 19. Sylvester verbo *Confessio*, cap. 1. Roffensi ar. 5. contra Lutherum, Joannes Malderus Episcopus Antuerp. p. 22. qu. 19. ar. 4. Ruardus Thomas Staple. to. 2. Prolegom. 1. in lib. 5. Guillelmus Estius in 3. sent. d. 34. §. 7. & in 4. d. 54. §. 13. Canus releɫ. de Pœnit. p. 5. ad 2. Sotus lib. 2. de nat. & grat. c. 15. & in 4. dist. 18. qu 3 ar. 2. & plures alii, quibus subscripserunt Isambertus disp. 4. de Pœnit ar. 4. & Gammachæus c. 9. de Sacram. Pœnit. ubi etiam dicit, esse manifestam sententiam S. Thomæ.

Probatur in primis ex Conc. Trident. sess. 14. cap. 4. ubi, postquam declaravit, *contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, nõ quidẽ adhuc inhabitãtis, sed tantũ moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat,*

hæc

solutioni apponeret, v. g. si diceret, *Ego te absolvo, dummodo rem oblatam intra decem dies restituas*, aut quid simile.

Quod autem spectat ad alias cōditiones de præterito, vel præsenti, quamvis non reddant absolutionem invalidam, cum ejus significationem, aut effectum non suspendant, nihilominus sine rationabili aliqua causa, aut necessitate apponi non debent, puta cū Sacerdos ad moribundum absolvendum accedens non nisi dubia, & incerta contritionis signa in eo deprehendit. Tunc enim potest, imo debet absolutionem illi conferre sub hac cōditione tacita, vel expressa, *Si tu es absolutionis capax*, ut docet Isambertus disp. 18. de Sacram. Pœnit. ar. 10 & Gammachæus c 21. de eodem Sacram. Pœnit. §. 1. in fine. Similiter quando Sacerdos dubitat, utrum pœnitens plenum, ac perfectū rationis usum habuerit, necne quando peccata in confessione declarata commisit, v g. quando puer in primo rationis crepusculo ad Sacramentum Pœnitentiæ accessit. Tunc enim secundum communem omnium Doctorū consensum, ut loquitur Ledesma supra, licite poterit Sacerdos dicere in absolutione, *Si peccasti, ego te absolvo*, &c. Additque idem de similibus, & aliis casibus esse dicendum.

Quæres, quisnam sit verus, & proprius sensus illorum verborū. *Ego te absolvo*. Quorundam antiquorum Scholasticorum opinio fuit, verborum illorū sensum hunc esse, *Ego declaro, peccata tibi a Deo esse remissa*, sicque absolutionem Sacramentalem nihil aliud esse, quam declarationem remissionis peccatorum ipsi pœnitenti a Deo factæ. Quam quidem opinionem non satis cum Fidei veritate cohærere, docet Isambertus disp. 8. de Sacram. Pœnit a 12. maxime ob contrariam definitionem Concilii Trid. sess. 14. c. 6. & can. 9. ubi anathema profert in eū, qui dixerit, *Absolutionē Sacerdotis esse nudum ministerium declarandi peccata esse remissa*. Quare vera, & certa responsio ad quæstionem propositam est, Sacerdotem per verba illa absolutionis significare se pœnitentis peccata remittere, illumque a peccati macula, & consequenter a pœna æterna illi debita Christi Dom. auctoritate vere absolvere. Ita S. Th. q. 84. a. 3. ad 3. Et probatur in primis ex his Christi Domini verbis S. Matth. 18. *Quæcunque solveritis super terram*, &c. & S. Jo. 20 *Quorum remiseritis peccata*, &c. Hujus siquidem vocis, *Absolvo*, in forma Sacramenti Pœnitentiæ eadem est significatio, quæ est istorum verborum, *Solveritis*, & *remiseritis*, cum iis usus sit Christus Dominus ad Sacramentum hoc instituendum; atqui verba illa veram, & effectivam peccatorum remissionem significant in omnibus aliis Scripturæ locis, quæ frequenter in utriusque Testamenti libris occurrunt, nusquam autem simplicem illius remissionis declarationem; ergo etiam in illo duplici S. Matth. & S. Jo. loco idem significare censenda sunt, & ex consequenti verbum *Absolvo*, in forma Sacramenti Pœnitentiæ eandem significationem habere dicendum est.

Pro-

Probatur deinde ex eo, quod S. Chryf.l. 3. de Sacerdot. peccatorum remissione loquens dixit, *Deum Patrem omnifariam potestatem dedisse Filio, & eandem ipsam omnifariam potestatem a Deo Filio ipsis Sacerdotibus esse traditam*; atqui certum est, Filium Dei habuisse veram potestatem remittendi peccata, quoad culpam, & pœnam æternam; ergo eandem potestatem Sacerdotibus dedit.

Denique, ut recte observat S. Ambr.l. 1. de Pœnit.cap. 2. potestas remittendi peccata tanta est, quanta potestas eadem retinendi, cum æqualiter utraque a Christo Domino data fuerit; atqui per hanc Sacerdotes vere peccata quoad maculã, & æternæ pœnæ reatum retinent, denegando absolutionem; ergo per illam eadem peccata vere quoad maculam, & æternæ pœnæ reatum poterunt absolutionem conferendo remittere.

Objicies, in variis Scripturæ locis dici, solum Deum dimittere peccata, delere iniquitates.

Respondet S. Doct. supra, iis locis nihil aliud significari, quã Dei solius esse tanquã causæ principalis per propriam auctoritatem peccata remittere, quod non impedit quin Sacerdos ejusdẽ Dei nomine peccata remittat, per modum causæ ministerialis, seu instrumentalis.

SECTIO V.

Quinam sint effectus hujus Sacramenti.

1. PRimus Sacramẽti Pœnitentiæ effectus est remissio omnium, & quorumcunque peccatorum mortalium post susceptionẽ Baptismi commissorum, quantumcunque gravia sint, & enormia; cum potestas peccata remittẽdi a Christo Domino collata Sacerdotibus S. Jo. 20. ad omnia, nullo prorsus excepto, se extendat. Et hoc definitum habetur in Conc. Lateran. sub Innocentio III. cap. 1. *Firmiter* extra de summa Trinitate; ubi sine ulla exceptione, aut restrictione dicitur, peccatum quodcunque post Baptismi susceptionem commissum posse per pœnitentiam reparari.

Objicies, Christum Dominum declarasse S. Matth. 12. & S. Marc. 3 peccatum in Spiritum Sanctum neque in hoc sæculo remitti, neque in futuro.

Respondetur 1. per peccatum in Spiritum Sanctum intelligi a S. Aug serm. 12. de verb. Dom. & Ep. 10. ad Bonifacium, peccatum finalis impœnitentiæ, quod certum est nunquam remitti; cum post illud commissum peccator sit extra statum viæ, nec proinde sit amplius pœnitentiæ, aut absolutionis capax.

Respondetur 2. alios SS. Patres per peccatum in Spiritum Sanctum intellexisse peccatum illud, quo quis veritatem aliquam a Deo revelatam, & ut sic cognitam ex certa malitia impugnat. Ita SS. Athanasius, Chryf. Basilius, Ambros. Hier. & alii apud Bellarminum l. 3. de

de Pœnitentia cap. 16. Dici autem irremissibile, non quod absolute remitti non possit, si peccatorem vere de illo pœniteat, illudque clavibus Ecclesiæ subjiciat, sed quia ordinarie, & ut plurimum qui tale peccatum commisit, de illo ob propriæ voluntatis perversitatem non dolet, nec proinde illius remissionem accipit; sicut alia peccata citatis locis dicuntur remitti, non quod semper de facto remittantur, cum multi de illis non doleant, sed quia ut plurimum, & ordinarie pœnitentibus condonentur.

2. Secundus hujus Sacramenti effectus est remissio peccatorũ venialium, quæ sicut quivis potest proprie, & salubriter in confessione declarare, ita de illis quoque remissionem, virtute illus Sacramenti, consequi posse certum est, ut ex ante dictis patet.

Est autem difficultas inter Theologos, qua ratione peccata illa in Sacramento Pœnitentiæ remittantur. Omissis variis super hac re sententiis, quas instituti nostri non est hic fusius explicare, probabilissime loqui videntur ii, qui asserunt, hanc peccatorum venialium remissionem in Sacramento Pœnitentiæ fieri per Gratiam sanctificantem per hoc Sacramentum ex opere operato productam, non solum secundum se præcise consideratam, sed præsertim ut datam intuitu præviæ de illis attritionis, qua ratione formalem cum illis peccatis habet repugnantiam, cum sit gratia reconciliationis ab ipsis. Ita Vasquez in 1. 2. disp. 207. c. 4. Ex qua doctrina sequitur, ad hoc ut quis in Sacramento Pœnit. Peccatorum venialium remissionem consequatur, necessarium esse, non modo ut nullam actualem circa peccata illa complacentiam habeat, sed præterea requiri, ut formalem de iis, vel saltem virtualem contritionem, aut attritionem concipiat, ita ut, quamvis unum, aut alterum in confessione declaret, si tamen de aliis omnibus generatim vere ex animo doleat, virtute Sacramenti illorum omnium remissionẽ consequatur. Quod ideo hic obiter observamus, ut cuique facilius, & certius innotescat, neque necessarium, imo neque satis consultum esse omnia, & singula peccata venialia singillatim in confessionibus quotidianis declarare, quod aliqui scrupulosius faciunt, sed uno, aut altero graviori explicato, si nullum mortale subsit, de his & reliquis omnibus verum dolorem, & emendationis propositum concipere, & sic beneficium absolutionis recipere.

3. Quæres, quando peccata venialia extra Sacramentũ Pœnitẽtiæ remittantur. Respondetur juxta doctrinam S. Th. q. 87. a. 1. ad peccatorum venialium remissionem extra Sacramentum Pœnitentiæ non sufficere habitualẽ displicentiã, quæ in habitu charitatis includitur, alias nullus justus peccati venialis reatũ haberet, sed requiri displicẽtiã de illis formalẽ, quæ in actu perfectæ cõtritionis reperitur, aut saltẽ virtualem contentã in eo actu dilectionis Dei, quo quis ipsum sic diligit, ut, si peccata venialia, quæ commisit, menti occurrerent, per

perfectum de illis dolorē conciperet. Ita Alensis in 4.p.q.15. memb. 3. art. 4. Paludanus in q. 82.tit. 16.qu.1. art. 2. & plures alii Theologi. Quamvis etiā probabilis videatur sententia Dominici Soti in 4. dist. 15.qu. 12. Suarez disp. 11.sect. 3. & quorundā aliorum Doctorum, qui docent, non modo per contritionem formalem, & virtualem, sed etiam per attritionem de illis ex motivo supernaturali elicitam, ejusmodi peccata remitti. Certe S. Bernardus sermone 1. de Cœna Domini de peccatis illis venialibus loquens dicit, *Necesse non esse de illis nos nimis sollicitos esse, Deum facile illa ignoscere, imo & libēter, si tantummodo nos agnoscamus: in ejusmodi namque quasi inevitabilibus & negligentiam inculpabilem esse, & timorem inordinatum*.

Respondetur 2. remitti quoque peccata venialia, tum per aliorum Sacramentorum susceptionem, dummodo suscipiens vere de peccatis illis doleat, tum etiam per usum Sacramentalium, ut docet S. Thomas qu. 87. art. 3. Nomine autem Sacramentalium Theologi communiter intelligunt res quasdam, vel actiones sacras ab Ecclesia eo fine institutas, ut per illarum usum peccatorum venialium remissio obtineatur.

4. Varie autem a Theologis Sacramentalia illa solent enumerari. Præcipua, & de quibus apud omnes constat, sunt quinque, scilicet *Aqua benedicta*, ut habetur cap. *Aquam*, de consecr. dist 3. *Panis benedictus*, c. *Cum omne crimen*, de consec. dist. 2. *Benedictio Episcopalis*, c. *Dictum est*, dist. 1. qu. 2. *Oratio devote ad Deum fusa in Ecclesia dedicata*, ut ex ipso ritu dedicationis Ecclesiarum intelligitur, *& quælibet Sacramentalis unctio*, ut docet S. Th. cit. art. 3. id est, unctio illa, quæ fit in quibusdam Sacramentis ex solo Ecclesiæ instituto.

Remittuntur autem peccata venialia per sacramentalium illorum usum, non quidem ex opere operato, ut quidam Theologi minus probabiliter dixerunt, sed tantum ex opere operantis, quatenus per preces Ecclesiæ, quæ in ejusmodi sacramentalium usu nobis applicantur, actualia quædam Gratiæ auxilia impetrantur, quibus excitamur ad actum aliquem formalem, aut virtualem contritionis de illis peccatis venialibus concipiendum. Ita S. Th. cit. art. 3. ad 3. ubi dicit, quod per Sacramentalia tolluntur peccata venialia virtute charitatis, cujus motus per illa excitatur.

5. Quod si quæstio intelligatur de peccatis venialibus, cum quibus justus ex hac vita decedit, dicendum est cum S. Doctore qu. 7. de malo art. 1. *Illa remitti post hanc vitam quantum ad culpam, eo modo, quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum charitatis in Deum, repugnantem venialibus in vita commissis*.

Neque dicas, nullum esse in altera vita merito locum, nec proinde contritionem tunc peccatorum venialiū remissionem posse promereri. Respondetur enim, peccata illa non remitti vi contritionis illius, quatenus est actus bonus, & meritorius, sed quatenus est for-

ma quædam peccato veniali repugnans, illudq; ex anima expellens.
Sunt etiã alii hujus Sacramenti effectus præter duos supra explicatos, quorum præcipui sunt pax, & serenitas conscientiæ cũ vehementi Spiritus Sancti consolatione, ut declarat Conc. Trid. sess. 14. c. 3. quibus addere possumus reviviscentiam bonorum operum per peccatum mortale extinctorum, de qua sectione seq. agendum est.

SECTIO VI.

Utrum per Pœnitentiæ Sacramentum merita bonorum operum reviviscant.

1. De duplici bonorum operum genere quæstio proposita intelligi potest, primo de illis, quæ in statu peccati mortalis exercentur; & vocantur mortuæ: secundo de illis, quæ in statu quidem Gratiæ facta sunt, sed statu illo per peccatum mortale labefactato, vim quoque suam, ac meritum amiserunt. De utrisque igitur quæritur, an per Gratiam in Sacramento Pœnitentiæ acceptam, quoad meritum, reviviscant. Pro cujus resolutione

Dicendum 1. opera bona facta in statu peccati mortalis nihil unquam homini justificato ad gloriam consequendam profutura esse. Ita S. Th. qu 89. art. 6. & constat ex iis, quæ in priore hujus Operis parte tr. 6. a nobis dicta sunt de conditionibus operis vitæ æternæ meritorii, quarum prima, & præcipua hæc est, ut fiat ab homine in statu Gratiæ sanctificantis. Unde S. Aug. tr. 71. in S. Joan. explicans hæc Christi Dom. verba, *Sine me nihil potestis facere*, dicit opera Fidelium a Christo Domino in peccato mortali excisorũ nihil illis ad vitam æternam consequendam prodesse. Quod quamvis verum sit, recte nihilominus monet S. Doctor in resp. ad 3. non esse prorsus inutilia ejusmodi opera in statu peccati mortslis facta, ut fusius explicavimus in citato tract. 6. Unde S. Hier. in c. 1. Aggæi, *Si quando videris*, inquit, *inter multa mala opera facere peccatorẽ quenquam aliqua, quæ justa sunt, non est tam injustus Deus, ut propter multa mala obliviscatur paucorum bonorum.*

2. Dicendum 2. bona opera in statu Gratiæ sanctificantis facta, & per peccatum mortificata, hujus Sacramenti virtute reviviscere, ita ut jus, quod homo sibi ad æternam gloriam per opera illa acquisierat, eidem restituatur, proindeque etiam Gratia sanctificans per peccatum mortale deperdita, in qua fundatur jus illud, & meritum ad æternam gloriam. Ita S. Doctor quæst. 89. art. 5. Et probatur 1. ex illis Apostoli verbis ad Galat. cap. 3. *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa*; quibus alloquens ipsos Galatas ob susceptam Christi Fidem multa perpessos, & postea in peccatum mortale lapsos, declarat, quamvis in illo statu peccati mortalis bona

illa

illa opera essent ipsis inutilia si tamen per veram pœnitentiam converterentur, non fore frustra, & inutiliter ab illis facta. Ita hunc locum explicat S. Hieronymus in illud caput, ubi sic loquitur, *Qui ob Christi Fidem laboraverit, & postea lapsus fuerit in peccatum, non perdet merita sua, si ad pristinam Fidem, & studium revertatur.*

Probatur 2. ex Conc. Trid. sess. 6 cap. 16 ubi ait, *Justificatis hominibus, sive acceptam Gratiam perpetuo servaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda esse Apostoli verba, Abundate in omni opere bono, scientes, quod Deus non est injustus, ut obliviscatur operis vestri*, &c. quo loco notanda est distinctio Gratiæ perpetuo servatæ, & Gratiæ amissæ, sed recuperatæ, quæ videretur inutilis, nisi Concilium intelligeret, per pœnitentiam pristina merita instaurari, ut docet Gammachæus cap. 27. de Sacram. Pœnitent. ubi etiam addit ex S. Doctore, Gratiam illam habitualem per peccatum deperditam reparari per Pœnitentiam in majori, vel minori gradu, juxta majorem, vel minorem devotionem, ac dispositionem ipsius pœnitentis, quod etiam prius docuerant Hugo a S. Victore lib 2. de Sacramentis part. 4. c. 19. & Bonaventura in 4. dist. 14. part. 2. art. 2. quæst. 3.

3. Quæres, an, sicut bona opera mortificata per Pœnitentiam reviviscunt, sic e contrario peccata in Sacramento Pœnitentiæ semel remissa per subsequens peccatum mortale redeant, quoad reatum tam culpæ, quam pœnæ. Respondet S. Doctor qu. 88. art. 1. peccata semel remissa nunquam postea redire. Quod probari potest ex variis Scripturæ locis. Ezech 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua*. Mich. 7. *Projiciet in profundum maris omnia nostra scelera*; quibus, & aliis similibus loquendi modis significatur, Deum absolute, & independenter ab eventu futuro pœnitentibus peccata remittere. Quo etiam spectat illud Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei*. Probari deinde potest auctoritate Gelasii Papæ cap. *Divina* de Pœnitent. dist. 4. ubi dicit quod *Divina clementia peccata dimissa in ultionem venire non sinit*.

Quamvis autem peccata jam condonata nec formaliter, nec materialiter ob sequentem lapsum redeant, redeunt tamen virtualiter, in quantum aggravatur peccatum subsequens propter circumstantiã ingratitudinis erga Deum, a quo tam misericorditer præcedentia peccata condonata fuerant. Et hæc ingratitudo tanto gravior esse censetur, quanto plura, & atrociora delicta fuerunt remissa. Quamvis autem hæc ingratitudo novum peccatum notabiliter aggravet, non est tamen speciale peccatum ab eo distinctum, ut docet S. Th. nisi in eo casu, quo contra Deum peccaretur ex formali, expressoque contemptu beneficii ab eo accepti.

SECTIO VII.

Quid sit contritio in genere.

1. EXplicatis iis, quæ ad naturam, effectusque hujus Sacramenti pertinent, nunc de singulis illius partibus agendum est, atque in primis de Contritione, quæ in genere secundum mentem Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. definitur, *Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.*

Dicitur, *Animi dolor*, ut significetur, contritionem non in appetitu inferiori, sed in voluntate sedem habere, neq; in dolore sensibili, sed in dolore spirituali, qui solius voluntatis proprius est, consistere.

Dicitur deinde *Detestatio*, ut exprimatur odium peccati commissi, ex quo dolor ille solet oriri, vel quod in ipso dolore saltem virtualiter continetur. Eo ipso enim, quo quis vere de peccato commisso dolet; vellet non peccasse (qui proprius est ipsius contritionis motus, ut docet Navarrus cap. 1. num. 2.) proindeque ita dispositus est, ut peccatum commissum odisse, & detestari censeatur.

Dicitur præterea, *de peccato commisso*, ut intelligatur, objectum doloris illius, ac detestationis non esse quodcunque malum, nec etiam quodcunque peccatum, sed solum illud, quod vel omissione, vel commissione a nobis perpetratum est. Non dicitur de hoc, vel illo peccato, sed indefinite de peccato commisso, ut ostendatur, contritionem de omnibus peccatis commissis esse concipiendam. Qui enim erga aliquod peccatum mortale ita esset affectus, ut de illo commisso non doleret, quantumcunque de aliis sibi dolere videretur, ejus contritio vera non esset.

Dicitur denique, *cum proposito non peccandi de cætero.* Qui enim amico a se offenso vult reconciliari, ut dicit Catech. Rom. part 2. cap. 5. oportet, ut & doleat, quod in eum injuriosus, atque contumeliosus fuerit, & de ejus amicitia in posterum non amplius lædenda sollicite provideat, alias non agitur pœnitentia, sed simulatur.

2. Quamvis autem optimum sit, ut propositum illud formaliter & expresse concipiatur, & nonnunquam illud exigendum sit a pœnitentibus, quorum dispositio non satis evidenter Confessario nota foret; absolute tamen loquendo dicendum est, sufficere, ut propositum illud sit virtuale, & implicitum, id est ut pœnitens de peccatis commissis dolens ita sit dispositus, & affectus, ut, si de futuro tempore cogitaret, peccata illa in posterum devitare firmiter proponeret. Ita Major, Medina, And. de Vega, Navarrus, & alii, quos citat, & sequitur Suarez, disp. 4. de Pœn. sect. 3. Ratio est, quia, ubi est vera aversio a peccato, & vera conversio ad Deum, ibi etiam est vera pœnitentia, & vera contritio; potest autem cum solo virtuali proposi-

to

to non peccandi concipi vera aversio a peccato, & vera conversio ad Deum. Ex. gr. si quis totus defixus sit in perpendendis peccatis, quæ ex intimo cordis affectu dolet in Deum infinite bonum, & diligibilem commisisse, ita ut nullo modo de vita in futurum instituenda cogitet, quis dicat, illum vere a peccatis non averti, & ad Deum non converti? Certe ubi David Rex tantummodo dixit 2. Reg. cap. 12. *Peccavi Domino*, quibus verbis detestationem, & displicentiam peccati a se commissi declaravit; quamvis nullum propositum peccati illius in futurum devitandi expresserit, continuo audivit. *Dominus transtulit peccatum tuum*.

3. Quæres, an sicut sufficit propositum virtuale, quod includitur in vera, & formali contritione, sic etiam sufficiat dolor virtualis de peccatis, qui censetur includi in actu aliquo amoris Divini, an scilicet is qui accederet ad confessionem nihil cogitans de peccatis deflendis, sed totus Divini amoris actibus eliciendis intentus, sufficienter esset dispositus ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Respondet Suarez disp. de Fide sect. 4. num. 19. hunc amorem sufficere, eo quod ex se voluntatem efficaciter avertat a peccato, & convertat ad Deum, & eo ipso, quo quis perfecte diligit Deum, censeatur exhorrescere, & detestari quamcunque offensam, & injuriam Dei. Hæc autem opinio Suarez, cui favere videtur D. Th. part. 3. qu. 85. art. 1. quamvis valde probabilis sit, tamen in praxi non videtur esse consulenda, & communi doctrinæ Conciliorum, & Patrum magis consentaneum est dicere, dolorem expressum, seu displicentiam de peccatis ad Sacramentum Pœnitentiæ necessarium esse, illudque Sacramentum ita esse a Christo institutum, ut habere pro materia necessaria debeat dolorem, & displicentiam de peccatis; unde etiam nomen Pœnitentiæ illi impositum est.

4. Observat autem Catech. Rom. supra, ad significandum dolorem illum de peccatis, qui ad veram illam Pœnitentiam requiritur, nomen contritionis usurpari, ducta similitudine a rebus corporeis, quæ minutim confringuntur, ut significetur, *Corda nostra, quæ peccando obduruerunt, illius doloris vi contundi, atque conteri debere*, adeoque dolorem illum contritionis debere esse summum appretiative, ut loquuntur Theologi, id est, quod pœnitens debet de peccatis commissis plus dolere, eaque magis odisse, & aversari, quam alia quæcunque mala.

Porro quæ hucusque dicta sunt, generatim intelligi debent de contritione illa, quæ, ut loquitur Concil. Trid. cit. c. 4. *quovis tempore necessaria fuit ad impetrandam veniam peccatorum*. Si enim agatur de contritione, quæ Fidelium baptizatorum propria est, quæque ad peccatorum remissionem in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam requiritur, præter conditiones supra explicatas, unam adhuc exigit Concilium, nimirum ut dolor ille de peccatis *Cum fi-*

ducia Divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctum sit, quæ ad rite suscipiendum Pœnitentiæ Sacramentum requiruntur, id est, ut explicitum, aut saltem implicitum propositum includat confitendi Sacramentaliter peccata mortalia commissa, & pro illis Deo satisfaciendi, seu satisfactionem imponendam acceptandi, & adimplendi, ut explicat Catechismus Romanus supra.

SECTIO VIII.

Quid sit Contritio perfecta, & quo pacto ab attritione distinguatur.

1. SUpponimus ex doctrina Conc. Trid. sess. 14. c. 4. contritionem illam, de qua præcedenti Sect. dictum est, dividi in perfectam, quæ simpliciter contritio dici solet, & in imperfectam, quæ communiter vocatur attritio. Hoc præsupposito, quæritur, quid sit illa contritio perfecta, & quomodo ab attritione distinguatur.

Quidam olim dixerunt, contritionem in eo tantū distingui ab attritione quod illius intensio, & duratio hujus intensione, & duratione major esset; alii, quod contritionis actus esset sēper Gratia sanctificante informatus, attritionis non item; alii, quod contritio detestaretur peccatum mortale ut summum malū & super omnia mala detestabile attritio vero illud quidem detestaretur, sed nō super omne detestabile; alii, quod cōtritio se extenderet virtualiter super omnia peccata mortalia, attritio vero super omnia illa non se extenderet.

Omissa illarum opinionum refutatione, quæ apud Isambertum videri potest disp. 12. de Sacr. Pœn. art. 1. sententia communis hodie inter Theologos est, contritionem in eo præsertim ab attritione distingui, quod contritio sit detestatio, & dolor de peccato commisso, prout est offensa Dei, seu propter Deum summe dilectum, attritio vero sit ejusdem peccati detestatio, & dolor propter aliquod aliud motivum bonum, & honestum a perfectæ contritionis motivo distinctum. Ita Isambert. loc. cit.

2. Prob in primis ex Conc. Trid. cit. c. 4. ubi contritionem ab attritione distinguit in eo, quod contritio sit *Charitate perfecta*, seu informata, attritio vero non sit. Quod quidem intelligi debet de perfectione intrinseca per formale motivū charitatis, a quo ille cōtritionis actus specificatur in ratione veræ dilectionis Dei. Neq; enim intelligi potest de extrinseca perfectione, quæ per habitum charitatis in actum contritionis derivaretur, cum hoc commune sit cum omnibus aliis virtutum actibus, qui ab homine in statu gratiæ constituto eliciuntur, & etiam ipsi attritioni, si in tali casu eliceretur.

Probatur 2. ex S. Aug. serm. 7. de temp. ubi dicit, *Odium peccati, & amorem Dei efficere veram & perfectam pœnitentiam*. Atqui non alia ratione amor Dei cum odio peccati conjungi potest ad verā, & perfectam pœnitentiam, seu contritionem efficiendam, nisi quando quis odit,

odit,& detestatur peccatum a se commissum, de eoque dolet, prout est offensa Dei id est prout est malum quoddam ipsius Dei. Ejusdem enim charitatis est velle Deo bonum, seu quod illi gratū,& acceptū est,& aversari,ac detestari malum illius, seu peccatum, de illoq; dolere. At vero attritio non ex amore Dei, sed ex turpitudine peccati, vel timore gehennæ, aut alio simili motivo a charitate diverso concipitur, ut docet Concilium supra, & sect. sequenti explicabitur.

3. De hac autem perfecta contritione tria præsertim hic a nobis observari debent. Primum est, illius tantam,& tam admirabilem esse vim, & efficaciam ratione charitatis, qua informatur, cujus motivo elicitur, ut peccata quæcunque deleat, peccatoremque Deo perfecte reconciliet, etiam antequam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur, ut expresse definitum est in Conc. Trid. supra.

Secundum est, ad rationem perfectæ contritionis, adeoque ut producat effectum illum remissionis peccatorum, & reconciliationis cū Deo, non requiri certum aliquem intensionis gradum, aut determinatum voluntatis conatum, infra quem non sit ad effectum illum producendum sufficiens, neque certam aliquam durationis moram, neque ut tot eliciantur contritionis actus, quot peccata commissa sunt. Quamvis enim optimum sit, & quā maxime optandum, ut quivis pœnitens quam plurimos eliciat perfectæ contritionis actus, eosque, quantum poterit, intensos,& ex summo voluntatis conatu; ea tamen est Divinæ misericordiæ immensa largitas, ut ad peccatorum quorumcunque remissionem, & peccatoris cum Deo reconciliationem sufficiat unicus perfectæ contritionis actus, quamvis parum intensus, & vel unico tantum momento durans, dummodo ex veræ charitatis, & Dei dilectionis, motivo eliciatur, sitque, si nō intensive, certe appretiative summus, id est talis, ut per illum voluntas Deum quibuscunque rebus absolute,& sine ulla prorsus exceptione præponat, proindeque peccatum, quatenus ipsius Dei offensa est, tanquam summum malum, & supra omnia alia quæcunque mala detestabile, aversetur. Ita Bellarm. lib. 2. de Sacr. Pœn. cap. 2. Gammachæus cap. 7. de Pœn. assert. 3. & plures alii Theologi, quos ibidem citat.

Ac in primis, quod contritio, quamvis minimum intensa, ad remissionē peccatorū sufficiat, patet ex Scriptura, quæ variis in locis peccatorum condonationem promittit pœnitentibus, seu contritis, nulla proposita mēsura doloris, aut contritionis peccatorum, ut Ezech. 18. *Convertimini, & agite pœnitentiā ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Zac. 1. *Convertimini ad me, & ego cōvertar ad vos.* Actor. 3. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleatur peccata vestra.* Et certe nulla est ratio, cur potius certus aliquis gradus intensionis in contritione requiratur ad remissionem peccatorū efficiendam, quam alius major, vel minor. Neque etiam dici debet, quod summus requiratur. Alias quis unquam probabiliter quidē sibi per-

 sua-

suadere posset, quod ad gradum illum contritionis summe intensum pervenisset? Denique ut quid pœnitentia S Magdalenæ, aliorũq; Sanctorum pœnitentium tantopere celebraretur, si omnes pœnitẽtes ad eandẽ pœnitentiæ perfectionem obligarentur. Quod vero unicus de omnibus peccatis perfectæ contritionis actus vel momento elicitus ad illorum remissionem sufficiat, patet ex multis Sanctis, ut S. Magdalena, S. Matthæo, S. Paulo, & aliis, quos Scriptura refert brevissimo tẽpore, & quasi momento unico vere conversos, & justificatos fuisse.

Huic doctrinæ favent SS. Patres, ut S. Cyprianus de serm. in cœna Domini: *Sed & in eodem articulo temporis*, inquit, *cum jam anima festinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerserit, Pœnitentiam clementissimi Dei benignitas non aspernatur*. Et paulo inferius, *Nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, si vera contritio, si pura fuerit voluntatum mutatio, excludit a venia*. Et S. Joannes Chrysostomus in priori Ep. ad Theodorum lapsum, de bono Latrone loquens dicit, quod *In unico momento totius vitæ peccata simul abstersit*.

Tertium est, certum esse dari aliquod præceptum Divinum, quo peccator ad actum contritionis eliciendum obligetur. *Neque enim* (ut recte dixit Sanctus Augustinus lib. de duabus animabus capite 14.) *in hanc rem Scripturæ testimonia colligere necesse est. Vox est etiam ista naturæ: neminem stultum rei hujus notitia deseruit*, &c. *Potest aliquis dicere se non peccare, non autem esse, si peccaverit, pœnitendum: nulla barbaries hoc dicere audebit*.

4. Verum difficultas est, quonam tempore præceptum illud obliget. Quidam enim dixerunt, peccatorem statim a peccato commisso ad perfectæ contritionis actum eliciendum obligari, & tandiu peccare continue, quandiu ab ipso peccato, vel perfectæ contritionis actu, vel Sacramenti Pœnitentiæ susceptione, non purgatur. Alii peccatorem ad id obligari asseruerunt, quoties peccata commissa, nec remissa memoriæ occurrunt. Alii peccatorem astringunt ad id diebus Dominicis, vel festivis, ut illos debite sanctificare possit. Quæ omnia quamvis optima sint, & saluberrima, nullam tamen in illis casibus ad contritionis perfectæ actum eliciendum obligationem esse docet, & probat Gammachæus cap. 8. de Sac. Pœnit. & Isambert. disp. 13. de eod. Sacr. ar. 3. & seq.

Quare cum illis dicendum est, peccatorem ex Divino præcepto in duobus tantum casibus ad actum perfectæ contritionis eliciendũ obligari. Primus est, quoties actio aliqua necessario exercenda est, quæ statum Gratiæ requirit in eo, qui hujusmodi actionem exercere debet, nec adest Sacerdos, qui eũ a peccato mortali, quod commisit, sacramentaliter absolvat. Tunc enim ne novum sacrilegii peccatum incurrat, perfectæ contritionis actum elicere tenetur.

Secundus casus est, quoties quis in periculo mortis cõstitutus, ali-

cujus

cujus peccati mortalis se conscium esse deprehendit. Tunc enim, si Confessarii copia non suppetat, tenetur perfectæ contritionis actum elicere. Ratio est, quia ex Divinæ legis præscripto quilibet tenetur æternæ damnationis, & separationis a Deo certum periculum devitare, mediumque ad id necessarium adhibere; atqui nullum aliud tunc suppetit damnationis evitandæ medium, quam actus perfectæ contritionis; ergo peccator tunc ad illum eliciendum obligabitur.

SECTIO IX.

Utrum Contritio perfecta necessaria sit ad Sacramentum Pœnitentiæ digne, & fructuose recipiendum, an vero attritio ad id sufficiat.

1. PRæsupponimus, alterutram esse necessariam, id est ad fructuosam, & dignam Sacramenti Pœnitentiæ susceptionem requiri contritionem aliquam formalem, & expressam, ita ut aliquis verus, & actualis dolor a Pœnitente concipiatur de peccatis commissis, quāvis venialia tantummodo forēt; cum contritio sit pars essentialis hujus Sacramenti, qua deficiente nullum esset Sacramentum. Quare qui tantummodo doleret, quod de peccatis non doleat, careret dolore ad fructum hujus Sacramenti necessario; quia contritio est dolor de peccato commissò, ut ex Concilii Trid. doctrina constat, proindeque quivis alius dolor, qui non est de peccato commisso, non est contritio. Quanquam si dolor ille sit absolutus, & efficax, pariet necessario verum de peccatis dolorem, id est efficiet, ut voluntas peccata commissa aversetur, & doleat ea commisisse. Quo sensu intelligi debent Theologi illi, qui ad pœnitentiæ Sacramentum sufficere dicunt, pœnitentem dolere, quod de peccatis non doleat.

2 Hoc præsupposito, dicendum est, contritionem perfectam, quamvis sit optima, & excellentissima dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ digne, & cum uberrimo Gratiarum fructu recipiendum, non esse tamen necessariam, sed simpliciter sufficere attritionem. Ita docent Paludanus in 4. dist. 19. q. 1. a. 2. S. Antoninus 3. par. tit. 14. cap. 19. Sylvester verbo *Confessio*, cap. 1. Roffensi ar. 5. contra Lutherum, Joannes Malderus Episcopus Antuerp. p. 22. qu. 19. ar. 4. Ruardus Thomas Staple. to. 2. Prolegom. 1. in lib. 5. Guillelmus Estius in 3. sent. d. 34. §. 7. & in 4. d. 54. §. 13. Canus relect. de Pœnit. p. 5. ad 2. Sotus lib. 2. de nat. & grat. c. 15. & in 4. dist. 18. qu 3 ar. 2. & plures alii, quibus subscripserunt Isambertus disp. 4. de Pœnit ar. 4. & Gammachæus c. 9. de Sacram. Pœnit. ubi etiam dicit, esse manifestam sententiam S. Thomæ.

Probatur in primis ex Conc. Trident. sess. 14. cap. 4. ubi, postquam declaravit, *contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, nō quidē adhuc inhabitātis, sed tantū moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat,*

hæc

hæc immediate subjungit, *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei Gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandā disponit:* quibus verbis apertissime declarat, attritionem illam, quam ibidem dicit communiter concipi vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ, pœnarumque metu, si voluntatem peccati excludat, cum spe veniæ, esse dispositionem sufficientem ad remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ obtinédam. Unde Catechismus Romanus part. 2. c. 5. mentem Conc. adhuc apertius explicans dicit, *Si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare instituat, etsi ejusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti, ac condonari.*

Probat. 2. ex S. Augustino lib. de Catechizan. rud. c. 17. ubi dicit, eos, qui volunt fieri Christiani, ne eant in ignem æternum cum Diabolo, &c. habere aliquam dispositionem, nō omnino perfectam, sufficientem tamen, ut vere Christiani fiant, id est ut Baptismi Sacramentum recipiant, ac per illud justificentur; talis autem dispositio non est alia, quam attritio, ut ex ejus motivo patet; ergo si secundum mentem S. Augustini est dispositio sufficiens ad remissionem peccatorum in Baptismo consequendam, erit etiam ad Sacramentum Pœnitentiæ digne, & fructuose recipiendum, cum par sit utrobique ratio, ut recte probat Gammachæus cit. cap. 9.

3. Probatur 3. ex fine, ob quem Sacramentum Pœnitentiæ a Christo Domino institutum est, qui finis est spiritualis suscitatio peccatoris a morte peccati, & ejus cum Deo reconciliatio: unde Baptismus, & Pœnitentia vocantur Sacramenta mortuorum, & Concil. Trid. sess. 14. c. 1. dicit, hoc Sacramentum institutum esse *ad reconciliandos Deo Fideles post Baptismum lapsos*: huic autē fini repugnat, prærequiri ad hoc Sacramentum, tanquam dispositionem necessariam, actum aliquem, vi cujus ante realem ipsius susceptionem, peccator a peccati morte suscitetur, & Deo reconcilietur, quia sic Sacramentum nunquam consequeretur finem suum, proindeque ad finem illum frustra institutum fuisse diceretur.

Probatur 4. ex potestate remittendi peccata Sacerdotibus a Christo Domino collata, quam ipsi Sacerdotes in hoc Sacramento exercent, quæ quidem potestas frustra illis data fuisset, si ad illius exercitium dispositio aliqua necessario prærequireretur in ipso pœnitente, qua peccatorum suorum remissionem ante Sacerdotis absolutionem consequi deberet. Imo ut argumentatur Gammachæus cit. cap. 9. si contritio perfecta esset ad Sacramentum Pœnitentiæ dispositio necessaria, consequens foret, Sacerdotes non habere proprie potestatem Clavium, nec vere peccata remittere, sed solummodo declarare; peccata esse remissa; quod dicit esse hæreticum.

4. Con-

4 Confirmatur ex eo, quod inde sequeretur contra communem Ecclesiæ, & Ss. Patrum consensum, legem Gratiæ duriorem, & rigidiorem esse, quam Mosaica lex fuerit, & longe gravius onus Christianis impositum esse, quã Judæis ad remissionem peccatorum obtinendã. In lege Mosaica siquidem sola contritio ad id sufficiebat, in lege autem Gratiæ præter cõtritionem, tenẽtur insuper pœnitentes peccata omnia mortalia etiam occultissima singillatim Sacerdotibus aperire, quod quam grave, & difficile sit plerisque, experientia satis testatur.

Porro hæc Doctrina ita certa est, ut, cum quidam Theologus nuper in libro a se edito scripsisset, *Attritionem de peccatis insufficientẽ esse pro accipienda remissione peccatorũ in Sacramẽto Pœnitentiæ, contritionẽque ex charitate perfecta esse ad id necessariã*, & ex consequenti *Absolutionem Sacramentalẽ nihil aliud esse, quam declarationem juridicã peccati jã remissi*, alma Facultas Parisiensis multis præhabitis deliberationibus tã prima Junii, quam prima Julii anni 1638. totum istud hac censura notaverit, *Quæ tradit de attritionis insufficiẽtia, & contritionis ex perfecta charitate absoluta necessitate ad recipiendũ Pœnitentiæ Sacramẽtũ & quæ addit de absolutione, quod nihil aliud sit, quã declaratio juridica peccati jam remissi, damnavit Facultas, & censuit, has propositiones esse quietis animarũ perturbativas, cõmuni, & omnino tutæ praxi Ecclesiæ contrarias, efficaciæ Sacramenti Pœnitentiæ imminutivas, & insuper temerarias, & erroneas.* Ita refert Isambertus disp. 14. de Sacram. Pœnit. art. 6. qui eidem censuræ interfuit, & subscripsit.

Objiciunt aliqui, Concilium Trid. sess. 6. cap. 6. inter dispositiones ad justificationem adultorum requisitas hanc recensere, ut scilicet *Deum tanquã omnis justitiæ fontẽ diligere incipiant, ac propterea moveantur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.*

5 Respondetur, vel Concilium ibi loqui de justificatione adulti Infidelis, quæ fit ante realem Baptismi susceptionem per solum propositum illius suscipiendi, ut verba ex illo citata explicat Isambertus, & ad hanc justificationem certum est contritionem perfectam esse necessariam, vel, si loquatur de justificatione, quæ in reali Baptismi susceptione confertur, per dilectionem Dei non intelligi amorem perfectæ charitatis, sed amorem imperfectum, qui in virtute spei reperitur, quod satis aperte ex ejus verbis antecedentibus colligitur, ubi de Infidelibus adultis loquens, *Disponuntur*, inquit, *ad ipsam justitiam, dum excitati Divina Gratia, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes*, &c. *in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, quasi dicat illos incipere Deum diligere, eo quod ab illo tanquam a fonte totius Gratiæ, & justitiæ, se peccatorum remissionem impetraturos sperant. Nullus autem dubitat, hunc amorem spei, & hanc confidentiam in Deum per Christi merita requiri

quiri ad justificationem peccatoris, sive in Sacramento, sive extra Sacramentum, sicut & fidem, timorem, aliasque virtutes, quas ibi enumerat Concilium, ea ratione, quæ a nobis explicata est in priori hujus Operis parte, tract. 6. de Gratia, cap. 4. de justificatione.

SECTIO X.

Qualis esse debeat attritio illa, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ debite suscipiendum necessaria est.

1. AD faciliorem quæstionis propositæ solutionem observandum est, attritionem, seu dolorem de peccatis ex vario & multiplici motivo concipi posse. Primum ex motivo malo, verbi gratia, quando quis dolet se in ebrietatem lapsum esse, quia per illam impeditus est, ne furtum committeret. Secundo ex motivo indifferenti, ut si quis de intemperantia doleat, quia sanitati obfuit. Tertio ex motivo aliquo humano, ut si quem latrocinii pœniteat, eo quod illius causa apud alios infamatus fuerit. Quarto ex motivo honesto, sed pure naturali, ut si quem pœniteat mendacii, vel fraudis, eo quod rectæ rationi naturali adversetur. Quinto denique ex aliquo motivo bono supernaturali, idest Fidei Divinæ innixo, verbi gratia, quando quis ex impulsu Spiritus Sancti se peccatum aliquod mortale commisisse dolet, illudque detestatur, quia æternæ damnationis incurrendæ, aut cœlestis beatitudinis amittendæ periculo se exposuerit; vel quia Fidei lumine judicat, turpe esse homini Christiano tale peccatum committere, verbi gratia, quod dixit Apost. 1. Cor. 6: *Tollere membra Christi, & facere membra meretricis.*

2. Hac observatione supposita dicendum est, attritionem quinto modo sumptam esse ad Sacramentum Pœnitētiæ debite suscipiendũ sufficientem, aliis vero quatuor modis esse insufficientem. Ita Suar. disp. 5. de Sacramento Pœnit. sect. 1. Isambert. dis. 14. de eodem Sacr. art. 4. & alii communiter. Atque in primis, quod attritio quatuor illis prioribus modis sumpta sit insufficiens, ex illorũ enumeratione constat. Certum est enim, dolorem de peccatis ex motivo aliquo malo, aut indifferenti, aut humano conceptum non esse virtuosum, nec proinde ad Sacramentum Pœnitentiæ suscipiendũ disponere posse. Certũ est quoque, dolorem de peccatis ex motivo naturali honesto elicitum non sufficere, ut ex communi Theologorum consensu docet Suarez supra, & aperte constat ex eo, quod Concil. Trident. sess. 14 cap. 4. dicit, attritionem illam, quæ ad Gratiam hujus Sacramenti sufficienter disponit, *Esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsum.* Quod vero sufficiat attritio quinto modo sūpta, id est quatenus per auxilium Gratiæ concipitur ex motivo aliquo bono supernaturali, quodcunque illud sit, evidens est, tum ex verbis Concilii Trident. præcedenti Sect. relatis, tum ex rationibus, quibus ibidem probavimus,

mus, contritionem perfectam ad fructum Sacramenti pœnitentiæ non esse necessariam, attritionem vero esse sufficientem. Si qua enim attritio sufficiens est, haud dubie illa, quæ talis est, qualem illo quinto modo descripsimus.

3. Objiciunt Hæretici apud Bellarminum lib. 2. de Pœnit. c. 17. attritionem illam ex metu gehennæ conceptam non posse sufficienter ad Pœnitentiæ Sacramentum disponere, eo quod sit vitiosa, & mala, cum non ex amore Dei, sed ex amore sui oriatur. Unde Kemnitius in examine Concilii Trident. supra sess. 14. attritionem illam ex metu gehennæ conceptam vocat Judæ Pœnitentiam.

Ut clarius, & efficacius hæc objectio solvatur, & Hæreticorum error refellatur, observandum est, quadruplicem timorem a Theologis assignari. Primus est timor naturalis, quo naturaliter homo refugit malum naturæ suæ contrarium; & hic timor ex se neque bonus, neq; malus est. Secundus timor est mundanus, quo quis inordinate temporalia mala timet, adeo ut ad illa devitanda in Deum peccare non vereatur, & hic timor malus est, atque vitiosus, illumque S. Basilius *Hostilē* vocat in Ps. 33. Tertius est timor filialis ex charitate perfecta originem ducens, quo justus supremam Dei majestatem cum omni humilitate, ac cordis devotione reveretur, & hoc præsertim metuit, ne in aliquam ejus offensam incurrat, illique quovis modo displiceat, aut ab eo per peccatum separetur: & hic timor proprius est Sanctorum, deque illo dicit Ps. 33. *Timete Dominū omnes Sancti ejus.* Quartus denique est timor servilis, quo videlicet peccator Deum comminantem, & punientem ita timet, ut ratione timoris illius, & propter pœnam evitandam, quam tunc præ oculis habet, peccata commissa aversetur, & ab illis in futurum cavere proponat.

Est autem in confesso, dolorem de peccato ex timore mundano, vel naturali ortum esse insufficientem, ex timore vero filiali, optimum, & saluberrimum, cum ad perfectam charitatem pertineat. Tota igitur difficultas est de timore servili (ut observat Bellarminus sup.) quem Hæretici contendunt esse malum, ac vitiosum, proindeque insufficientem ad veram Pænitentiam, nos e contrario asserimus esse bonum, & utilem, proindeque attritionem ex ejus motivo elicitam esse sufficientem dispositionem ad Sacramentum Pœnitentiæ debite, ac fructuose recipiendum.

4. Probatur hæc veritas 1. ex Scriptura, quæ innumeris prope locis timorem vindictæ Divinæ, ac pœnarum æternarum ingerit, & ad illum peccatores vehementer excitat. Quin & ipsemet Christus Dominus S. Matth. 10. *Nolite*, inquit, *timere eos*, *qui occidunt corpus*, &c. (en timor mundanus, quem reprobat) *sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam, ita dico vobis hunc timete*, en timor gehennæ, & servilis, ad quem excitat.

Probatur 2. ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. ubi dicit timorem illum Do-

Donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, &c. *eoque timore utiliter concussos Ninivitas ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egisse*, &c.

Probatur 3. ex S. Aug. in Ps. 127. ubi super hæc verba *Beati omnes, qui timent Dominũ*, dicit, quod, *quamvis timor ille, quo quis timet pœnas, ac metuit, ne mittatur in gehennam, nondũ castus sit, est tamen bonus, ac utilis*. Ex S. Basilio in Ps. 33. ubi, postquam timorem mundanum descripsit, dixitque, prorsus esse abjiciendum, subjungit, *Imo vero salutaris, & qui sãctitatis operarius est, vis enarrẽ, qualis sit? Si quando te senseris ad unum aliquod cieri, ac prosilire peccatum, ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mortalium tolerabile Judiciũ Dei*, &c. ubi pergit in Judicio illo ultimo describendo, & exinde proponit *Inferni profundum barathrum, tenebras impermeabiles, ignem obscurũ causticas quidem habentem vires, luce vero destitutum, vermiũ innumerabilium genus venenosum, ac carnivorum*, &c. additque, *Hæc tu time, & ejusmodi timore eruditus, quasi freno quodam animum reprime*, & tandem concludit, *Hunc esse timorem, quem Pater cœlestis non qualiscunque, sed filios de propria salute sollicitos promisit se docturũ*. Ex S. Chrys. hom. 15. ad pop. Antioch. *Quid gehenna gravius? sed hujus metu nihil utilius est. Gehennæ namque timor Regni nobis affert coronã*, &c. *Nihil enim tam peccata consumit, & virtutẽ germinare & crescere facit quam timor. Propterea qui non vivit in timore, recte illum agere nõ est facile. sicut vicissim impossibile est, illum peccare, qui cum timore vivit*. Ex S. Hieron. in c. 2. Mich. *Qui pudore, & verecundia non tenentur, agant pœnitentiam saltem comminatione pœnarum*. Ex S. Ambr. ad Virg. lapf. c. 8. *Pœnitentia sic agitur: sic tibi ante oculos ponas, de quanta gloria cecideris, & de quo libro vitæ nomen tuũ deletum sit, & sic te jam credas prope ipsas positam tenebras exteriores*. Denique ex S. Aug. qui lib. de grat. & liber. arbit. c. 18. loquens de timore Dei dicit, quod *Illius timoris spiritus est haud dubie magnum donum Dei*, &c. *non quidem ille timor, quo Petrus Christum negavit, sed illius timoris spiritum accepimus, de quo dicit ipse Dominus Christus, Eum timete, qui habet potestatem & animam, & corpus perdere in gehennam*.

5. Cum igitur constet, timorem illum esse donum Dei, ac impulsum Spiritus Sancti, atque ex motivo supernaturali Divinæ Fidei innixo concipi, hinc sequitur, esse bonum, ac salutarem, proindeque attritionem, quæ ex illo oritur, non esse vitiosam, & malam, sed bonam, & honestam, quippe quæ oritur quidem ex amore sui, sed bene ordinato, quo nimirum secundum rectam rationem, & Divinæ legis præscriptum refugimus damnationem, & mortem æternam; & quamvis amorem Dei perfectum in se non includat, illum tamen non excludit, nec illi ullo modo adversatur. Unde sequitur, attritionem illam esse sufficientem dispositionem ad Sacramentum Pœnitentiæ debite suscipiendum.

Insta-

Instabit aliquis, attritionem ex solo gehennæ metu ortam nec honestam, nec bonam moraliter esse posse, cum sit odium non peccati, sed pœnæ, ita ut, si nulla esset pœna peccato imposita, nulla esset quoque peccati detestatio.

Ad solutionem hujus instantiæ observandum est, duplicem a Theologis distingui timorem, servilem unum, quem vocant serviliter servilem, in quo tota ratio tam finalis, quam impulsiva dolendi de peccato, aut ab illo abstinendi est fuga, & odium ipsius pœnæ, ita ut quis peccatum fugiat solummodo ob pœnam, quam evitare cupit, finemque suum quasi ultimum in illius pœnæ fuga constituat: alterum vero, quem vocant timorem simpliciter servilem, in quo pœnæ odium, illiusque fuga homini a peccato voluntatem suam avertenti non est ultimus finis, sed tantum proximus, ita ut non sistat se in simplici fuga pœnarum æternarum, sed hunc illarum metum, saltem virtualiter, & interpretative, ad æternæ vitæ desiderium, & amorem Dei imperfectum referat, quatenus scilicet ex tali metu movetur ad dolendū de peccato, vel ad bene operandum, tum ne pœnam illam æternam patiatur, tum etiam ne bono æterno privetur, Deumque sibi iratum, & infensum habeat, in quo præsertim differt a timore serviliter servili, qui nihil prorsus de Deo, illiusque fruitione curat. Est etiam alia inter utrunque illum timorem differentia, quam tradit Bellarminus lib. 5. de Pænit. c. 8. nimirum quod metus serviliter servilis solummodo peccati executionem, seu actionem impediat, timor vero simpliciter servilis voluntatem ipsam immutet, & non modo a peccato cohibeat, sed etiam ad Deum convertat.

6 Hac præmissa observatione, facilis est ad instantiam responsio. Conceditur enim, attritionem ex timore serviliter servili elicitā nec honestam, nec bonam esse moraliter, negatur vero, attritionem ex timore simpliciter servili elicitam vitiosam esse, aut insufficientem, cum habeat omnes conditiones a Conc. Trid. requisitas. Est enim donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti, cum Gratiam excitantem præsupponat, & ex motivo supernaturali oriatur; & præterea voluntatem peccandi excludit, cum spe veniæ a Deo consequendæ.

Ex dictis facile intelligi potest, in quo conveniant inter se contritio, & attritio, & in quo differant. Conveniunt enim 1. in eo, quod utraque sit supernaturalis, id est quod utraque per impulsum Spiritus Sancti ex motivo aliquo supernaturali, seu per Fidem Divinam cognito oriatur. Secundo quod utraque debeat esse interna, & spiritualis, nec dolorem aliquem sensibilem necessario requirat. Tertio quod ad omnia peccata mortalia commissa, nullo prorsus excepto, utraque debeat extendi. Quarto quod utraque voluntatem peccati excludere, spemque veniæ adjunctam habere debeat. Quinto denique quod utraque sit dispositio apta, & conveniens ad Sacramentum Pœnitentiæ digne, & fructuose suscipiendum.

Diffe-

Differunt autem præsertim tum ratione objecti formalis, seu motivi: contritio enim ex motivo perfectæ charitatis concipitur, attritio vero ex aliquo alio motivo a charitate diverso, bono tamen, & honesto, ac supernaturali lumine Fidei cognito; tum ratione effectus: contritio siquidem peccatorem justificat, ac Deo reconciliat, etiam antequam Pœnitentiæ Sacramentum actu susceperit, attritio vero ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ consequendam tantummodo disponit.

7. Quod vero aliqui Doct. dicunt, attritionem debere aliqua ratione concipi propter amorem ipsius Dei, si de amore perfectæ charitatis intelligitur, negandum est, quia dolor ex illo amore quantumlibet remisso elicitus, ante Sacramenti receptionem justificaret, ut supra probatum est, proindeque dolor ille nō esset attritionis, sed contritionis: si autem de amore Dei imperfecto, id est qui ex motivo a charitate diverso elicitur, qualis est ille, qui in virtute spei includitur, quo diligimus Deum, non prout est in se summe bonus, & propter se diligibilis, sed prout est erga nos beneficus, & liberalis, concedendum est, quia attritio debet saltem virtualiter spem veniæ in se includere, ut docet Concil. Trid. supra. Videri potest super hac materia Divus Franciscus Salesius Episcopus Genevensis in tract. de Divino amore lib. 2. c. 17. ubi optime explicat, quis, & qualis sit amor ille imperfectus, qui in spei virtute reperitur.

Superest unum hic observandum, quod monet Laymann. tract. 6. de Sacram. Pœn. c. 4. nimirum ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiri, ut dolor internus attritionis, seu contritionis aliquo modo antecedat, aut saltem comitetur externam peccatorum confessionem; tum quia contritio, cum sit pars Sacramenti, debet aliquo signo exteriori, per confessionem scilicet, fieri sensibilis, tum etiam quia ipsa peccatorū confessio procedere debet ab interna pœnitentia, cum non sit mera, & simplex peccatorum narratio, sed sui ipsius coram Deo accusatio, quæ proinde in spiritu humilitatis, & in animo contrito facienda est. Probabilis nihilominus, & tuta est sententia Suarez disp. 20 de Sacram. Pœnit. sect. 4. num. 31. (quam hic subjungimus in gratiam eorum, qui frequentius ad tribunal Pœnitentiæ, nec nisi cum culpis venialibus accedunt, quique interdum variis super hac re scrupulis exagitantur) qui docet, actum contritionis fructuose post confessionem peractam posse elici, dummodo ante absolutionem Sacerdotis eliciatur, ipsamque confessionem, quamvis ab interna pœnitentia non processerit, tamen quatenus postea veluti informatur per consequentem contritionem, sufficienter perfici in ratione accusationis Sacramentalis, sed tunc necesse esse, ut interior illa contritio, vel attritio exteriori aliquo signo, puta exteriori corporis demissione, humili expectatione ipsius absolutionis, pectoris tunsione, &c. se prodat.

SE-

SECTIO XI.

Utrum Confessio Sacramentalis ad peccatorum remissionem consequendam ex Christi Domini institutione sit necessaria.

1. Confessionis Sacramentalis nomine secundum communem Sancti Thomæ in 4. disput. 17. quæst. 3. art. 2. aliorumque Theologorum doctrinam, intelligitur *Accusatio legitima, in Sacramento Pœnitentiæ de propriis peccatis facta Sacerdoti, ad absolutionem illorum ab eo recipiendam.*

Dicitur 1. *Accusatio*, quia confessio fieri debet per modum accusationis, *nec in ea*, ut loquitur Catech. Roman. par. 2. cap. 5. *peccata sunt ita enarranda, quasi rem aliquam gestam otiosis auditoribus exprimamus, verum accusatorio animo ita enumeranda sunt, ut ea etiam in nobis vindicare cupiamus.*

Dicitur 2. *legitima*, quia non quælibet accusatio sufficit, sed ad eam conditiones quædam Divina lege præscriptæ infra explicandæ requiruntur.

Dicitur 3. *in Sacramento Pœnitentiæ*. Confessio enim, quæ fit in foro exteriori coram Judicibus, sive sæcularibus, sive Ecclesiasticis, non est apta hujus Sacramenti materia.

Dicitur 4. *de propriis peccatis*. Neque enim aliena peccata, sed propria solummodo in Confessione declaranda sunt. In quo abusum multorum notat Toletus lib. 3. cap. 6. qui, ut aliquod proprium peccatum detegant, simul aliorum peccata enarrant, vir uxoris, uxor viri, domini servorum, servi dominorum, &c. qui quidem super hac re ab ipsis Confessariis admoneri debent.

2. Dicitur 5. *facta Sacerdoti*, quia solus Sacerdos est legitimus hujus Sacramenti Minister, ut ex ante dictis constat: nec proinde confessio facta laico, aut Clerico non Sacerdoti ullo modo Sacramentalis est. Debet autem fieri Sacerdoti præsenti, non absenti, ut in Catechismo Rom. sup. declaratur. Et speciali Clementis VIII. constitutione, quam refert Isambertus disp. 18. art. 4. sententia illa, quæ asserit, confessionem Sacramentalem per literas, aut internuntium fieri posse, tanquam falsa, & scandalosa prohibita est. Tunc enim nec confessio secreta esset, nec certa materia absolutionis; contingere siquidem posset, ut pœnitens intermedio tempore mutaret animum, aut e vivis excederet. Potest tamen pœnitens aliquando solis nutibus confiteri, ut in mutis contingit, & interdum in moribundis: potest per interpretem, v. gr. cum Sacerdoti ipsius pœnitentis idioma, seu linguam non intelligenti fit confessio, ad quod tamen nullus obligatur, ut monet Toletus supra, cum alteri revelare confessionem suam non teneatur: potest in scripto, ut scilicet peccata sua scribat, & Confessor, annuente ipso pœnitente,

legat, quod in mutis, aut aliis ex causa aliqua rationabili contingere posset docet Toletus supra.

Dicitur denique *ad obtinendam peccatorum remissionem*. In quo, ut observat Catech. Rom. supra, *hoc Judicium longe dissimile est forensibus capitalium rerum quæstionibus, in quibus confessioni pœna, & supplicium, non vero culpæ liberatio, & errati venia constituta est.*

3. De confessione igitur Sacramentali eo modo intellecta quæritur, utrum sit ex Christi Dom. institutione ad remissionem peccatorum consequendam necessaria. Et responsio affirmativa est de Fide. Quam tamen negaverunt olim non modo Novatiani, sed etiam plures alii Hæretici, ut Messaliani, Jacobitæ, Armenii, Albigenses, Flagellantes, Vualdenses, & alii apud Judocum Coccium tr. 2. l. 7. art. 3. quibus postea subscripserunt Lutherani, & Calvinistæ, ut videre est apud Bellarminum lib. 3. de Pœnit. c. 2. qui omnes, licet maxime inter se circa varia dogmata discrepantes, in eo tamen conveniunt, quod negant confessionis Sacramentalis ex jure Divino necessitatem.

Refellitur illorum error, & veritas opposita probatur 1. ex c. 20. S. Joannis, ubi Christus Dom. alloquens Apostolos, eorumque in Sacerdotio successores, *Quorum*, inquit, *remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, ex quibus verbis perspicuum est, ut docet Catechismus Rom. supra, ipsos Apostolos, & Sacerdotes circa peccata remittenda, aut retinenda judices esse constitutos. *Et quoniam*, ut Sancta Synodus Tridentina sapienter admonuit, *de qualibet re verum judicium fieri, atque in repetendis criminum pœnis justitiæ modus teneri non potest, nisi plane cognita, & perspecta causa fuerit, ex eo sequitur, ut pœnitentium confessione singillatim peccata omnia Sacerdotibus sint patefacienda.*

Prob. 2. auctoritate plurimorum Conciliorum Generalium, ac præsertim Lateranensis sub Innocentio III. cap. 21. Constant. sess. 8. Flor. in decreto Eug. & Trid. sess. 14. c. 5. & can. 6. ubi hæc habentur. *Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure Divino, aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.*

4. Prob. 3. ex SS. Patribus, qui huic veritati subscripserunt, ut S. Cyprianus ser. de lapsis, ubi laudans eos, qui de peccatis sola cogitatione commissis se apud Sacerdotem in Sacramento Pœnitentiæ accusant, *Quanto*, inquit, *& Fide majores, & timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti, quoniã tamẽ de hoc vel cogitarunt, hoc ipsũ apud Sacerdotes Dei dolẽtes, & simpliciter confitẽtes, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarẽ medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirentes.* S. Basilius in regulis brevioribus nu. 288. *Necessario*, inquit, *iis peccata aperiri debent*,

bene, quibus credita est dispensatio Mysteriorũ Dei, siquidem rationem hanc in Pœnitentia etiã veteres illos cernimus secutos fuisse. S Leo Papa Ep. 80. ad Episcopos Campaniæ, prohibens, ne peccata secretâ publice recitarentur, hanc affert rationem, *Quia*, inquit, *reatum conscientiarum sufficit solis Sacerdotibus confessione secreta indicari.*

5. Objiciunt Hæretici, Nectarium Patriarcham Constantinopolitanum abrogasse Presbyterum Pœnitentiarium, confessionemque sustulisse; unde inferunt, illam non esse juris Divini, cum talé jus ab hominibus abrogari non possit.

Duplex ad hanc objectionem afferri potest responsio, ut fusiorem hujus facti enarrationem, & explicationem omittamus, quæ apud Bellarm. videri potest lib. 3. de Pœnit. cap. 15. Prima est, abrogationem illam Presbyteri Pœnitentiarii a Nectario factam, ad sedandum populi tumultum occasione alicujus scandali exortum, qualitercunque facta sit, bene, an male, hominis particularis factum fuisse, qui nec eruditione, nec experientia pollebat in his, quæ ad regimen Ecclesiæ pertinent, cum jam senex, rerumque Ecclesiasticarum expers ad Patriarchatum evectus fuisset; proindeque ex illo ejus facto nullum satis validum argumentum duci posse contra tot sæculorum praxim, universæque Ecclesiæ consensum.

Secunda responsio est, Nectarium nusquam confessionem Sacramentalem secretam abrogasse, sed solummodo usum aliquem particularem occasione Novatianæ hæresis introductum, quo pœnitentes certa peccata Sacerdoti Pœnitentiario confiteri tenebantur, qui eos (prout expedire censebat) ad publicam illorum peccatorum confessionem obligabat; quem quidem usum ob scandalum inde secutum abrogavit Nectarius, liberumque reliquit, ut unusquisque peccata sua secreto posset cuilibet Sacerdoti aperire, ut fusius explicat, & probat Bellarminus loco citato.

SECTIO XII.

Quæ personæ, & quo tempore obligentur ad Confessionem Sacramentalem faciendam.

1. QUod spectat ad primum, communis, & certa Doctorum sententia est, eas omnes, & solas personas ad Sacramentalem confessionem obligari, quæ mortale aliquod peccatum post realem Baptismi susceptionem commiserunt. Hoc enim manifeste constat, tum ex cap. *omnis utriusque sexus* in Conc. Later. tum etiam ex eo, quod Conc. Trid. sess. 14. cap. 2. dicit, baptizatos, qui se crimine aliquo contaminaverint, ad Pœnitentiæ tribunal ex Christi Dom. instituto sisti debere, ut ab admissis peccatis liberentur; & c. 5. peccata omnia mortalia, etiamsi occultissima sint, esse in confessione declaranda, venialia autem, quamvis recte, & utiliter in confessione dicantur, taceri tamen posse citra culpam.

 Quod

Quod vero spectat ad secundum, consentiunt omnes Theologi, ad præceptum Divinum de confessione facienda obligari illum, qui sibi conscius est alicujus peccati mortalis, saltem in articulo, aut probabili periculo mortis, ut sunt periculosa navigatio, dimicatio cum hostibus, partus difficilis, gravis, & periculosa infirmitas, &c. Ita Navarrus sect. 2. punct. 4. Sotus, Angelus, Reginal. Vasquez, & alii apud Bonacinam disp. 5. de part. Pœnit. Et ea de causa, cap. *cum infirmitas*, de pœnit. & remiss. injungitur Medicis, *ut, cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, atque inducant, ut Medicos advocent spirituales animarum*. Et Cœlestinus Papa Epist. 2. ad Episcopos Galliæ, quæ refertur 26. quæst. 6. cap. *Agnovimus*, improbans pravum quendam usum denegandi Sacramentum Pœnitentiæ damnatis ad mortem, qui tunc in Galliis inoleverat, *Quid hoc*, inquit, *aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere?* & paucis interjectis: *Salutem ergo homini ademit, quisquis mortis tempore petenti Pœnitentiam denegavit*.

2. Diximus *saltem in articulo, aut probabili periculo mortis*. Quidam enim Doctores non improbabiliter existimant, præceptum illud Divinum ad confessionem Sacramentalem obligans etiam aliquando extra articulum, seu periculum mortis obligare. Quis enim sibi persuadeat, si Ecclesia tempus confessionis faciendæ non determinasset, peccatorem in quibuslibet criminum sordibus toto vitæ tempore torpere, mediumque adeo efficax ad veniam peccatorum obtinendam sine vero peccato negligere potuisse?

Quo vero tempore præceptum illud Divinum obliget, Christus Dominus expresse determinare noluit, sed Ecclesiæ suæ determinandum reliquit; quæ quidem in Conc. Lateran. sub Innocentio III. c. 21. hoc decretum edidit. *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam sibi Pœnitentiam studeat pro viribus adimplere*, quo decreto suo velut modificavit, & determinavit ipsum præceptum Divinum de confessione facienda, & tempus, quo implendum esset, præscripsit. *Neque enim* ut loquitur Conc. Trid. sess. 14. c. 4. *per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi Fideles confiterentur, quod jure Divino necessarium, & institutum esse intellexerat, sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur*.

Sunt autem quædam hic circa præceptum illud confessionis annuæ observanda.

3. Primum est, illud proprie, & per se obligare tantum semel in anno ad confessionem Sacramentalem instituendam, quamvis ratione Paschalis Communionis, ad quam Fideles tenentur, ipso tempore Pa-

Paschali præsertim obligare censeatur. Ita Sotus in 4. dist. 18. qu. 1. art. 4. Valentia qu. 9. de Pœn. punct. 4. Vasquez q. 90. art. 5. & plures alii, quos ibidem citat.

Secundũ est, nullam certam ætatẽ determinari posse, in qua pueri primum confessionis faciendæ præcepto teneantur, cum aliis citius, aliis tardius oriatur usus rationis ad peccatũ mortale committendum sufficiens. Quare id Confessarius non ex sola ætate, sed multo magis ex ingenii, & educationis qualitate discernere debet. Ita Laymann. tr. 6. de Sacram. Pœnit. cap. 5. ubi etiam monet Confessarium, postquam consideratis circunstantiis judicavit, puerum vere, ac deliberate peccatum mortale, quod confitetur, commisisse, illum cura peculiari ad concipiendum dolorem de peccatis ex motivo aliquo supernaturali excitare, & juvare debere, cum in eo dolore concipiendo frequenter pueri deficere soleant. Quod si, ut ibidem subjungit, omnibus perpensis, de judicio, & discretione pueri dubius permaneat, num sufficiens extiterit ad aliquod peccatum deliberate committendum, tunc illud sub conditione absolvere poterit.

4. Tertium est, præcepto confessionis annuæ non obligari, nisi eos, qui peccatũ aliquod mortale commiserunt, ut constat ex Conc. Trid. supra, & docuit S. Th. Sotus, Major, & alii apud Suarez disp. 22. sect. 8. Quod tamen non obstat, quin consultissimum sit iis, qui nullius peccati mortalis sibi conscii sunt, ad Pœnitentiæ tribunal tempore Paschali accedere, & venialia confiteri: imo fieri potest, ut is, qui tantum habet venialia, ad confessionem Paschali tempore obligetur, non quidem per se, sed per accidens, primo ratione scandali, quod oriri posset, si tempore Paschali ad confessionem non accederet, secundo ad evitandum peccatum præsumptionis, tertio ne seipsum decipiat sibi nimium blandiendo, putans se tantummodo habere venialia, cum fortassis habeat etiam mortalia, quorum non recordetur, quæ tamen tunc ei remitterentur indirecte simul cum venialibus, quæ confiteretur. Quod potiori adhuc ratione observandum esse in articulo mortis, recte docuit Isambertus disp. 14. ar. 14.

Quartũ est, præter confessionis annuæ præceptũ, dari etiam quosdam alios casus, in quibus confessionis faciendæ obligatio incumbit, v.g. cũ quis suscepturus est sacram Eucharistiam, estque sibi peccati alicujus mortalis conscius. Tunc enim, ut declaravit Conc. Trid. sess. 13. c. 7. *quantumcunque sibi contritus videatur, absque præmissa confessione Sacramentali ad sacram Eucharistiam accedere non debet*. Præterea, ut ibidẽ habetur, quando urgente necessitate Sacerdos lethalis alicujus culpæ sibi conscius absq; prævia confessione celebravit, postea debet quam primum confiteri. Alium adhuc casum adjungit Suarez disp. 31. q. 31. n. 1. part. 2. c. 5. cum scilicet quis sæpius in peccatum aliquod mortale relabitur, nec se illud aliter evitare posse putat, nisi confessionis Sacramentalis auxilio. Tunc enim medium illud ample-

sti tenetur. Addimus ex Catech. Rom. *Nullam rem Fidelibus adeo curæ esse debere, quam ut frequenti peccatorum confessione animum studeant expiare*, &c. *ac turpe esse, cum in eluendis corporis, aut vestium sordibus tam diligentes simus, non eadem diligentia curare, ne animæ splendor turpissimis peccati maculis obsolescat*.

SECTIO XIII.

Quænam sint conditiones ad confessionem debite faciendam requisitæ.

1. QUidam Doctores sexdecim ejusmodi conditiones enumerant; quæ licet alioquin omnes bonæ sint, ac utiles, plerasque tamen illarum minime necessarias esse monet Tolet. lib 3. c. 7. qui eodem cap. & seq. quinque præsertim conditiones ad confessionem debite faciendam requiri docet.

Prima est, ut sit *diligens*, idest ut pœnitens ad confessionem non accedat, quin prius peccata sua diligenti præmisso examine in memoriam sibi revocare conetur, alias qui nullā ejusmodi diligentiam adhibere vellet, ad confessionem admittendus non esset: imo qui ex culpabili negligentia peccatorum aliquorum mortalium oblivisceretur, quæ idcirco in confessione declarare omitteret, ipsam confessionem ex integro repetere teneretur, ut asserit idem Toletus cap 9. Ubi recte observat, diligentiam illam non æqualiter in omnibus requiri, sed pro diversa ratione personarum, & status, nec non temporis, ex quo ultima confessio facta est, determinandam esse, illumque, qui multis, & variis negotiis implicatus est, teneri ad majorem diligentiam adhibendam, quam qui ab ejusmodi negotiis vacuus, & liber est, similiter qui tempore diuturniori expers confessionis fuit, quam qui breviori.

Secunda est, ut sit *fidelis*, *& vera*, id est, ut pœnitens veraciter, & sincere Sacerdoti conscientiæ suæ statum aperiat, neque negando, quæ commisit, neque scienter sibi imponendo quæ non commisit, neque item dubia pro certis aut certa pro dubiis proponendo. Mentiri enim in confessione, ut Toletus ibidem docet, grave peccatum est, quando scilicet hoc fit deliberate, & in materia aliqua gravi.

2 Tertia est, ut sit *secreta*, id est, ut pœnitens non coram aliis, & publice sed secreto, & ad aurem ipsius Sacerdotis peccata explicet. Hanc enim esse confessionis Sacramentalis conditionem ex ipsius Christi Dom. institutione recte docet, & probat Isambertus dis. 15. de Pœn. art. 9. Unde Conc Trid. sess. 14. can. 6. expresse asserit, Ecclesiam semper observasse, & observare modum illum secrete cōfitendi & cap. 5. ejusmodi sess. dicit, quod, *etsi Christus Dominus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum & sui humiliationem, cum ob aliorū exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationē, delicta sua publice confiteri possit, non est tamen hoc Divino præcepto mā-*

da-

datum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.

Quarta confessionis conditio est, ut sit *obedire parata*, idest, ut pœnitens habeat voluntatem, & propositum exequendi ea, quæ Confessarius ipsi tanquam necessaria præscripserit, verbi gratia fugiendi proximas peccati occasiones, aliena restituendi, pœnitentiam impositam adimplendi, &c.

Quinta denique conditio est, ut sit *integra*. Quæ quidem conditio, quoniam gravioris alicujus momenti est, seq. sect. commodius explicabitur.

SECTIO XIV.

Quæ sit integritas Confessionis ad validitatem, & fructum ejus requisita.

1. Certum est, integritatem Confessionis non Ecclesiastico solum, sed Divino etiam jure necessariam esse, pœnitentesque ad peccata omnia in Confessione declaranda ex Christi Domini institutione obligari. Hoc expresse docuit Conc. Trid. sess. 14. c. 5. cujus quidem verba, quoniam doctrinam pro cujusque Sacramenti praxi maxime necessariam continent, paulo fusius hic attexere non erit inutile. Dicitur igitur, *Sacerdotes a Christo Domino Præsides, & Judices in Sacramento Pœnitentiæ cōstitutos, judicium hoc incognita causa exercere non posse, neque æquitatem in injungendis pœnis servare posse, si in genere duntaxat, & nō potius in specie, ac singillatim sua ipsi pœnitentes peccata declarent. Unde colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiāsi occultissima illa sint, & tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animum gravius sauciāt, & periculosiora sunt illis, quæ in manifesto admittuntur, &c. Cum enim universa mortalia peccata, etiā cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, necessū est, omnium etiam veniam cum aperta, & verecunda confessione a Deo quærere. Itaque dū omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christifideles confiteri student, procul dubio omnia Divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt; qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil Divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat, Medicina non curat. Colligitur præterea, etiam eas circunstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant, &c. Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me, Domine.*

Ex qua Cócilii doctrina intelligi potest non modo necessitas integritatis in confessione servandæ, sed etiam quis sit illius modus, seu quænā requirantur, ut cófessio integra esse censeatur. Quæ hic paulo distinctius, breviter tamen, majoris facilitatis gratia subjungimus.

2. Ad integritatem igitur confessionis secundum mentem Concilii requiritur primo, ut pœnitens peccata omnia mortalia, vel quæ mortalia esse dubitat, etiam solius cogitationis, quæ post diligentem sui discussionem memoriæ occurrent, in confessione explicet: adeo ut confessio nulla sit, & denuo iteranda, si vel unum ejusmodi mortale peccatum in confessione deliberate reticeat. Et de peccatis quidem mortalibus, quæ a se commissa esse recordatur, evidenter constat ex supra citatis Concilii verbis: de illis vero peccatis, de quibus pœnitens dubitat, utrum mortalia sint, vel utrum sint a se commissa, communis Doctorum sententia, & in praxi tenenda est, pœnitentem ad ea sub dubio confitenda obligari. Ita S. Th. S. Bonavent. Alensis, Adrianus, Sylvester, Navarrus, Suarez, & alii, quos citat, & sequitur Layman. lib. 1. tr. 1. cap. 5. paragr. 3. Quod si post diligentiam sufficientem judicio viri prudentis in examine conscientiæ adhibitam, peccata aliqua mortalia memoriam effugiant, tunc nihilominus virtute Sacramenti simul cum aliis remittuntur, cum onere tamen, & obligatione eadem confitendi, & clavibus subjiciendi, si forte postea memoriæ occurrant.

Observat autem Pet. de Ledesma tract. de Sacram. Pœnit. c. 16. ex communi Ecclesiæ doctrina, & praxi, omnia illa peccata mortalia uni, & eidem Sacerdoti esse confitenda, neque sine sacrilegio dividi, aut dimidiari posse confessionem, ita ut quædam peccata uni, reliqua vero alteri Sacerdoti declarentur, cum hæc divisio, & dimidiatio confessionis integritati ejus repugnet, nec possit unum peccatum mortale sine alio remitti.

3. Requiritur 2. ut pœnitens numerum peccatorum suorum exprimat. Neque enim satis est, ut quis v. g. dicat, se multoties tale peccatum commisisse, nisi quoties commiserit, explicet. Quod tamen (ut recte monet Gammach. c. 20 de Sacr. Pœn. par. 1.) non mathematice, sed moraliter intelligendum est, seu quantum ab ipso pœnitente fieri potest. Unde sufficit, ut pœnitens numerum illorum peccatorum exponat, qui post sufficiens examen memoriæ occurrit. Imo, si præcise non recordetur, quoties peccatum aliquod commisit, satis est, ut dicat, se circiter toties plus minusve peccatum illud commisisse. Quod si frequentissime in illud lapsus sit, saltem tempus exprimat, dicatque v. g. se ab anno fere quotidie, vel pluries in unoquoque die blasphemias protulisse, aut per mensem inimicitias cum aliquo gessisse, cujus quoties recordabatur (quod sæpissime, & quacunque data occasione fiebat) toties se illius occidendi, aut aliquod aliud malum illi inferendi voluntatem renovasse. Ita

idem Gammachæus sup. Toletus lib. 3. cap. 7. & alii communiter.

4. Requiritur 3. ut pœnitens circunstantias, quæ speciem peccati mutant, in confessione declaret, id est quæ novam aliquam deformitatem specie differentem in actum peccati inducunt, seu quæ specialem oppositionem habent cum aliquibus aliis præceptis, aut virtutibus, v. g. si quis furatus fuerit rem sacram, seu sacris usibus consecratam, ut calicem, si fornicatus fuerit in loco sacro, si hominem occiderit, qui esset Sacerdos. In primo enim casu circumstantia rei furto ablatæ, in secundo circunstantia loci, in tertio circunstantia personæ inducit novam deformitatem specie differentem in ipsam actionem furti, fornicationis, & homicidii. Proinde in confessione declaranda est.

Sufficit autem (quod recte monet Gammachæus loco cit.) ad evitandas perplexitates, in quas personæ laicæ aliquando incurrunt, nescientes, quænam sint illæ circunstantiæ, quæ speciem peccati mutant, aut quomodo explicari debeant, sufficit, inquam, ut ejusmodi personæ ad Pœnitentiæ Sacramentum accedentes nihil omnino reticere velint eorum, quæ ab ipsis debent declarari, utque circunstantias notabiliores, quæ per se statim memoriæ occurrunt, & seipsas satis evidenter produnt, in confessione explicent, paratæ sincere, ac humiliter respondere ad interrogata Sacerdotis, cujus est dignoscere circunstantias illas necessario explicandas, de iisque pœnitentem interrogare, ut postea suo loco dicetur.

Quæres, an pœnitens teneatur etiam declarare in confessione circunstantias illas, quæ speciem peccati non mutant, sed illud notabiliter aggravant. Duæ sunt super hac re oppositæ inter se Theologorum sententiæ. Alii siquidem, quamvis existiment, optimum, & saluberrimum esse circunstantias illas notabiliter aggravantes in confessione declarare, negant tamen, pœnitentes ad id obligari. Ita Paludanus, Adrianus, Navarrus, Medina, Pesantius, Reginaldus, Vasquez, & plures alii apud Bonacinam disp. 5. qu. 4. sect. 4. punct. 3. qui etiam pro illa citat Sanct. Doctorem. Alii e contra asserunt, circunstantias notabiliter aggravantes esse in confessione declarandas. Ita Marsilius, Major, Sotus, Canus, Suarez, & alii, quos refert, & sequitur Gammachæus cap. 10. de Pœnit. §. 1. cui sententiæ subscribit etiam Isambert. disp. 18. art. 1. eamque pluribus rationibus propugnat. Quamvis autem priorem sententiam maxime probabilem existimemus, tum propter auctoritatem Doctorum, qui eam tuentur, tum etiam quia Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. circunstantias tantummodo speciem peccati mutantes in confessione declarandas esse dicit, nulla facta mentione circunstantiarum illarum, quæ tantummodo notabiliter aggravant, quod tamen dicere non omisisset, si necessarium esse judicasset: contrariam nihilominus sententiam adhuc probabiliorem in praxi, quantum fieri

fieri poterit, tenendam arbitramur, pœnitentesque circunstantias notabiliter aggravantes patefacere debere, & a Confessariis, prout spiritus, & prudentia suggerit, de iisdem interrogandos esse, ob eam præsertim rationem, quod sine illarum circunstantiarum notitia vix possint Confessarii dignoscere, quales, & quantas satisfactiones, aut restitutiones injungere; quæ remedia proponere, aut consilia pœnitentibus suggerere debeant. Aliter enim haud dubie se gerere debet Confessarius cum eo, qui brevi, aut qui diuturno tempore in peccati alicujus cœno hæsit, aliter cum illo, qui ex gravi, & inveterato odio, aut qui ex repentina ira, deliberata tamen, malum aliquod intulit, aut optavit, cum hæ nihilominus circunstantiæ peccati speciem non mutent, sed tantummodo aggravent.

SECTIO XV.

An integritas confessionis ita necessaria sit, ut in nullo casu licitum sit peccatum aliquod mortale in confessione reticere.

1. DUo sunt præcipui casus, in quibus pœnitens licite, & fructuose absolutionem Sacramentalem recipere potest, quamvis peccata omnia mortalia, quæ a se commissa recordatur, non declaraverit: quod tamen non obstat, quin cessante ratione, ob quam illa reticuit, eadem postea in confessione declarare teneatur.

Primus casus est, quando reperitur impossibilitas quædam moralis ex parte ipsius pœnitentis ad declaranda omnia mortalia a se commissa, v. g. quando ægrotus inter confitendum vocis usum repente amittit, nec potest reliqua peccata explicare, vel etiam nullum peccatum declarare potest. Tunc enim, dummodo contriti animi signa quædam exteriora Confessarius in ipso deprehendat, potest, imo debet illum sacramentaliter absolvere. Ita Medina, Sylvester, Navarrus, Bellarminus, Suar. & alii apud Bonacinam disp. 5. q. 5. de Pœnit. punct. 1. Imo, quamvis ante Confessarii adventum non modo vocis, sed etiam rationis, ac judicii usum amiserit; si tamen Sacramentalem absolutionem verbis, aut signis petiverit, declaraveritque, se velle confiteri, idque fide digno testimonio ipsi Confessario innotescat, tunc etiam potest, imo debet illum sacramentaliter absolvere, saltem sub conditione. Ita Suarez, & alii plures apud eundem Bonacinam supra, quibus subscripsit Gammachæus cap. 20. §. 1. & Isambertus disp. 18. art. 10. Et probatur ex Concilio Arausicano I. can. 12. ubi dicitur, quod *Subito obmutescens, prout statutum est, baptizari, aut Pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium verbis aliorum habeatur, aut præsentis in suo nutu*: & ex Concilio Carthag. V. cap. 76. ubi habetur: *Ei, qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit; dent testimoniũ,*

qui

qui eum audierunt, sicque accipiat pœnitentiam, & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur Eucharistia ori ejus. Item ex S. Leone Papa Ep. 91. ad Theodorum Forojuliensem Epis. ubi de infirmis loquens, *Si*, inquit, *aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis Fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & Pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.* Accedit etiam praxis totius Ecclesiæ, quam discimus ex Rituali Romano, titul. de ordine administrandi Sacramentum Eucharistiæ, in quo dicitur, *infirmum absolvendum esse, si confitendi desiderium vel per alios ostendit.*

2. Quod si moribundus vi morbi de repente ita oppressus fuerit, ut nec Confessarium postulaverit, nec ullum confitendi desiderium verbis, aut nutibus, aliisve similibus signis, præsente, vel absente Confessario, ostenderit, tunc sacramentaliter absolvi non poterit; cum nulla sit ibi materia idonea, & sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ, id est nulla contritio, aut confessio, quæ signo aliquo exteriori se prodat, cum tamen hæ sint partes essentiales ipsius Sacramenti, sine quibus forma illius applicari nec licite, nec valide potest. Ita Suarez disp. 23. sect. 1. & plurimi alii Theologi, quos citat, & sequitur Layman. tract. 6. de Pœnit. c. 8. quibus subscribit Isam. disp. 17. a 9. Certe Concilia, & Patres non aliter permittunt Pœnitentiæ Sacramentum moribundo obmutescenti, aut phrenetico ministrari, nisi Sacerdoti constet, illum antea Sacramentum ipsum expetiisse, desideriumque suum verbis, aut nutibus, aliisve signis declarasse.

3. Secundus casus est, quando ex confessionis integritate sequeretur aliquod grave damnum spirituale, vel corporale alterius, aut ipsiusmet confitentis, v. g. quando urgente prælio, aut instante naufragio, plurimorum militum, aut navigantium confessio excipienda est. Tunc enim, ne dum unius confessio integra excipitur, aliorum, quibus confitendi spatium deerit, salus periclitetur, sufficit, ut quisque peccatum aliquod mortale a se commissum fateatur; imo, si tempus ad id non suppetat, & jam naufragium immineat, aut prælium ineatur, satis erit tunc, ut omnes navigantes, aut milites signis aliquibus exterioribus se peccasse generatim, & de peccatis vere dolere demonstrent, quæ quidem signa visu, vel auditu a Confessario percipiantur, sicque absolvantur. Ita Isambertus disp. 17. art. 8.

Item quando infirmus laborat morbo contagioso; si non possit Confessarius abque manifesto vitæ periculo in peccatis illius singillatim audiendis diutius immorari, tunc aliquibus tantum peccatis in Confessione auditis, si alias sufficienter dispositus sit, illum sacramentaliter absolvere poterit. Ita Vasquez, Koninch, & alii apud Bonacinam loco proxime citato. In hoc tamen casu debet Confessarius admonere infirmum, confessionem illius eo modo factam esse

esse validam, & sufficientem, & quantum fieri poterit, animo pacatum, & tranquillum dimittere.

4. Simili modo, si quis v.g. patrem, aut matrem Confessarii sui occidisset, aut domui ejus ignem subjecisset, nec alteri tunc confiteri posset, non teneretur incendium illud, & homicidium ei in Confessione declarare, quia hoc esset exponere Confessarium ipsum peccato vindictæ, & odii, forte etiam periculo revelandæ confessionis, & multa hinc mala moraliter sequi possent, cum Sacerdotes quoque sint homines circundati infirmitate, & inter illos alii aliis infirmiores. Quare tunc posset licite pœnitens peccatum illud in confessione reticere. Ita Navarrus c.7. num. 3. Gammachæus cap. 20. §. 1. & alii.

Quæres, an similiter liceat pœnitenti reticere in confessione peccatum aliquod mortale, aut illius circunstantiam, quod, vel quam declarare non potest, nisi cum manifestatione complicis. Navarrus supra numero 1. & sequentibus affirmat, id non modo licitum esse, sed etiam pœnitentem tunc ad peccati illius, aut circunstantiæ reticentiam obligari, illique subscripsit Gammachæus supra. Quorum sententia quamvis sit probabilis, & tuta, verior tamen, & tutior videtur sententia negans, quæ est S. Doctoris in 4. dist. 16. quæst. 3. a. 2. q. 5. ad 5. quem sequuntur Bonaventura, Alexander, Paludanus, Major, Almaidus, & plures alii apud Suarez disp. 34. de Pœnit. sect. 1. cum quibus proinde dicimus, pœnitentem in casu supra declarato debere in primis Confessarium quærere, cui persona, cum qua peccavit, non sit nota, vel, si commode, & absque salutis periculo fieri possit, confessionem in aliud tempus differre; quod si neutrum possit, teneri tunc peccatum suum tale, quale commissum fuit, declarare. Id manifeste innuit S. Bernardus opuscula de formula honestæ vitę versus finem, ubi hoc documentum tradit: *De nullo prorsus sinistre loquaris, quantūcumque sit verū, vel manifestum, nisi in confessione, & hoc, ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.*

5. Ex qua S. Bernardi, & aliorum, qui supra citati sunt, doctrina colligitur 1. quod obligatio integre confitendi a Christo Domino cuique pęnitenti imposita, est ratio sufficiens ad peccatū alterius sub sigillo hujus Sacramēti Confessario manifestandum; ac proinde quod illa manifestatio sic facta charitati proximi non adversatur, sicut eidem charitati minime repugnat, si extra confessionem peccatum alterius occultum ex aliqua justa, & rationabili causa manifestetur.

Colligitur 2. extra hunc casum necessitatis nullatenus licere alterius peccatum in confessione declarare, ideoque, quando Confessarius prævidet, pœnitentem sine ulla causa rationabili velle nominare personas peccati sui complices, vel a quibus ad peccandum inductus est, debere eum id prohibere, ipsumque admonere, ne detractionis peccatum incurrat, ut recte observat Navarrus supra num. 2.

S E.

SECTIO XVI.

Quis sit legitimus Sacramenti Pœnitentiæ minister.

1. Certum est, solum Sacerdotem esse legitimum Sacramenti Pœnitentiæ ministrum. Solis siquidem Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus dictum est a Christo Domino S. Jo. 20. *Quorũ remiseritis peccata, remittũtur eis*, ut unanimiter verba illa Christi Domini intellexerunt SS. Patres, ac nominatim S. Ambr. l. 1. de Pœn. c. 2. S. Aug. l. 2. cont. Epist. Parmen. c. 12. & S. Leo Ep. 91. ad Theodorum. Eadem quoque veritas tanquam Fide credenda definita est in Conc. Constantien. in Bulla Martini V. in Concil. Florent. in dec. Eug. & in Conc. Trid. sess. 14. cap. 6. & can. 10.

Quod quamvis verum sit, non tamen quilibet Sacerdos quoslibet pœnitentes valide absolvere potest, sed præter potestatem illam, quã ex ordinatione accepit, requiritur in eo præterea potestas jurisdictionis, id. quamvis Sacerdos vi ordinationis suæ accipiat immediate a Christo Domino potestatem remittendi peccata, non tamen accipit materiam, cui potestatem illam applicet, nec habet vi ordinationis suæ ullos subditos, in quos judicialem illam potestatem valide exerceat. Hoc patet ex Conc. Trid. sess. 14. c. 7. ubi expresse dicit, *nullius momenti absolutionẽ eam esse debere, quã Sacerdos in eum profert, in quem ordinariã, aut subdelegatam non habet jurisdictionem*. Idem antea fuerat quoque declaratum in Conc. Florent. in decr. Eug. ubi dicitur, *Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ esse Sacerdotem habentem auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione.*

2. Porro in Sacerdotibus, qui Parochiale Beneficium non obtinent, præter jurisdictionem, & potestatem, quæ ipsis demandari potest, requiritur quoque approbatio Episcopi, id est testimonium juridicum, de illorum capacitate, & sufficientia ad excipiendas Fidelium confessiones, eosque sacramentaliter absolvendos. Ita speciatim constitutum habetur in Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. de reform. ubi *decernit sancta Synodus, nullum etiã Regularem posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneũ reputari, nisi aut parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, approbationem, quæ gratis detur, obtineat*. Unde sequitur, Sacerdotem illum, qui neque Parochiale Beneficium obtinet, neque ab Episcopo approbatus est, idoneum non esse ad Sacr. Pœnit. ministrandum, ac proinde neque licite, neque valide absolutionem Sacramentalem conferre posse, ut fusius probat Isam. disp. 21. de Pœnit. a. 2. ubi etiam refert ex observationibus Jo. Galmart. ad citatum caput 15. sess. 23. Congregationem Cardinalium declarasse: *Absolutionem a Sacerdote datam vigore facultatis generaliter a Summo Pontifice, vel specialiter a Parocho concessã, si ab Episco-*

Episcopis Sacerdos examinatus, & approbatus non fuerit, censeri nullam, etiam quoad eos, qui tali Sacerdoti bona fide confessi sunt.

3. Ex hoc autē Concilii decreto recte infertur, Sacerdotes quoscūque, Sæculares, aut Regulares, quamvis doctissimos, & in Theologia versatissimos, imo & laurea Doctoratus insignitos, si Parochiale beneficiū non obtineāt, indigere Episcopi approbatione, ut valide confessiones excipere, & pœnitētes absolvere possit: & e cōtra Superiores Religiosorū posse dare suis licentiā eligendi sibi in Confessarium aliquem e Sacerdotibus per Episcopū nō approbatis, quia Conciliū approbationē illā ad confessiones tantū sæculariū exigit Ita Isamb. sup. a. 2. qui etiā in articulis sequentibus quædā observat scitu dignissima, & ad praxim maxime necessaria. quæ hic non omittenda duximus.

Primum est, juxta probabiliorē, & magis in praxi tutam Doctorum sententiā, ab illo Episcopo accipiendam esse approbationē, in cujus Diœcesi Sacerdos Pœnitentiæ Sacramentū est administraturus. Ratio est, quia Sacerdos approbationem ab eo Episcopo accipere debet, qui ab illo Sacramēti, quod administratur, ratione exigere potest, & cujus præsertim interest, ut debite, & eo, quo decet, modo administretur.

4. Secundum est, approbationem illam posse pro arbitrio Episcopi esse vel universalem, & illimitatam, vel specialem, & determinatam ad tempus aliquod certum, vel ad certa quædam loca: ex. gr. posse Episcopum Sacerdotem aliquem approbare ad confessiones audiendas tantummodo per annum, ita ut anno illo elapso, nec licite, nec valide, nisi nova approbatione obtenta, hujus Sacramenti administrationi incumbere possit, quod in multis Diœcesibus, ac etiam Romæ in usu esse comperitur, ad segnitiem quorundam Confessariorum excutiendam, eorumque sedulitatem in conservanda, & excolenda scientia ipsis necessaria excitandam: similiter posse Episcopum approbare Sacerdotem ea conditione, ut in certo tantum loco, v. gr. in aliqua Parochia rurali confessiones excipere possit, idque non sine ratione, cum non raro contingat, Sacerdotem aliquem idoneum ab Episcopo judicari, qui in pagis Pœnitentiam administret, non verò in urbibus, ubi ut plurimum reperiuntur personæ variis, & difficilibus negotiis implicatæ, pro quibus in hoc Sacramento dirigendis doctrina uberior, & major ingenii vis requiritur.

Tertium est, approbationem ab Episcopo concessam posse ab eodem revocari, e. g. si Confessarius ex negligentia evadat imperitior, aut fiat moribus deterior, ita ut expediat pro bono Ecclesiæ illum a tali officio amovere. Imo existimat idem Isambertus, posse Episcopum sine ulla causa approbationem, quamvis docto, & pio viro concessam, prout libuerit, revocare. Quamvis enim id contra rationem faciendo peccet, ejus tamen revocatio vim suam, & robur obtinet, ita ut Sacerdos sic revocatus nec licite, nec valide possit Pœnitentiæ Sacramentum ministrare.

Quar-

Quartum est, quamvis ex supra relato Cōcilii decreto approbatio requiratur ad audiendas confessiones sæcularium, etiam Sacerdotū, nihilominus in plerisq; Galliæ locis solere Sacerdotes, etiam minime approbatos, aliorum Sacerdotum confessiones excipere; quod quidē valide, ac licite ab ipsis fieri docet, & probat Isambertus supra, nō vi alicujus consuetudinis, cui expresse derogat Concilium, sed ex tacito consensu Episcoporum, qui cum probe noverint, Sacerdotes invicem sibi hoc Sacramentum, nulla obtenta approbatione, ministrare, nec tamen id prohibeant, censentur tacite illos quoad hoc approbare.

5. Quintum est, quemcunque Sacerdotem, quamvis nec approbatus sit, nec ullam obtineat jurisdictionem, imo etiamsi excommunicatus, suspensus, degradatus, aut hæreticus sit, posse tamen quemlibet pœnitentem a quibusvis peccatis, & censuris in articulo mortis absolvere; quod expresse declaravit Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. Per articulum vero mortis etiam illius probabile periculum communiter Theologi intelligunt, quale est eorum, qui prœlium, aut periculosam navigationem proxime sunt inituri, ut videre est apud Suarez tom. 3. disp. 69. sect. 3. & tom. 4. disp. 26. sect. 4. & 5. disp. 30. sect. 3. & patet ex c. *Eos* de sent. excom. Hæc est autem in tali casu differentia observanda, quod Sacerdos ille tunc a quibusvis peccatis etiam reservatis directe absolvat, a censuris vero nonnisi sub ea conditione, ut elapso mortis periculo, pœnitens se coram Superiore sistat, id, quod sibi ab illo injungetur, præstaturus, ut citato cap. declaratur.

Potest etiam Sacerdos non approbatus a peccatis mortalibus alias confessis, & remissis, & a quibusvis venialibus quēlibet sacramentaliter absolvere, dummodo tamen nō sit excommunicatus, aut alio impedimento canonico notorie obstrictus, ut docent Vivaldus, Pesantius, Suarez, Henriquez, Reginaldus, & alii apud Bonacinam dis. 5. q. 7. de Sacram. Pœnit. pun. 1. sive id possit ex vi ordinationis suæ, sive ex consuetudine, vel tacita Ecclesiæ concessione, sive ex eo, quod Pœnitens quoad ea peccata se ei subjicit, quæ clavibus Ecclesiæ non tenetur subjicere; quæ apud citatos auctores fusius explicantur.

Addimus e Toleto l. 3. c. 13. posse quoque Episcopum, vel Curatum, etiam in aliena Diœcesi, vel Parochia, suos subditos confitentes audire, & absolvere; tamen sine scandalo, aut aliorum offensione fieri debet.

SECTIO XVII.

De casuum reservatione.

1. Certū est, & in Conc. Trid. sess. 14. c. 7 expresse definitū: *Pontifices Maximos, pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita, causas aliquas criminum graviores suo peculiari judicio reservare potuisse: neque dubitandum est, quando omnia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt,*

sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificatione tamen, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos Sacerdotes inferiores auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est Divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Ex qua Concilii definitione sequitur, Sacerdotes inferiores etiam approbatos nec licite, nec valide posse a casibus illis reservatis sine speciali facultate absolvere, præterquam in articulo mortis, ut præcedenti sectione dictum est.

Quæres, quinam casus Summo Pontifici, quinam item Episcopis sint reservati. Respondetur primo nec venialia peccata, nec mortalia pure interna, sed sola peccata mortalia externo opere consummata reservari solere, ut docent Major, Medina, Henriquez, Suarez, & plures alii apud Laymannum tract. 6. de Sacram. Pœniten. cap. 12.

Respondetur 2. non convenire inter Doctores, quinam casus Episcopis ex jure sint reservati. Quidam enim existimant, nullos casus eis esse jure reservatos: alii quodcunque peccatum enorme publicum scandalosum, ob quod olim publica pœnitentia imposita fuisset, censent Episcopis reservatum esse, ut adulterium notorium, homicidium, &c. alii aliter sentiunt. Tutissimum in re dubia est, ut quilibet Confessarius attendat consuetudinem, & statuta Synodalia, & Episcopalia, ac reservationes speciales Diœcesis illius, in qua versatur, & administrandæ Pœnitentiæ incumbit, iisque in praxi se conformet, ut recte monet Laymannus supra.

2. Quod vero spectat ad Summum Pontificem, Navarrus c. 27. nu. 261. Suarez disp. 29. de Pœnit. sect. 2. Tolet. l. 3. c. 14. & communiter alii docent, nullum ab illo peccatum reservari consuevisse, nisi ratione excommunicationis, seu censuræ adjunctæ, ita ut si Papa, ejusve Pœnitentiarius a censura illa absolvat, quilibet Cõfessarius postea possit a peccato illo in conscientiæ foro absolvere. Imo, ut observat Henriquez, & alii apud eundem Layman. supra, si quis committat peccatũ aliquod Papæ reservatum, sed ex ignorantia invincibili nesciat, censuram tali peccato esse annexam, sicut ignorantia illa juris eum ab excommunicatione incurrenda excusat, ut infra suo loco dicetur, sic etiam facit, ut ejus peccatum minime reservatum censeatur.

Quod si rursus quæras, quinam sint casus illi ob annexam censuram Summo Pontifici reservati, respondetur, plurimos, & varios esse, qui in toto jure Canonico passim legi possunt, & a Toleto fuse explicantur lib. 1. cap. 18. & sequentibus. In Rituali Parisiensi adnotantur præsertim sequentes, qui, ut ibidem dicitur, frequentius in his Regionibus possunt accidere.

1. Exustio Templorum, nec non & domorum profanarum procurata, dum incendiarius est publice denunciatus; quod etiam de effractione, & spoliatione ædium sacrarum similiter intelligi debet.

2. Si-

2. Simonia realis in Ordinibus, & Beneficiis, & confidentialis, dummodo sit publica.

3. Occisio, seu mutilatio membrorum, & quæcunque atrocior percussio Religiosi, vel Clerici in sacris constituti.

4. Percussio Episcopi, seu alterius Prælati.

5. Delatio armorum ad partes Infidelium.

6. Falsificatio Bullarum, seu Litterarum Summi Pontificis.

7. Invasio, deprædatio, occupatio, aut devastatio terrarum Romanæ Ecclesiæ.

8. Violatio interdicti ab eadem sancta Sede impositi.

Quibus additur crimen hæresis, a quo tamen in plerisque Galliarum, & aliarum Provinciarum locis solent Episcopi, sive ex consuetudine immemorabili; sive ex tacita, vel expressa licentia Summi Pontificis absolvere.

3. Observat autem Laymann. tr. 5. p. 2. de excomm. c. 6. reservationem illam a Summis Pontificibus factam non adeo strictam esse, quin ob plures causas relaxetur, & ad Episcopalem jurisdictionem devolvatur, quæ causæ in jure Canonico exprimuntur; ut videre est in cap. *De cætero*, & cap. *Ea noscitur*, de sent. excomm. Prima causa est ætatis infirmitas, si nimirum impuberes in casum aliquem Papæ reservatum incidant, ii etiam post pubertatem ab Episcopo absolvi possunt, ut habetur c. *Pueris*, de sentent. excommun.

Secunda est sexus infirmitas. Mulieres enim in excommunicationem Papalem lapsæ ab Episcopo absolvi possunt, ut habetur c. *Mulieres*, & cap. *Quamvis*, eodem titulo.

Tertia denique causa est quodvis legitimum impedimentum Sedem Apostolicam adeundi: qua ratione excusantur pauperes, senes, valetudinarii, item ii qui sui juris non sunt, aut qui ob curam administrandi familiam, gerendi officium publicum, vel ob periculum vitæ, infamiæ, scandali, aut ob aliam similẽ causam impediuntur, ne Romam ad absolutionem recipiendam proficisci possint, ut toto illo titulo variis capitibus explicatur. Unde Laymann. concludit, quod juxta regulam communiter receptam, *Casus Papalis superveniente impedimento adeundi Papam, fit Episcopalis.*

SECTIO XVIII.

* *Quis possit a casibus reservatis absolvere.*

Certum est 1. omnem Superiorem in foro conscientiæ posse absolvere a casibus illis, qui ab Inferiore reservati sunt. Ratio est, quia tota potestas Inferioris continetur eminenter in Superiore, ratione subordinationis potestatis inferioris ad superiorem.

Diximus *Superiorem in foro conscientiæ*, ad distinctionem aliorum, qui tantummodo sunt Superiores in foro exteriori, quales sunt v.g.

Archiepiscopi respectu Episcoporum suæ Provinciæ. Illi enim, cum non sint Superiores Episcoporum in foro conscientiæ, a casibus, quos ipsi Episcopi sibi reservant, eorum subditos non possunt absolvere. Aliter tamen loquendum est de Romano Pontifice. Cum enim sit Summus Ecclesiæ Pastor, & ipsius Christi Domini in universo orbe Vicarius, habeatque supremam potestatem in foro tam interno, quàm externo respectu quorumcumque Fidelium, ac etiam ipsorum Episcoporum (ut infra suo loco dicetur) hinc sequitur, illum posse quoscunque Fideles a casibus quibuscunque, & a quocunque reservatis valide in utroque foro absolvere.

Certum est 2. nullum Sacerdotem inferiorem posse absolvere a casibus ab Ordinario suo reservatis, nisi ab ipso Ordinario, vel ab ejus Superiore in foro conscientiæ potestatem acceperit. Ratio est, quia per ejusmodi reservationem Superior Ordinarius censetur veluti revocare potestatem, & jurisdictionem inferioribus Sacerdotibus collatam respectu casuum illorum reservatorum; *Fuit autem semper in Ecclesia persuasum* (ut habetur in Conc.Trid.sess. 14.c.7.) *& verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem illam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

Certũ est 3. omnes, & quoscunque Sacerdotes etiam excommunicatos, suspensos, interdictos, imo & degradatos, posse valide,& licite omnes, & quoscumque Fideles a quibuscumq; non modo casibus reservatis, sed etiam censuris tam a jure, quam ab homine latis, in articulo mortis absolvere. Ratio est, quia voluit Ecclesia, in eo cessare omnem reservationem, ut declaravit Conc. Trid.sess.15. cap.7. his verbis: *Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis*, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuslibet casibus, & censuris absolvere possunt.

Cum hæc tria certa sint, quæres, an præter articulum mortis possit aliquando Inferior a casibus reservatis absolvere, etsi nullam a Superiore ad id potestatẽ acceperit. Respõdetur, plures esse causas in jure expressas, quibus a casibus,& censuris Summo Põtifici reservatis possunt Episcopi absolvere, de quibus in Sect. præc. dictũ est, ut sunt ætatis infirmitas, cap. *de cætero*,& cap. *ea noscitur*, de sent. excom. sexus imbecillitas, c *Mulieres*, eod. tit. gravis aliqua necessitas, c. *quamvis*, eod. tit. & aliæ similes causæ, quæ fusius expositæ reperiuntur apud Layman. tr. de censur. p.2. c.9. n.3. Unde Theologi communiter concludunt a pari, Sacerdotes etiã inferiores occurrente aliqua gravi,& urgente necessitate, quæ juncta sit cum morali aliqua impotentia adeundi Episcopũ, vel ejus Pœnitentiariũ, posse a casibus Episcopo reservatis absolvere pœnitentẽ, maxime imposito onere adeũdi postea ipsum Episcopum, quando fieri poterit,& parendi ejus mandatis. Ex-

gr. si urgeat necessitas suscipiendi aliquod Sacramentum, puta Matrimonium, vel sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, a quo quis sine gravi suspicione, aut scandalo se retrahere non possit, & aliunde longe distet Episcopus, nec nisi cum summa difficultate, aut forte cum gravi periculo, adiri possit. Ita Ricard. Navar. Sotus, Philiarchus, Suarez, & alii apud eundem Laymann. sup.

SECTIO XIX.

Quænam conditiones requirantur in Confessario, ut debite ministerio suo fungatur.

1. EX iis, quæ præcedentibus Sectionibus dicta sunt, constat, tres præcipuas conditiones in Sacramenti hujus Ministro requiri, ad hoc ut valide illud administrare possit, nimirum ut sit Sacerdos, ut sit ab Episcopo approbatus, utque jurisdictionem ordinariam, vel delegatam nulla reservatione, censura, aut quavis alia ratione impeditam in foro interiori habeat. Ut autem non modo valide, sed etiam licite, ac debite suo fungatur officio, tres adhuc conditiones ipsi necessariæ sunt, probitas scilicet, doctrina, & prudentia. De duabus primis hac Sectione breviter aliquid dicemus, tertiam vero in proxime sequenti explicabimus.

Atque in primis, quod spectat ad probitatem, certū est, sancta non nisi sancte esse tractanda, nec Sacramēta in statu peccati mortalis administrari posse, quin novum mortale peccatum incurratur, ut supra cap. 1. a nobis dictum est, & habetur cap. *illud*. dist. 95. & c. *per Isaiam*, 1. q. 1. Proinde Cōfessario ad Pœnitentiæ tribunal accedenti attendēdum est, nū alicujus lethalis noxæ sibi sit conscius, &, si forte ita esse deprehendat, vel maculam illā humili Confessione, vel, si commode non possit, urgeatque aliqua necessitas, saltem vera, & perfecta cōtritione debet eluere, imo, quamvis nihil sibi conscius sit, non ideo tāmen se justificatum credat, sed cōsultissimū illi semper erit huic Divinæ fūctioni aliquē cordis cōtriti, & humiliati affectū præmittere; nec nisi suppliciter invocato Numine, in illo sacro Tribunali sedere.

2. Quod spectat ad doctrinā, cum in hoc Sacramento Confessarius Judicis, ac Medici personam sustineat, certum est, ut duplici illo officio debite perfungatur, scientiam aliquam in eo requiri, proindeq; Sacerdotem illū graviter peccare, qui huic ministerio sine sufficienti doctrina se ingerit, quantumvis alias fuerit ab Episcopo approbatus, ut ex communi Theologorum consensu docet Suarez. dis. 8. sect. 2.

Ut igitur Confessarius suo muneri debite satisfacere possit, debet probe tenere saltem ea, quæ sequuntur, nimirum quæ sit materia necessaria, aut sufficiens, & quæ forma hujus Sacramenti, quæ illius partes essentiales, & integrantes, qualis contritio requiratur in pœnitente ad fructum hujus Sacramenti percipiendum, quæ sint condi-

tiones in cõfessione servandæ, quæ peccata saltem ex genere suo sint mortalia, aut venialia, quæ circunstantiæ peccati speciem mutent, aut notabiliter aggravent, quæ peccata secum afferant aliquam restituendi obligationem, aut censuram aliquam annexam habeant, quæ quidem omnia, & alia similia tam ex ante dictis, quam ex postea dicendis in hac posteriori hujus Operis parte, cuivis perspecta esse poterunt; item quæ peccata Summo Pontifici, aut Episcopo sint reservata, quæ quivis discere poterit ex Rituali Romano, sive cujusque Diœcesis proprio. In casibus vero difficilioribus circa censuras, obligationem restitutionis, &c. debet saltem scire dubitare, ut absolutionem differat, quoadusque doctiores consuluerit. Monet autem recte Bonacina disp. 5. q. 7. de pœn. p. 4. specialem notitiam irregularitatum, & aliarum obligationum, quæ Clericos, & Beneficiatos spectant, requiri in eo Confessario, qui ipsorum Clericorum, & Beneficiatorum confessionibus excipiendis incumbit.

3. Quæret aliquis, an Confessarius teneatur, audito quolibet peccato, apud se determinare, an sit veniale, vel mortale. Respondetur, nõ teneri, sed satis esse, ut intelligat, peccatũ esse commissum, quod ex genere suo est mortale, vel veniale, quãvis in particulari dijudicare nõ possit certo, an sit mortale, vel veniale. Ita Suarez, Navarrus, & alii apud Bonac. supra. Quando tamen Confessarius dubitat, an pœnitens peccaverit mortaliter, debet illũ de peccato in futurũ cavendo monere, & ad id firmiter proponendũ inducere, aptaq; remedia ipsi suggerere; quia in ejusmodi dubiis tutior pars est eligenda.

SECTIO XX.

Quæ sit prudentia in Confessario requisita.

1. Certum est, ipsamet experientia teste, Confessarium præ cæteris virtutibus prudentia præsertim indigere ad omnes ministerii sui partes debite, ac fructuose obeundas, ita ut quantavis doctrina, & pietate præditus sit, si tamen hæc virtus in eo desideretur, in gravissimos, & perniciosissimos defectus aliquando incidere possit: quod libro integro super hac materia edito fuse demonstravit Valerius Reginaldus.

Hæc autẽ prudentia primùm requiritur in interrogando pœnitente, quoties Confessarius videt, eũ ex ignorantia, aut oblivione, aut incõsideratione, aut pudore, aut alia quavis de causa aliquid culpabiliter omittere, quod ad integritatem Cõfessionis requiritur. Quamvis enim per se loquendo Confessarii officium nõ sit interrogare, sed audire confitentem, quando tamen pœnitens in confessione deficit, tenetur ipsum juvare, ne, si absolutioné conferat indisposito, simul cum ipso sacrilegii reatum incurrat. Ita Navarr. cap. 5. nu. 2. & Reginaldus cap. 2. Unde etiam c. *Qui vult confiteri*, de pœnit. dist. 6. dicitur,

quod

quod *Diligens inquisitor sapienter interroget a peccatore, quod forsitan ignoret, vel verecundia velit occultari.*

2. Interrogatio vero illa debet esse prudens, ita ut a pœnitente exquirat ea, quæ habita ratione status, conditionis, ætatis, &c. probabiliter conjicit, eũ commisisse, eaque ratione se in illis interrogationibus gerat, ut neque vano aliquo respectu, aut timore aliquid necessarium omittat, neq; etiam inquirendo pœnitentẽ doceat ea peccata, quæ nescit, & quæ nescire illi maxime expedit, quod in juniorum confessionibus præsertim debet attendere: super qua re observari poterit monitum Cani in relect. de pœn. par. 5. ubi sic loquitur: *Nolo ego, Confessarios importunos esse, & intolerabile negotiũ facessere pœnitentibus, quemadmodum ne eos quidem probo, qui imprudenter interrogando pœnitentibus scandalum injiciunt, adeoque eos peccare docent. Qua in re confidenter etiam reprobo summas istas confessionum interrogationibus plenas, quæ non solum idiomate vulgari eduntur*, &c. Legi potest Reginal. toto c. 3. lib. sup. cit. de prudentia Confessarii.

Requiritur etiam Confessarii prudentia in juvando pœnitente, ad hoc ut veram, & sufficientem de peccatis commissis contritionem concipiat, firmumque propositum de iisdem in futurum evitandis, & in expendendo illo pœnitentis proposito, an ex vera cordis conversione procedat.

Item in erudiendo pœnitente, quem mysteriorum Fidei, & aliarum rerum ad salutem necessariarum ignarum esse deprehendat, eoque in eliciendis Fidei actibus juvando.

Eadem prudentia Confessarii similiter requiritur in tranquillando pœnitentis animo, si forte scrupulis agitatum esse perspiciat, eoq; per spem, & confidentiam in Deum erigendo, si timore nimio, aut aliqua desperationis tentatione depressum esse cognoscat, vel e contra.

Necessaria est quoque eadem prudentia in remediis, consiliisque aptis, & convenientibus ipsi pœnitenti suggerendis, ut peccata devitare, vitamque nomine Christiano dignam ducere queat, nec non in salutaribus pœnitentiis, & satisfactionibus pro qualitate delictorum injungendis, etiam restitutionibus tum honoris, & famæ, tum bonorum alienorum, si casus aliquis id exigat, præcipiendis.

Item in expendendis dispositionibus ipsius pœnitentis, num ad absolutionem recipiendam sufficientes sint, num etiam expediat diebus aliquot absolutionem, an omnino denegare.

3. Circa has autẽ dispositiones expendendas, nõ levis aliquãdo difficultas occurrit, quomodo se gerere debeat Cõfessarius erga eos, qui sæpius in eadem peccata relabuntur. Atq; in primis certum est, denegandam esse absolutionẽ iis, qui statum peccati mortalis relinquere nolunt; quales sunt, qui nolunt inimicis reconciliari, restituere alienum, cũ possint, &c. Similiter etiam iis, qui nolunt occasiones proximas peccandi relinquere, cum possint, & debeant. Tales siquidem

non censentur veram contritionem de peccatis commissis, aut verum propositum de iisdem in futurum non committendis habere.

Quod vero spectat ad eos, qui ex mera fragilitate in eadē peccata sæpe relabuntur, certum est etiam præcise loquendo, absolutionē illis dari posse toties, quoties in ipsa peccata relabuntur, dummodo cū vera de illis contritione, & firmo non amplius peccandi proposito ad pœnitentiam accedant. Declaratur enim in Conc. Trid. sess. 14. cap. 2. *Pœnitentes per Sacerdotum sententiam non semel, sed toties quoties ad Pœnitentiæ Tribunal confugerint, posse ab admissis peccatis liberari*. Unde S. Hieronym. Ep. 46. ad Rusticum: *Non solum*, inquit, *septies, sed septuagies septies delinquenti, si convertatur ad Pœnitentiam, peccata condonantur*. Et Navarrus in Manuali c. 3. loquens de personis illis, quæ sunt in proxima peccandi occasione, quam tamen ob aliquam causam rationabilem relinquere non possunt, quam quidem causam, utrum talis re vera sit, serio expendere debet Confessarius, dicit, personas illas posse, si reciderint, absolvi non tantum semel, bis, vel septies, sed etiā septuagies septies, dūmodo verā in illis contritionem, & firmum non amplius peccandi propositum Confessarius deprehendat, quia, ut ibidem observat, frequens peccati recidiva non est semper argumentum necessarium, quo judicari possit, pœnitentiam, seu contritionem non esse veram, sed est tantummodo signum maximæ fragilitatis, & inconstantiæ, neque ad recipiendam absolutionem requiritur, ut pœnitens non amplius in futurum peccet, sed ut amplius peccare nolit.

4. Quamvis autē hæc ita se habeant, nihilominus debet Confessarius prudenter attendere, non tantum quid absolute loquendo possit, sed potius quid ipsi pœnitenti sit magis conveniens, & aptum. Multa enim licent, quæ aliquando nō expediunt. Debet igitur coram Deo attente considerare, num frequens usus Confessionis talibus personis utiliter suaderi possit, ut earum fragilitati consulatur, & voluntatis infirmitas, ac ægritudo crebra hujus Sacramenti susceptione, quasi remedio sæpius iterato, sanetur; num e contra frequens confessionis usus illis nocivus sit, v. g. si inde sumant occasionem peccandi liberius, si potius ex consuetudine, quam ex vero contritionis motivo, aut emendationis proposito ad Pœnitentiæ tribunal accedant. Pro ratione enim dispositionum illarum Pœnitentes ipsos utiliter interdum poterit privare beneficio absolutionis, vel illud in aliquot dies differre & interim pia, & religiosa quædam opera, & pœnitentiæ exercitia ipsis injungere. Quæ omnia potius ex interiori Spiritus Sancti illustratione, & diuturna in administratione hujus Sacramenti experientia, quam ex certis regulis, aut præceptis dignosci possunt.

Denique hæc prudentia Confessarii præsertim requiritur in sigillo, seu secreto Confessionis inviolabiliter servando; de quo Sectione sequenti agetur.

Huic

Huic prudentiæ jungere merito possumus charitatem, seu misericordiam, quæ in Cõfessario maxime desideratur, ut quoslibet pœnitentes ad se venientes affectu plane paterno excipiat, illorũ ignorantiam, tarditatem, duritiem, pervicaciam, & alias similes imperfectiones non patienter modo, sed etiã amanter sustineat, nulli labori parcat, nullam molestiam refugiat, ut illorum spirituale bonum quovis modo procuret, ac novum semper zelum Divinæ gloriæ, salutisque animarum in corde suo concipiat, & foveat, diemque illum fortunatum arbitretur, in quo peccatoris alicujus conversioni, ac sanctificationi, Divina aspirante Gratia, cooperatus fuerit, memor illius summæ charitatis, qua Christus optimus Pastor peccatores, & peccatrices quæsivit, vocavit, allexit, & ad se venientes misericordiæ sinu excepit, fovit, amplexus est, hancque Divinam vocem ineffabilis prorsus benignitatis suæ testem in sacris Evangeliis reliquit, S. Matth. cap. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.*

SECTIO XXI.

Quæ sit obligatio sigilli, seu secreti in Confessione servandi.

1. Dicendum 1. hujus sigilli, seu secreti obligationem esse strictissimam, adeo ut nunquam liceat Confessario peccatum aliquod in Confessione auditum etiam post mortem ipsius pœnitentis ullo modo revelare: quod ita certum est, ut S. Doctor in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 1. quæst. 1. ad 1. sententiam contrariam erroneam appellet: & cap. *Sacerdos* dist. 6. de Pœnit. & etiam cap. *Omnis utriusque*, de Pœnit. & remiss. depositionis pœna, & detrusionis in arctum Monasterium decernatur in hujus sigilli violatorem.

Hæc autem tam stricta sigilli servandi obligatio, ut fuse probat Isambertus disp. 23. a. 1. oritur tum ex jure naturali, quo tenemur sub secreto nobis commissa celare, tum ex virtute justitiæ, quæ vetat proximi famam lædere, tum ex virtute religionis, quæ reverentiam Sacramento Pœnitentiæ debitam servare jubet, tum maxime ex ipso jure Divino positivo, quia, ut recte argumentatur Ganmach. c. 12. de Pœnit. eo ipso quo Christus Dominus pœnitentem obligavit ad integram omnium peccatorum suorum Confessionem Sacerdoti faciendam, censetur etiam ipsum Sacerdotem obligasse ad secretum inviolabiliter servandum, alias Confessio maxime odiosa fieret, nullaque ex ea oriretur pax, & conscientiæ serenitas, qui tamen sunt præcipui pœnitentiæ fructus, ut a Concil. Trid. dictum est sess. 14. c. 3. sed potius inquietudo mentis in ipso pœnitente, ac timor continuus, ne Confessarius ad declaranda peccata, quæ per ejus confessionem novit, ratione aliqua inducatur. Imo si Confessarius licite posset peccata aliqua sibi confessa revelare, non teneretur pœnitens ea ipsi in

confessione declarare, cum ex institutione Christi Domini, ut supra dictum est, non nisi ad confessionem secretam obligetur, quæ tamen secreta nō foret, si Sacerdoti peccata per eam cognita evulgare liceret. Unde patet, tantùm abesse, ut hæc obligatio sigilli in quocunque casu servandi bono publico obstet, quin potius maxime ad illud conferat. Supponamus enim, perditum aliquem hominem moliri proditionem, aut simile quidpiam facinus in Reipublicæ perniciē, si credat, Confessarium teneri, vel posse licite peccatum illud suum revelare, nunquā hoc illi in Confessione declarabit, neque enim ad id obligabitur, & sic in perversa voluntate perseverabit; ubi e contra, si de Confessionis sigillo inviolabiliter servando securus existeret, pondus conscientiæ suæ in ejus sinum libentius exoneraret, ejusque illius monitis, ac consiliis ab impio illo facinore deterreri posset.

2. Dicendum 2. hanc sigilli servandi obligationem sequi ex quavis Confessione Sacramentali, licet absolutio sive ex defectu potestatis in Confessario, aut dispositionis in pœnitente, sive ex alia quacunque causa non conferatur, dummodo pœnitens eo animo faciat Confessionem illam, ut peccata sua Ecclesiæ clavibus subjiciat. Ita S. Thomas in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 1. cui subscribunt S. Bonaventura, Ricardus, Gabriel, Sotus, & alii, quos refert, & sequitur Gammachæus supra. Si vero Confessio non fiat animo subjiciendi peccata clavibus Ecclesiæ, sed v. g. alliciendi Confessarium ad aliquod peccatum, aut ei illudendi, ex tali Confessione nulla oritur sigilli servandi obligatio, ut docent Adrianus, Alensis, Vivald. Sylvest. & alii apud eundem Gammachæum. Qui tamen recte monet, Sacerdotem in eo casu non debere leviter, & sine gravi causa, ea quæ per ejusmodi Confessionem novit, declarare, ne inde scandalum oriatur, sed adhibito prudentis alicujus viri consilio id facere, quod magis expedire videbitur.

Est autem observandum, in citato decreto Conc. Lateran. dici, *Confessarium omnino cavere debere, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo prodat peccatorem*. Quæ verba diligenter a quolibet Confessario perpendenda sunt, non modo ne ex verbis suis licet generatim dictis, aut quibuscunque signis, vel nutibus, sed etiam ne ex pœnitentia aliqua, & satisfactione pro peccatis occultis minus considerate imposita, alii conjicere possint, pœnitentem hoc, vel illud peccatum speciatim, aut generatim grave aliquod delictum perpetrasse. Imo tanta huic Confessionis sigillo debetur reverentia, ut ne cum ipso quidem pœnitente extra Confessionem loqui liceat de peccatis, aut negotiis ejus per solam Confessionem cognitis, nisi ipsemet pœnitens de iis Confessarium interroget. Quod si Confessarius aliquid in Confessione omisit, quod pœnitenti indicare debebat, ver. gr. restitutionem aliquam faciendam, id supplere debet, non ex abrupto, sed prudenter, ac privatim, & petita prius ab ipso pœnitente venia.

Quæ omnia fuse explicat Gammachæus supra, ubi insuper addit, nec ipsum Sacerdotem posse uti notitia per Confessionem Sacramẽtalem acquisita ad suam, aut aliorum directionem, vel ad arcendum aliquod malum, si ex isto usu, & applicatione sequatur fractio sigilli, aut probabile fractionis periculum. Si tamen nihil tale impendeat, & prudenter se gerat Confessarius, ita ut omnem removeat temerati Sacramenti suspicionem, potest tunc eandem notitiam ad pios usus convertere, præsertimque ad malum aliquod impediendũ.

3. Dicendum 3. sub sigillo Confessionis cadere primo omnia, & singula peccata mortalia, sive pœnitentis, sive complicis, tam in particulari, quam in generali, omnia etiam peccata venialia in particulari, eorumque circumstantias, quæ non nisi per Confessionem cognoscuntur, item ea omnia, quæ licet peccata non sint, talem nihilominus cum peccatis in Confessione declaratis connexionem habẽt, ut de illis cognitionem, aut suspicionem ingenerare possint. Ita ex S.Thomæ, & aliorum Theologorum communi doctrina Isambertus disp.23. art.4. ubi adjungit, etiam defectus sive naturales, sive acquisitos ipsius pœnitentis, qui non aliter, quam per Confessionem innotescunt, sub illius sigillum cadere, alias odiosa redderetur Confessio, & pœnitenti probrosa, si defectus ejusmodi per illam cognitos manifestare liceret. Opera vero bona, & virtutes ipsius pœnitentis sub illius sigillum proprie non cadunt, quamvis aliunde Confessarius juxta intentionem pœnitentis secretum ipsi servare teneatur.

4. Dicendum 4. non modo Confessarium, sed etiam interpretem, si forte pœnitens aliquem ad explicanda peccata adhibuerit, alios denique omnes, qui quocumque modo licito, vel illicito, sive data opera, sive casu fortuito, peccata illa cognoverunt, quæ per solam Confessionem Sacramẽtalem innotuerunt, pari obligatione sigilli servãdi teneri. Ita docent S.Thom. Paludanus, Sotus, Medina, Sylvester, Navarrus, & alii apud Laymann. tract. 6. de Pœnit. Ratio est, quia secundum regulam juris, res ad quecunque perveniat, cum onere suo transit, ut habetur capite *Pastoralis*, de decimis; ac proinde ad quoscunque peccatorum alienorum notitia per solam Confessionem perveniat, ad illos etiam servandi sigilli eadem obligatio transibit.

De consensu tamen pœnitentis potest Confessarius ex aliqua causa rationabili, & propter ipsius pœnitentis majorem utilitatem, peccatum illius in Confessione auditum alteri declarare, ut docet S. Thom. in 4. dist. 21. q. 3. art.2. & cum eo communiter Theologi, ut videre est apud Isambert. disp. 23. art. 6. qui tamen art. seq. recte admonet, consensum illum pœnitentis debere esse plene voluntarium, liberum, formalem, & expressum, nec sufficere tacitum, seu virtualem, aut interpretativum.

5. Quæres, an etiam pœnitens ad sigillum teneatur respectu eorum quæ Confessarius in hujus Sacramẽti administratione ipsi vel dixit, vel

vel injunxit. Communis Theologorum responsio est negans, ut docent Major, Sot.& alii apud Suar.disp. 13. sect. 4. Canones siquidem sigilli obligationem præcipientes nullam pœnitentis faciunt mentionem. Quamvis autem sigillo Sacramentali non obligetur, lege tamen naturali tenetur ad secretum servandum, quando ex illius revelatione aliquod damnum in ipsum Confessarium derivaretur, aut quamvis nullum inde ipsi immineret damnum, aliquid tamen contra ejus voluntatem in illius secreti manifestatione sine ulla rationabili causa fieret. Quod si Confessarius eo impietatis delaberetur, ut in ipso Pœnitentiæ Tribunali pœnitentem ad peccatum aliquod sollicitaret, vel ad errores inducere conaretur, tunc posset pœnitens illum ad Superiores deferre, imo aliquando teneretur, si nimirum ex silentio suo plurium aliorum ruinam sequi videret, quos ipse Confessarius ad peccandum, aut ad errandum induceret.

SECTIO XXII.

In quibus casibus Confessio nulla sit, & ideo iteranda.

1. EX antedictis facile colligi potest, quænã ad confessionis sacramentalis, & subsequentis absolutionis validitatem necessario requirantur,tam ex parte pœnitentis,quam ipsius Confessarii, quorũ si vel unum desit,confessio illa, & absolutio irrita sit, atque adeo iteranda.Quæ quidẽ majoris facilitatis gratia breviter hic subjiciemus.

Atque in primis ex parte pœnitentis quinque præsertim requiruntur. Primum est, ut diligentiam rationabilem, & sufficientem adhibeat in discutienda conscientia, præsertim quando ad Pœnitentiæ tribunal rarius accedit, & se alicujus peccati mortalis reum esse deprehendit, aut dubitat. Unde si in illa discussione ita negligens sit, ut exinde sequatur oblivio peccati alicujus mortalis, quod sibi in memoriam facile reducere potuisset, ac debuisset, tunc confessio nulla erit, & proinde iteranda.

Secundum est, ut pœnitens veram de peccatis commissis contritionem, aut saltem attritionem actualem concipiat, idque ante confessionem,aut in ipsa confessione,aut saltem ante absolutionem, prout superius a nobis explicatum est; quæ quidem actualis contritio, vel attritio si desit, confessio irrita erit, & proinde iteranda.

2. Tertium est,ut firmum concipiat propositum non amplius peccata illa committendi, de quibus se accusat, idque vel actuale,vel saltem virtuale,ut supra declaratũ est; quod etiam intelligi debet,quãdo quis de solis venialibus confitetur. Si enim nullũ ne virtuale quidem propositum haberet pro viribus peccata illa devitandi, obicem hujus Sacramenti effectui poneret.Et quamvis, si sola peccata venialia confessus fuisset, non teneatur eadẽ iterũ in confessione declarare, tenetur tamen de propositi illius defectu,& indigna sacramẽtalis absolutionis perceptione se denuo in Pœnitẽtiæ tribunali accusare.

Quar-

Quartum est, ut pœnitens omnia peccata mortalia etiam pure interna, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt, eorumque numerum, & circunstantias speciem immutantes, aut notabiliter aggravantes, quando illas ut tales agnoscit, vel de iis a Confessario interrogatur, in Confessione explicet. Unde si scienter, & data opera peccatum mortale omittat, aut peccatorum a se commissorum numerũ, vel circunstantiam aliquam necessario declarandam reticeat, confessio nulla erit, tenebiturque non modo peccatum illud scienter omissum, sed & omnia alia, & singula mortalia in illa confessione explicata iterum clavibus Ecclesiæ subjicere, imo & omnes confessiones subsequẽtes iterare, in quibus cõfessionis illius sacrilegæ sibi cõscius, ejus defectũ supplere non curaverit. Si tamen eidem Sacerdoti confiteretur, & ille saltem in genere peccatorum ipsius pœnitentis sibi declaratorũ recordaretur, tunc pœnitenti sufficeret omissũ peccatum declarare, & se de illarum confessionum defectibus accusare.

Quintum denique est, ut satisfactionem rationabilem a Confessario sibi injunctam ex animo acceptet, & suo tempore adimplere proponat. Si enim nullam omnino satisfactionem acceptare vellet, absolutionis recipiendæ capax non esset.

3. Ex parte autem Confessarii ad validitatem hujus Sacramenti tria requiruntur, quorum si vel unum desit, Sacramentum etiam irritum erit. Primum est debita verborum formæ, seu absolutionis prolatio; quod attendere maxime debent illi, qui Pœnitentiæ administrandæ frequenter incumbunt, ut non ex quodam usu, & consuetudine, neque nimis festinanter, sed distincte Sacramentalis absolutionis verba proferant, alias propter vel unicam syllabam omissam grave sacrilegium incurrere posset Confessarius, ipsumque pœnitentem, licet rite dispositum, hujus Sacramenti effectu privare.

Secundum est debita intentio actualis, aut saltem virtualis, ut supra cap. 1. explicatum est. Hac siquidem deficiente, ejus absolutio, quamvis ore prolata, nulla, & irrita foret. Idcirco consultissimum est, ut Sacerdos hoc Sacramentum administraturus, prius mentem in Deum elevet, & intentionem suam pro hoc Sacramento debite omnibus pœnitentibus ejus Tribunali adstantibus administrando dirigat, eamque, quantum poterit, quoties absolutio cuique illorum conferenda erit, renovet.

4. Tertium denique est legitima potestas, & jurisdictio, sive ordinaria, sive delegata, cum debita Episcopi approbatione. Nõ enim est major defectus, quam potestatis, qua deficiente *nullius momenti erit absolutio*, ut loquitur Conc. Trid. sess. 14. cap. 7 ac proinde irrita, & nulla. Quare attendere debet Confessarius, an potestatem sufficientẽ habeat, an pœnitens ejus jurisdictioni subsit, an peccatum aliquod reservatum commiserit, vel censuram incurrerit, a qua illum absolvere non possit. Quo tamen in casu non statim pœnitentem a se abjicere

debet,

debet, sed benigne, ac misericorditer illum admonere, & excitare, ut ad Superiorem recurrat. Imo interdũ præstaret, ut ipse Confessarius, ex charitate, in se susciperet onus adeundi Superiorem, & facultatẽ illum absolvendi postularet, ut sic ipse pœnitens majori animo satisfactionem injunctam adimpleret, & remedia peccatis in futurum devitandis apta, & a confessario proposita libentius amplecteretur.

SECTIO XXIII.

Quid sit satisfactio Sacramentalis.

1. Satisfactionis nomine intelligitur actio illa, qua is, qui alterum læsit, tantum facit, quantum satis est ad injuriam compensandam, vel quantum is, qui læsus est, juste exigit, ut docet Bellarm. lib. 4. de Pœn. cap. 2.

Quamvis autem nullus homo, ut in priore hujus Operis parte tr. 5. & 6 dictum est, possit Deo pro peccatis satisfacere, nisi condonatio aliqua gratuita interveniat ex parte ipsius Dei, supposito tamen Gratiæ dono per Christi Domini merita collato, certum est, satisfactionem aliquam Deo exhiberi posse ab homine, ejusque opera quædam esse satisfactoria, ut ex infra dicendis patebit.

Est autem hæc satisfactio duplex: alia siquidem extra Sacramentum fit, alia Pœnitentiæ Sacramento conjungitur, estque illius pars integrans, ut supra dictum est; quæ quidem, quoniam non solum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato sortitur suum effectum, ideo perfectior est, & majorem vim habet.

Rursus hæc Satisfactio Sacramentalis duplex distingui potest. Una est minus proprie dicta, quæ reperitur in ipsa contritione, & confessione, aliisque pœnitentis actibus, qui absolutionẽ antecedunt. Per illos enim actus satisfactionem aliquam Deo exhiberi, docuit S. Th. in 4. dist. 16. quæst. 1. art. 1. ubi dicit, quod *Pœna, quam Pœnitens patitur in contritione, & in confessione, in partem satisfactionis cadit:* quod olim etiam docuerat Auctor libri de vera, & falsa pœnitentia c. 1. ubi de Confessione Sacramentali loquens, *Multum*, inquit, *satisfactionis obtulit, qui erubescentiæ dominans, nihil eorum, quæ commisit, nuntio Dei denegavit.* Certe non pauci sunt, qui pudorem illum in quorundam peccatorum confessione subeundum multis jejuniis, orationibus, & eleemosynis vellent redimere. Hi autem actus, quatenus ab homine peccatore eliciuntur, non nisi improprie dicuntur satisfactorii, cum neque pro culpa, neque pro pœna æterna peccato nondum remisso debita, aut ulla illius parte per illos satisfiat, sed convenientius tantum disponatur pœnitens ad justificationis Gratiam uberius, & certius in Pœnitentiæ Sacramento recipiendam.

2. Altera est satisfactio Sacramẽtalis proprie dicta, quæ consistit in piis quibusdã operibus a Confessario injunctis, quibus pœnitens pro

pœ-

pœna temporali peccato quoad maculam remiſſo debita, Deo ſatisfacit, quod expreſſe docuit Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 14. ubi de ſatisfactione Sacramentali loquens dicit, illam Deo exhiberi: *Non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto unacum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quæ (ut ſacræ Litteræ docent) non tota ſemper, ut in Baptiſmo fit, dimittitur.*

Hæc autem vera, & proprie dicta ſatisfactio vocatur, quia per illã pro pœna illa tẽporali peccato quoad maculã remiſſo debita vere, & proprie ſatisfit Deo. Quod ut evidentius cõſtet, duo breviter hic explicanda ſunt. Primum eſt, utrum remiſſa per abſolutionem Sacramentalẽ peccati culpa, remaneat aliquando pœna aliqua temporalis luenda. Secundum eſt, utrũ per aliqua bona opera in ſtatu Gratiæ facta pro pœna illa temporali ſatisfieri Deo poſſit. Utrunq; negant Hæretici hujus temporis, utrunq; tamen Catholica veritas affirmat. Quæ quoad priorem partem probatur, & ſimul oppoſitus error refellitur.

3. Primo ex Scriptura. 2. Reg. 12. ubi refertur Davidi de peccato ſuo perfecte pœnitenti Deum illius culpam condonaſſe (ut hunc locum explicat S. Ambroſius in priore Davidis apolog. c. 2.) & tamen eum temporali pœna, morte ſcilicet filii, ob peccatum illud, quamvis remiſſum, plecti voluiſſe.

Secundo ex Conc. Trid. loco ſupra citato, & præterea ſeſſ. 14. c. 8. ubi declarat, *falſum omnino eſſe, & a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin univerſa etiam pœna condonetur.*

Tertio ex S. Aug. in Pſ. 50. *Veritatẽ*, inquit, *dilexiſti, hoc eſt impunita peccata eorum, etiam quibus ignoſcis, non dimiſiſti: ſic prorogaſti miſericordiam, ut ſervares & veritatem.* Item ex S. Greg. l. 9. Moral. c. 27. ubi dicit, Davidem *punitum fuiſſe ob peccatum præteritum quamvis remiſſum, quia Dominus delictum ſine ultione non deſerit.*

4. Quarto ex iis, quæ ad probandam veritatem Purgatorii ſuo loco infra proferentur.

Secunda pars ejuſdem Catholicæ veritatis, nimirum quod per bona quædam opera in ſtatu Gratiæ facta pro pœna illa temporali, aut aliqua ejus parte Deo ſatisfieri poſſit, probatur

Primo ex Script. Tob. 4. *Eleemoſyna ab omni peccato, & a morte liberat, & nõ patietur animã ire in tenebras,* ut loquitur Tobias ſenior de eleemoſyna a filio in ſtatu Gratiæ facienda, ut ex ipſo contextu patet, quam tamen dicit a peccato; ideſt a pœna peccati liberare.

Secundo ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. can. 13. ubi profert anathema in eum, qui dixerit: *Pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, aut ſponte ſuſceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemoſynis, aut etiam aliis pietatis operibus.*

Tertio ex S. Cypriano l. 3. Ep. 10. ubi dicit, *Peccatores Deo Patri miſericordi precibus, & operibus ſuis ſatisfacere poſſe.* & S. Ambroſ. l.

2. de

2. de Elia, & jejunio c.22. ubi dicit: *Habemus plura subsidia, quibus peccata redimamus. Pecuniam habes? redime peccatum tuum.*

Quod vero illis & similibus locis loquantur SS. Patres de redimēdis peccatis quoad culpam jam remissis, recte colligit Gammachæus c.2. de satisfact. Pœnit. sess. 14. c.8 ex eo, quod quandiu homo hæret in statu peccati mortalis, nihil ad redemptionem peccati quibusvis operibus suis conferre possit. Unde Conc. Trid. dicit, *omnem satisfactionem, quam pro peccatis nostris exsolvimus, esse per Jesum Christū*, &c. *in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pænitentiæ, qui ex illo vim habent*, &c. Ubi monet Gammachæus, notandas esse has voces. *per Christum, & in quo vivimus.* Iis enim aperte significatur, satisfactionem supponere Gratiæ vitam, & unionem cum Christo per ipsam Gratiam sanctificantem.

5. Objiciunt Hæretici, 1. S. Petri dici, *Nos redemptos esse non corruptibilibus auro, vel argēto, sed pretioso sanguine Christi*; unde sequitur sola virtute satisfactoria Passionis Christi, non vero eleemosynis, aut aliis operibus peccata nostra, aut pœnas illis debitas posse redimi.

Respondetur, verissimum esse, nos sola virtute meritorum Christi a peccatis, pœnisque illis debitis redemptos fuisse, quia Christus solus condignam pro nobis satisfactionē Deo Patri obtulit, & merito suæ Passionis Gratias omnes promeruit, ex quibus oritur vis omnis satisfactiva, sicut & meritoria, quæ operibus nostris bonis inesse potest. Unde fit, ut omnis satisfactio, quam pro peccatis nostris exsolvimus, sit per Christum Jesum, & ex illo vim habeat, proindeque omnis gloriatio nostra non in nobis, sed in ipso Christo esse debeat.

SECTIO XXIV.

Quibus operibus Deo satisfieri possit.

1. Tres sunt super hac quæstione Theologorum sententiæ. Quidam enim existimant, virtutem satisfactivam inesse solis operibus, quæ non sunt præcepti, sed solum consilii: alii vero solis operibus bonis pœnalibus, id est molestiam aliquam, & afflictionem inferentibus: alii denique omnium probabilissime asserunt, omnibus, & quibuscunque bonis operibus æternæ gloriæ de condigno meritoriis, ab homine justo elicitis, pro pœna temporali peccato debita satisfieri Deo posse. Ita Sot. in 4. dist. 15. q.1. Gabriel ibidem, a.1. Dominicus Sotus dist. 19. q.2. a.1. Henricus quodlibeto 8. q.4. Petrus de Ledesma tract. de Sacr. Pœn. c.22. quibus subscribit Isambertus disp. 28. de Sacr. Pœn. a.1. Præcipua illorum ratio hæc est, quod opera illa quæ sunt æternæ gloriæ de condigno meritoria, sunt etiam meritoria remotionis cujuscunque impedimenti gloriæ illius consequendæ, cum sit utriusque par ratio; proindeque cum pœna temporalis peccato debita sit quoddam impedimentum illius consecutionis, sequi-

quitur, quod justus per opera bona remotionem illius impedimenti merebitur, & ex consequenti opera illa erunt pro peccatis satisfactoria. Quod quamvis verum sit, nihilominus fatendum, opera bona hominis justi, cæteris paribus, eo magis esse satisfactoria, quo sunt magis pœnalia, & afflictiva; quia ut sic majorem ex natura rei aptitudinem habent ad pœnam redimendam.

2. Inter opera vero satisfactoria præsertim tria enumerãtur a Côc. Trid. sess. 6. c. 14 Jejunium scilicet, oratio, & eleemosyna, ubi per jejunium intelligit omnes, & quascunque corporis afflictiones voluntarie susceptas, per orationem quoscunque religionis actus interiores, aut exteriores in Dei cultum, & honorem elicitos, per eleemosynam autem quæcunque charitatis, & misericordiæ opera erga proximum exhibita ad miseriam, seu necessitatem ejus corporalẽ, aut spiritualem sublevandam: & sess. 14. c. 9. adjungit: *Tantam esse Divinæ munificentiæ largitatẽ, ut non solum pœnis a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiã, quod maximum amoris argumentũ est, temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.* Circa quæ flagella tamen, & alia incommoda, quę necessario patimur, observandum est, nos pro eo solũ tempore satisfacere, quo illa patienter toleramus, per actum positivum patientiæ, vel alterius virtutis; cum satisfactionis virtus non tam in passione, & sufferentia, quam in libera, & virtuosa flagellorum illorum, & incommodorum acceptatione consistat.

SECTIO XXV.

Quomodo se gerere debeat Confessarius in imponenda satisfactione.

1. SUpponimus, Confessarium non modo posse, sed etiam debere satisfactionem aliquam pœnitenti injungere, ut constat tũ ex Conc. Lateranensi c. *Omnis utriusque*, & ex Conc. Trid. sess. 14. c. 8. tum etiam ex eo, quod tenetur Confessarius id præstare, quod ex ejus parte ad integritatem Sacramenti requiritur: pars autẽ integrans Sacramenti Pœnitentiæ est satisfactio, non quæcunque, sed illa solummodo, quæ ex præcepto Sacerdotis imponitur, ut ex ante dictis constat, & habetur in Catech. Rom. part. 8. c. 5. Excipitur tamen, quãdo pœnitens morti proximus est, ut nihil supersit vitæ, nisi quantum satis est ad absolutionem recipiendam. Tunc enim sicut moribundus nullam pœnitentiam implere potest, sic Confessarius nullam imponere tenetur. Si tamen non ita morti vicinus sit, præstat semper aliqua vel levissima imponere, v. g. invocationem nominis JESU, deosculationem imaginis Crucifixi, &c. ut ea ratione Sacramentum habeat debitam integritatem, & infirmus fructum aliquem ex illa satisfactione Sacramentali percipiat.

Hoc

Hoc præsupposito, ut noverit Confessarius, quomodo se in injungendis pœnitentiis, seu satisfactionibus gerere debeat, Conc. Trid. doctrina ipsi attente consideranda est, præsertim sess. 14. cap. 8. ubi dicit, *Debere Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere*, &c.

Quæ quidem Concilii verba, si attente considerentur, & perpendantur, plurimum lucis cuilibet Confessario afferre poterunt, ut hac in parte officio suo rite fungatur.

2. Dicit igitur in primis, *Quantum spiritus, & prudentia suggesserit*, ut ostendat, Ecclesiam pro injungendis satisfactionibus in foro interiori, & secreto Pœnitentiæ, nullam certam regulam in particulari præscribere voluisse; sed id Confessariis determinandum reliquisse; & quamvis olim plures canones pœnitentiales ad vigorem Ecclesiasticæ disciplinæ conservandum sanctissime ediderit, ac pro exigentia temporum, locorum, & personarum varie commutaverit, illos tamen, cum jam aliquibus sæculis in desuetudinem abjerint, in usum ob justissimas causas revocare noluisse, sed satisfactionem quidem privatam, & Sacramentalem Confessariorum discretioni, & prudentiæ reliquisse, publicam autem ob publica peccata exsolvendam, Episcoporum arbitrio permisisse, ut constat ex variis ipsius Conc. Trid. decretis, ac præsertim ex sess. 24. c. 8. de reform. ubi declarat, Episcopum posse pœnitentiam publicam ob publica peccata impositam, in aliam secretam pœnitentiam commutare, quando ita magis expedire judicaverit.

Dicit 2. *pro qualitate criminum*, ut noverit Confessarius, quid potissimum attendere debeat in imponenda satisfactione, cujus mensuram, ac modum non pro libito determinare debet, sed pro qualitate criminum, in quorum vindictam simul, & medelam imponitur, ideoque peccatorum non modo numerum, ac speciem, sed & alias circunstantias debet perpendere, ex quibus illorum gravitas augeri, vel minui potest, v. g. an ex infirmitate, ignorantia, vel malitia fuerint commissa, an ex repentino animi motu, an vero ex pravo aliquo, & inveterato habitu ortum ducant, ut juxta Divinæ justitiæ regulam, *pro mensura delicti sit & plagarum modus*.

3. Dicitur 3. *& pœnitentium facultate*. Non enim sola peccatorum gravitas, aut levitas, sed & ipsorum pœnitentiũ facultas consideranda est: quod Rituale Romanũ optime declaravit, tit. de ordine administrandi Sacramentũ Pœnitentiæ, ubi dicit, in injungendis satisfactionibus *habendam esse rationem status, conditionis, sexus, ætatis, & item dispositionis pœnitentium*. *Status*, v. g. sit ne pœnitens Clericus, an Laicus, &c. *Conditionis*, infimæ, an eminentis, superior, an inferior, dives, an pauper. *Sexus*, aliqua enim in sexu fragiliori tolerari utcunque possunt, quæ in perfectiori nullã excusationem admittunt. *Æta-*

tis,

bis, est enim longe dispar ratio peccatorum, quæ in ætate puerili, & quæ in perfecta, & matura committuntur. Et *Dispositionis*, corporis scilicet, vel animi. Aliqui enim sunt imbecilles, & infirmi, quos si oneraveris, opprimes, alii contra valentes, & robusti; item alii conscientiæ scrupulis, & dubiis inquietantur, alii passionibus acribus exagitantur. Quæ omnia, & alia similia Confessario perpendenda sunt, ut (sicut loquitur Catechismus Rom. supra) *Cum justitia, prudentia, & pietate in sententia erga pœnitentes ferenda se gerat.*

Post considerationem qualitatis criminum, & facultatis pœnitentium, satisfactiones ipsæ imponendæ attendi debent, quas Concilium dicit esse debere *Salutares, & convenientes.*

Salutares quidem, id est utiles, & aptas ad salutem pœnitentium. Quod ut præstet Confessarius, debet in illis imponendis hoc solum ob oculos habere, nimirum ut pœnitentis saluti consulat. Ideoque duo extrema huic fini opposita sunt devitanda.

4. Primum est, *Ne* (ut loquitur Concilium supra) *peccatis conniveat, & indulgentius cum pœnitentibus agat, neve levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo alienorum peccatorum particeps efficiatur, sed tales injungat satisfactiones, quæ tum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, tum ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem conferre possint.* Hoc fiet, si, ut monet Rituale Rom. sup. Confessarius, quantum poterit, *contrarias peccatis pœnitentias injungat, veluti avaris eleemosynas, libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia: rarius autem, vel serius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpe, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus confiteantur, &, si expediat, communicent.*

Aliud quoque extremum ipsi Confessario devitandum est, ne scilicet durum se, & rigidum ultra quam satis est, pœnitenti exhibeat, illique acerbas nimis, & molestas pœnitentias imponat, eo prætextu, quod conscientiam suam exonerare velit, nihil curans, an ipse pœnitens eas adimpleat, nec ne; quod esset maxime a charitate alienum, & fini hujus Sacramenti prorsus repugnans. Unde sapientissime monet Rituale Parisiense titul. de Sacramento Pœnitentiæ, ut satisfactione injuncta, interroget pœnitentem, *An possit, an ne dubitet pœnitentiam sibi injunctam peragere, alioquin eam immutet, aut minuat.* Neque repudiandum est axioma Joannis Gersonis part. 2. operum in regulis moralibus, ubi dicit, *Tutius esse cum parva Pœnitentia, quæ sponte suscipitur, & verisimiliter adimpletur, ducere confessos ad Purgatorium, quam cum magna non implenda præcipitare in Infernum.* Certe multi graves Theologi, quibus subscribit Gammachæus, existimant, Confessarium aliquando pro satisfactione pœnitenti salubriter imponere posse opera etiam

ab ipso alias debita, & præcepto implenda, v. g. ut audiat Missam singulis Dominicis diebus. & Festis per annum, ut per totam Quadragesimam jejunet, &c. Observat præterea Laymannus tract. 6. de Pœnitent. cap. 15. ex S. Thoma, & aliis Doctoribus, aliquas esse causas, quarum intuitu Confessarius legitime possit satisfactionis imponendæ rigorem minuere, quales sunt magnitudo contritionis, infirmitas corporis, imbecillitas animi, Jubilæi, aut Indulgentiarum tempus, aut similes.

5. Deniq; Concilium dicit, satisfactiones esse debere *convenientes* statui, conditioni, sexui, &c. scilicet ut nihil in illis Confessarius a pœnitente, nisi juxta prudentiæ regulas, exigat; e. g. ut filio familias non injungat eleemosynas erogandas, operariis, vel debilibus personis jejunia, mulieribus peregrinationes, valde occupatis multas preces. Sed præcipuo studio Confessarius cavere debet, ut recte monet S. Antoninus, Navarrus, & alii apud Laymann. supra, ne tales imponat satisfactiones, ex quibus alii, v. g. maritus, parentes, vel domestici in suspicionem peccati alicujus in Confessione declarati venire possint, aut ex quibus conjiciant, grave aliquod peccatum a pœnitente commissum fuisse. Quod etiam habetur in Rituali Romano supra, ubi expresse prohibetur, ne unquam pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifesta imponatur pœnitentia.

SECTIO XXVI.

Quæ sit obligatio pœnitentis circa pœnitentiam acceptandam, & adimplendam.

1. Certum est, pœnitentem obligari ad acceptandã, & ad implendam pœnitentiam sibi rationabiliter a Confessario impositam, nec posse licite illam repudiare, & satisfactionem in Purgatorio implendam reservare. Ita enim docet S. Th. & post illum Sotus, Paludanus, Major, & alii plures, quos citat, & sequitur Suarez disp. 38. sect. 7. Ratio est, tum quia integritas Sacramenti a pœnitente servanda id requirit, tum etiam quia potestas ligandi, quæ Sacerdotibus a Christo Domino concessa est, in eo præsertim consistit, ut declarat Conc. Trid. sess. 14. cap. 8. & can. 15. quod Sacerdotes ex judiciaria, quam habent, potestate, iis, quos absolvunt, satisfactiones pro peccatis imponant. Profecto eos ligare non possent, si ad satisfactionem implendam non possent eos obligare.

2. Unde sequitur, illum peccare, qui pœnitentiam rationabiliter impositam acceptare non vult, aut acceptatam implere non curat, mortaliter quidem, si pœnitentia illa sit gravis, venialiter autem, si levis sit, ut docet Valentia qu. 4. de Pœnit. punct. 4. Imo Suarez supra existimat, pœnitentiæ cujuscunque ob venialia peccata impositæ omissionem, si contemptus absit, esse tantum venialem. Si tamen Confessa-

fessarius nimis duram, aut difficilem pœnitentiam imponat, poterit pœnitens ab eo postulare, ut illam minuat, aut mutet; cui tunc Confessarius, quantum licite potest, annuere debet, ut docet Navar. c. 26. n. 20. ne scilicet Confessionis, & pœnitentiæ jugum nimis onerosum, & exosum reddatur. Quod si Confessarius nollet minuere, vel mutare, poterit pœnitens antequam recipiat absolutionem, petita humiliter venia, Sacerdotem alterum adire, eique peccata omnia rursus confiteri, & ab eo pœnitentiam mitiorem, & a se facilius implendam acceptare, ut docet Suarez sup. Imò si pœnitentiam, quam acceptavit, implere non nisi cum maxima difficultate possit, poterit Confessarius, qui eam imposuit, aut quis alius etiam illo inferior, audita iterum Confessione peccatorum, pœnitentiam illam ex causa aliqua justa, & rationabili mutare. Ita Sylvester, Henriquez, Suarez, Valentia, & alii, quos citat, & sequitur Laymann. tract. 6. de Sacram. Pœnit. cap. 15. qui etiam ibidem subdit, probabilem, & in praxi tutam esse eorum sententiam, qui asserunt, alterum Confessarium ex causa aliqua justa pœnitentiam mutare posse, etiam non repetita Confessione peccatorum, ob quæ imposita fuerat. Sic enim docet Vivaldus, Navarrus, Victoria, Toletus, & alii, quos ibidem citat.

Quæ tamen sententia limitanda videtur, adiectione unius conditionis, nimirum ut ille Confessarius, a quo postulatur, ut pœnitentiam impositam immutet, id faciat in ipso tribunali Pœnitentiæ, seu in actu Sacramentali ad tribunal illud pertinente. Ratio est, quia impositio pœnitentiæ Sacramentalis, ut pars integralis, pertinet ad sententiam tribunalis Sacramentalis, ideoque neque primo imponi, neque postea immutari potest, nisi in ipso tribunali, aut in actu aliquo ad illud pertinente.

3. Quæres, quo tempore pœnitentia a Confessario injuncta impleri debeat. Respondetur cũ distinctione. Vel enim illius implendæ tempus a Confessario præfixum fuit, vel non; si primum, v. g. si certis diebus jejunium servandum injunctum sit, tempore illo præfixo implendum est; si secundum, pœnitens, quam primum commode poterit, satisfactionem implere tenetur. Ita Suarez loc. cit. ubi docet, illum mortaliter peccare, qui pœnitentiã gravem sine ulla rationabili causa tempore valde diuturno ex sola desidia, aut incuria differret.

Est autem hic obiter observandum, damnatam olim fuisse a Xysto V. summo Pontifice in Bulla speciali data anno 1478. sententiam Petri de Osma, qui asserebat, non nisi peracta pœnitentia confitentes debere absolvi, quam quidem sententiam falsam, scandalosam, & SS. Patrum decretis, Apostolicisque Constitutionibus contrariam, & hæreticam declaravit: cujus Bullæ mentio fit in censura Facultatis Parisiensis data anno 1644. die 23. Junii, in qua eandem ut temerariam, & hæreticam proscripsit.

L 2 AP-

APPENDIX

De Indulgentiis, & Purgatorio.

QUoniam supra diximus, posse Confessarium injungendarum satisfactionum rigorem minuere occasione Indulgentiarum, pœnasque temporales peccatis quoad maculam remissis debitas, quibus in hac vita satisfactum minime fuerit, post hanc vitam in Purgatorio esse luendas; ut utrunque melius, & certius intelligatur, Appendicem hanc de Indulgentiis, & Purgatorio apposuimus, in qua quid de utroque secundum Catholicæ Fidei normam sentiendum sit, breviter explicabimus.

§. I.
Quid sit, & quotuplex Indulgentia.

1. INdulgentiæ nomen secundum communem, & receptum Ecclesiæ usum significat pœnæ temporalis peccato quoad culpam remisso debitæ condonationem, quæ fit ab Ecclesia ex justa aliqua, & rationabili causa per applicationem satisfactionum Christi Domini, ut fuse docet, & explicat Bellarm. lib. 1. de Ind. cap. 1. & 2. Quod ut evidentius fiat, duo nobis hic breviter demonstranda sunt.

Primum est, extare in Ecclesia Thesaurum quendam, unde applicandæ Fidelibus Indulgentiæ proferuntur, qui Thesaurus constat in primis ex satisfactionibus ipsius Christi Domini, quarum valor cum infinitus fuerit, ut ex dictis 1. par. tr. 5. constat, quantacunque fiat illarum applicatio, thesaurus ille nunquam exhauriri potest: constat etiam ex satisfactionibus superabundantibus Sanctorum, quorum aliquos certum est longe plura passos esse, quam peccata commissa promerita fuerint (quod de Sanctissima Virgine Deipara negare nemo potest, & de Sancto Joanne Baptista, multisque aliis pietas facile suadebit) quibus passionibus voluntarie ab iis, & ex perfecta charitate acceptatis vis quædam inerat, non modo meritoria, cujus fructum in cœlo percipiunt, sed etiam satisfactoria, quam licet ipsis minime necessariam, ut supponimus, aliis tamen maxime utilem, & salutarem esse posse, Ecclesia semper agnovit, ut ex communione Sanctorum, quam in Symbolo profitemur, aliisque Scripturæ locis fuse probat Isambertus tr. 1. de Indulg. disp. 1. art. 3. & Gammachæus disp. unica de Indulgent. cap. 2. ubi etiam ex communi Doctorum sententia variis argumentis ostendunt, justum in hac vita non solum

lum

lum pro suis, sed etiam pro alterius justi peccatis, ob charitatis unionem, Deo satisfacere posse.

2. Porro has Sanctorum satisfactiones Christi Domini satisfactionibus conjungit Ecclesia, non ut ullum harum defectum suppleat, cum perfectissimæ sint, neque ut earundem valori infinito quidquam superaddat, sed tum ut ipsius Christi virtutem in Sanctis ejus veneretur, tum ut eorum perfectam cum Christo capite unionem, & membrorum ejusdem capitis in utraque Ecclesia triumphante, ac militante communionem demonstret.

3. Secundum est, supra dicti Thesauri dispensationem a Christo Domino Ecclesiæ creditam fuisse, ut habetur in Extravag. *Unigenitus* de pœnit. & remiss. & in Conc. Trid. sess. 25. decret. de Indulg. Et probari potest tum ex illis Christi Dom. verbis Matth. 16. *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis*; quibus potestas generalis, & amplissima conceditur vincula quæcunque solvendi, quibus a consecutione salutis homines præpediri possent; tum etiam ex continua, & universali praxi, quæ jam inde a tempore Apostolorum, & consequentibus sæculis ad hæc usque tempora Ecclesiæ perseveravit. S. Paulus siquidem Indulgentiam Corinthio incestuoso pœnitenti concessit, ad instantiam aliorum Fidelium, qui pro illo intercesserant, ut docent S. Th. & Theodoretus in commentariis super cap. 2. Epist. 2. ad Corinth. Similiter Indulgentias ad postulationem Martyrum, qui in carceribus ob Christi Confessionem detinebantur, pœnitentibus concessas fuisse, constat ex variis testimoniis Tertulliani, S. Cypriani, & aliorum, qui apud Bellarminum cap. 3. referuntur. De earundem postea Indulgentiarum usu mentio fit in Conc. Nicæno I. can. 11. Ancyrano can. 5. Laodiceno can. 2. & aliis passim usque ad Gregorium Magnum, a cujus temporibus usus Indulgentiarum notior adhuc, & frequentior in universa Ecclesia fuit, ut fuse ostendit idem Bellarminus supra.

Ex quibus constat, quam falso, & temerarie hodierni Hæretici Indulgentias ab Ecclesia concedi posse negent, quorũ error vel eo solo nomine proscribi deberet, quod non alios patronos agnoscat, quam Vualdenses, qui primi Indulgentias impugnarunt, ut observat idem Bellarminus supra, apud quem fusior Hæreticorum illorum refutatio, & veritatis nostræ Fidei probatio videri potest.

4. Quæres, quis sit Indulgentiarum effectus, seu a quibus pœnis per Indulgentias liberemur. Respondetur, per concessionem Indulgentiarum nos minime liberari a pœnis naturalibus, quæ peccatum originale consequuntur, neque etiam a pœnis ob delicta in foro externo, sive Ecclesiastico, sive Politico subeundis, sed a pœnis illis temporalibus, quæ ob peccata post Baptismum commissa, & quoad culpam remissa debentur in foro interiori Divinæ justitiæ, seu, ut loquuntur Theologi, in foro animæ, quæque vel in hac

L 3 vita,

vita, vel post illam in Purgatorio luendæ forent, si homo prius moreretur, quam condignam pro illis offerret satisfactionem, ita ut per Indulgentiarum concessionem a pœnarum illarum reatu liberemur, non modo coram Ecclesia, ut olim nonnulli dixerunt, quos refellit S. Doctor in 4 dist. 20. qu. 1. art. 3. sed etiam vere corā Deo, ut fuse ex eodem S. Doct. & aliis probat idem Bellarminus supra, & post illum Gammachæus disp. unic. de Indulgent. cap. 5.

5. Sunt autem variæ, & multiplices Indulgentiæ pro varia, & multiplici concessionum forma, & concedentium voluntate. Interdum enim conceduntur Indulgentiæ aliquot dierum, vel annorum, vel quadragenarum, interdum tertia, vel quarta, aut alia pars peccatorum per Indulgentiam condonatur, aliquando plenaria Indulgentia conceditur, aliquando plenissima, & in forma Jubilæi. Et quidem quando conceditur Indulgentia tot dierum, vel annorum, vel quadragenarum, sensus est, per illam Indulgentiam remitti tantum pœnæ temporalis pro peccatis commissis, & quoad culpam deletis in hac vita, aut in altera luendæ, quantum redimeretur per pœnitentiam tot diebus, vel annis, vel quadragenis secundum antiquos Ecclesiæ Canones imponi solitam, ut explicant Paludanus, Maior, S. Antoninus, Sotus, Suarez, & alii apud Laymannum tract. 7. de Indulgent. cap. 3 Similiter quando per Indulgentiam condonatur tertia, vel quarta pars peccatorum, nihil aliud significatur, quam remitti tertiam, vel quartam partem pœnæ illius temporalis pro peccatis luendæ. Plenaria vero Indulgentia totam pœnam temporalem peccato quoad culpam remisso debitam tollit: quod similiter facit illa, quæ dicitur plenissima, & in forma Jubilæi, nec a plenaria differt, nisi in quantum simul cum Indulgentia facultates aliquæ conceduntur ad eligendum Confessarium, qui a casibus quibuslibet, & censuris absolvat, & in votis, aut irregularitatibus dispenset, ut fieri solet in Jubilæis. Quæ omnia fusius explicata, & probata reperiuntur apud eundem Bellarm. supra cap. 9 ubi monet Indulgentias illas, in quibus mille, & plurium annorum remissio conceditur, suspectas, & a Quæstuariis confictas nonnullis videri, cum non soleant Pontifices concedere Indulgentias nisi tot annorum, quot solebant Pœnitentiæ injungi, quæ quidem non extendebantur ultra septem, aut decem, aut viginti annos, certe ad totam vitam, quæ ultra centum annos prorogari non solet. Quanquam Toletus lib. 7. cap. 23. Indulgentias hujusmodi recte concedi posse contendit, si per illas intelligatur tantum pœnæ remitti, quantum redimi deberet de peccato per pœnitentiam, quæ tot millibus annorum duraret; cujus quidem pœnæ reatum non est creditu difficile a multis incurri, qui, ut Scriptura loquitur, *Bibunt tanquam aquam iniquitatem*.

§. II.

§. II.
Quis possit concedere Indulgentias, & quænam causæ ad id requirantur.

1. SUpponimus ex Bellarmino lib. 1. de indulg. cap. 5. & Suar. disp. 69 de pœnit. sect. 4. Indulgentiæ concessionem respectu vivorũ fieri per modum cujusdam absolutionis, quæ annexã habet solutionem ex thesauro Ecclesiæ, ut constat ex variis Summi. Pontificum diplomatibus, quæ ibidem refert Bellarm. Diximus, *respectu vivorum*, quia si quæstio sit de defunctis in Purgatorio existentibus, Indulgentiæ ipsis applicantur non per modum absolutionis; cum nullã in eos Ecclesia jurisdictionem obtineat, sed tantummodo per modum solutionis seu suffragii, sicut captivũ apud Turcas detentum Rex Galliæ, non per viam auctoritatis, ut in proprio regno, sed tantum per viam solutionis, ac redemptionis liberare potest. Quovis autem modo cõcedatur Indulgentia, sive per modum absolutionis, quæ annexam habeat solutionem, sive per modum simplicis solutionis, certum est, in concedente requiri jurisdictionem in foro exteriori Ecclesiæ, quia sine illa neque absolutionem concedere, neque bona Ecclesiæ communia, & in ejus thesauro deposita legitime dispensare potest.

Dicendum 1. Summum Pontificem ex jure Divino habere plenissimam potestatem concedendi quaslibet Indulgentias omnibus, & singulis Christi fidelibus. Quod constat tum ex potestate illimitata, a Christo Domino primario, & præ reliquis Apostolis concessa S. Petro, cui succedit Romanus Pontifex, S. Matth. 16. *Tibi dabo claves Regni cælorum, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis* &c. tum etiam ex eo, quod ad conferendas Indulgentias duplex ex parte concedentis requiritur potestas, una in eos, quibus conferuntur, altera in thesaurum Ecclesiæ, ex quo desumuntur; utranque autem illam potestatem in Romano Pontifice plenissimam reperiri, apud omnes Catholicos constat, & plenius adhuc constabit ex iis, quæ infra dicentur tractatu 2. cap. 3. de Legibus. Addit Toletus lib. 6. capite 25. Concilium Generale similem habere potestatem concedendi quascunque Indulgentias etiam plenarias, quod a Concilio Lateranensi actum fuisse dicit.

2. Dicendum 2. Episcopos etiam habere potestatem conferendi aliquas Indulgentias, ut patet ex capite *Nostro*, de Pœnit. & remiss. & ex ipsius Ecclesiæ praxi satis constat. Possunt enim Episcopi conferre Indulgentias unius anni in dedicatione Ecclesiæ, & quadraginta dierum in anniversario dedicationis, quam ultimam indulgentiam possunt, quandocunque ipsis libuerit, ex causa aliqua legitima concedere, ut habetur ex capite, *Cum eo*, de Pœnit. & remiss.

Quærunt Theologi, an Episcopi potestatem illã conferendi Indul-

gentias habeant tantum ex jure humano, seu ex concessione Summi Pontificis, an vero ex jure Divino, &, si ex jure Divino, cur adeo restricta, & limitata sit. Omissis variis Doctorum responsionibus, probabilissime loqui videntur ii, qui asserunt, Episcopos hanc potestatem ex jure Divino habere, cum sint, ut dicit Apostolus, *Dispensatores Mysteriorum Dei*, & a Spiritu Sancto regimini Ecclesiæ præpositi sint. Actor. 20. *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiã Dei*. Quia tamen hoc regimen, & illa dispensatio subordinatur regimini, & dispensationi generali, quam Summus Pontifex in universam Ecclesiam obtinet, ideo penes illum est ejusmodi potestatẽ in Episcopis, ob causas aliquas justas, & rationabiles, extendere, vel restringere, ut docet, & fuse probat Isambertus disp. 3. de Indulg. art. 1. qui ibidem ex Navarro, & aliis observat, Cardinales etiam posse concedere Indulgentias centum dierum, idque non tam a jure, quam a consuetudine, & concessione Summi Pontif.

3. Quod vero spectat ad Abbates, Parochos, &c. recte docet Bellarminus lib. 1. de Indulg. cap. 1. nullos Clericos, aut Sacerdotes Episcopis inferiores ex jure posse concedere Indulgentiàs, sed, ut habetur cap. *Accidentibus*, de excessibus Prælatorũ, solummodo ex commissione Pontificis Maximi, vel Episcoporum. Ubi etiam observat ex S. Doctore in 4. dist. 20. qu. 1. art. 4. qu. 1. nullos proprie loquendo in Ecclesia esse, aut dici debere Prælatos, nisi solos Episcopos, cum sint integri alicujus populi rectores, & quasi in quodam Ecclesiastico Regno præsint hominibus omnium ætatum, sexuum, ordinum, & conditionum; Abbates vero, & Parochi sint quasi unius familiæ patres. Unde cum Indulgentiarum concessio non nisi ad Ecclesiæ Prælatos spectet, sequitur, illam esse Episcoporum propriam, non vero aliorum, qui ipsis sunt in Ecclesia inferiores.

4. Dicendum 2. non solum legitimam auctoritatem, sed etiam justam aliquam, & rationabilem causam requiri ad hoc, ut licite, & valide Indulgentiæ conferantur. Ita S. Thom. S. Bonav. & alii, quos citat. & sequitur Bellarm. sup. cap. 12. Et constat ex Extravag. *Unigenitus*, ubi Clemens VI. dicit, Christum Dominum Ecclesiæ thesaurum per suos Vicarios reliquisse Fidelibus dispensandum *salubriter*, *& ex rationabilibus, & justis causis*. & ex Conc. Constantiensi sess. ultima, ubi dicitur de Hæreticis, interrogandos esse, an credant, Summum Pontificem concedere posse Indulgentias ex *causa rationabili*.

5. Quæres, quænam causa justa, & rationabilis esse censeatur ad cõcedendum Indulgentias. Respondetur juxta probabiliorem Doctorum sententiam ad id requiri, non modo ut causa illa sit pia, & Deo grata, sed etiam ut aliquam habeat cum ipsa Indulgentia proportionem. Ita S. Bonavent Ricardus, Major, Sotus, Navarrus, & alii plures, quos citat, & sequitur Bellarm. cit. cap. 12. Ad hanc autem proportionem duo præsertim requiruntur. Primum est, ut concedatur Indul-

dulgentia ob pium aliquem finem, cujus assecutio sit magis Deo honorifica, & Ecclesiæ utilis, quam pœnitentialis satisfactio, quæ per Indulgentiam relaxatur. Secundum est, ut ad Indulgentiam illam percipiendam opus aliquod faciendum præscribatur, quod sit aptum, & utile ad finem hujusmodi consequendum. Ex. gr. quando Summus Pontifex Indulgentiam concedit iis, qui vere pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti preces, & alia pietatis opera pro hæreseon extirpatione, & Christianorum pace, &c. Deo obtulerint, finis, quem sibi proponit Pontifex, scilicet hæreseon extirpatio, & Christianorum pax, est haud dubie maxime Deo honorificus, & Ecclesiæ proficuus; opera item ad finem illum obtinendum injuncta ad id aptissima sunt, ut per se patet, & sic proportio debita reperitur.

De hac vero causa, ejusque justa proportione penes ipsum concedentem Indulgentias judicium esse debet, ut recte monet Bellarm. supra c. 12. nec subditorum est temere de ejusmodi rebus judicare. Imo (ut docet Isambert. disp 3. art. 4.) periculosum est quascunque Indulgentias quibuslibet ex causis concessas parvi facere. Unde idem observat, Indulgentias illas, quæ conceduntur usui granorum benedictorum, rosariorum, piarum imaginum, & similium rerum, quæ minimi momenti videntur, ex causa maxime justa, ac rationabili a Summis Pontificibus interdum posse concedi.

Recte tamen observat Laymannus c. 4. de Indulg. post Navarrum, & alios, quamvis causa sufficiens, & justa in concessione Indulgentiæ alicujus, verbi gr. plenariæ, reperiatur, fieri tamen posse, ut non omnes integram consequantur, si videlicet illorum aliqui, ad maximam pro peccatis commissis temporalem pœnam obeundam obligati, opus injunctum tepide peragant, quia quamvis causa Indulgentiæ in se justa sit, illorum tamen respectu aliquo pacto deficit, ob imperfectam dispositionem. Quod etiam constat ex Extravag. 1. Bonifacii VIII. de Pœn. & rem. & ex S. Bonavent. in 4. dist 20. par. 2. a. 7. quæst. 9. ubi dicit, *Homines plus, vel minus participare de Indulgentia, prout plus, vel minus ad illius causam accedunt.*

§. III.

Quænam conditiones requirantur in eo, qui Indulgentiarum fructum percipere intendit.

1. PRima conditio est, ut sit homo baptizatus, ut ex communi, & certa Theologorum sententia docet Suarez disp. 53 sect. 4. Thesaurus siquidem Ecclesiæ valide dispensari non potest, nisi filiis Ecclesiæ, nec absolvi possunt ab Ecclesia, qui ejus jurisdictioni non subsunt. Navarrus tamen, & alii apud Laymannum cap. 6. de Indulgentiis existimant, probabile esse Catechumenis tum vivis, tum defunctis Indulgentias per modum suffragii prodesse posse.

Se-

Secunda conditio est, ut is, qui percipit Indulgentias, subditus sit illius, qui eas concessit. Neque enim nisi subditis Indulgentiæ concedi possunt, ut habetur ex capite, *Quod autem*, & ex dictis paragrapho præcedenti constat.

Tertia conditio est, ut non sit excommunicatione aliqua majori ligatus. Hæc enim privat hominem participatione bonorum spiritualium communium, ut supponimus ex dicendis infra suo loco.

Quarta conditio est, ut sit in statu Gratiæ sanctificantis eo tempore, quo Indulgentiæ fructum percipit. Pœnæ siquidem temporalis remissio culpæ remissionem præsupponit, ut ex S. Thomæ, & aliorum Theologorum communi sententia docet Bellarminus cap. 13. & ex ante dictis satis constat.

2. Verum circa hanc quartam conditionē difficultas est, an status Gratiæ requiratur in suscipiente Indulgentiam, non solum quando ejus fructum percipit, sed etiam cum exequitur opera ad illius perceptionem injuncta. Palud. Antonin. & alii apud Bellarmin. supra existimant, satis esse, ut is, qui lucratur Indulgentiam, sit in statu Gratiæ eo tempore, quo ejus fructum percipit. Cajetanus tamen, Sotus, & alii apud eundem Bellarm. asserunt, requiri Gratiæ statum etiam tunc, quando injunctum opus perficitur. Quorum sententiam Bellarm. censet esse tutiorem, & in quibusdam etiam casibus omnino certam; cum videlicet præscribitur, ut opera injuncta in statu Gratiæ fiant, quod in plurimis Summorum Pontificum diplomatibus præscribitur, in quibus Indulgentia conceditur iis, qui vere contriti, & confessi Ecclesias aliquas visitaverint, ibique oraverint pro pace, &c. Imo Bellarminus existimat, id semper subintelligi, quamvis non exprimatur, modo injunctum opus tale sit, ut minime conferat ad finem, ad quem Indulgentia confertur, v.g. ad placandum Deum, & impetrandam pacem, nisi fiat in statu Gratiæ: Peccatores enim Deus non exaudit nec per opera mortua justitia ejus placari, aut misericordia exorari potest. Quare consultissimum est, ut, quando quis Indulgentiam percipere cupit, primum peccata sua vel sacramentali confessione, vel saltem perfectæ Contritionis actu eluere curet: quæ quidem contritio ad omnia peccata, non solum mortalia, sed etiam venialia, extendi debet, ut ad remissionem pœnarum illis debitarum indulgentia quoque extendatur.

3. Quinta denique conditio est, ut is, qui Indulgentiam percipere cupit, id omne perficiat, quod ad illam consequendam injunctum fuerit. Unde si ex ignorantia, aut oblivione, aut etiam justo aliquo impedimento, partem aliquam operis injuncti quamvis inculpabiliter omittat, effectum Indulgentiæ non consequitur, ut ex S. Th. & aliis docet Bellarm. quia secundum commune Theologorum axioma, *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant*.

Quæres, utrū, quando in Pontificiis diplomatibus habetur, indulgen-

gentiam concedi pœnitentibus vere contritis, & confessis, confessio sacramentalis necessaria sit ad eam lucrandam. Respondetur secundum probabiliorem & tutiorem sententiã, in eo, qui peccati alicujus mortalis sibi conscius est, requiri actualem confessionem, quando illius mentio expressa habetur in Pontificiis Litteris, nec sufficere solam contritionem, quamvis veram, & perfectam, ut asserunt S. Antonin. Adrianus, Navarr. & plures alii apud Bellarmin. supra: in eo autem, qui nullius peccati mortalis conscientiam habet, actualem confessionem minime esse necessariam, ut docent idem S. Antoninus, Suarez, & alii apud Laymannum capite 6. de Indulgentiis.

Quod spectat ad Indulgentias, quæ defunctis Fidelibus in Purgatorio existentibus applicantur, certum est, id ab Ecclesia valide, & fructuose fieri posse. Fideles siquidem defuncti cum Fidelibus viventibus ita conjuncti sunt, ut unam cum illis Ecclesiam efficiant. Proindeque si particularibus suffragiis, & orationibus viventium juvari possunt; a fortiori poterunt per applicationem satisfactionum Christi, & Sanctorum sublevari. Et hæc est communis, & certa Doctrina sancti Thom. sancti Bonaventuræ, & aliorum Doctorum, quos citat Bellarminus cap. 14. Quæ etiã ex communi Ecclesiæ praxi satis constat, in qua (ut idem refert) Paschalis I. qui ante septingentos annos Apostolicam Sedem obtinuerat, & plures alii Summi Pontifices Indulgentias defunctis applicandas concesserunt.

4. Quærunt aliqui, utrũ Indulgentiæ pro defunctis concessæ certo, ac infallibiliter illis prosint. Affirmant Sotus, Navarr. Suarez, & alii, quos citat Laymann. c. 7. de Indulg. Quorum sententia licet sit probabilis, contraria tamen, quæ est sancti Bonaventuræ, Ricardi, Durandi, Cordubensis, & aliorum, quos citat, & sequitur idem, quæ est, hunc Indulgentiarum pro defunctis effectum pendere ex liberali Dei acceptantis voluntate, probabilior videtur, cum neque ex ullo Scripturæ loco, neque ex ulla certa traditione constet, Deum illas satisfactiones ex Ecclesiæ thesauro depromptas, & ab eadem Ecclesia sibi oblatas pro defũctorum liberatione se acceptaturum promisisse; præsertim cum ipsa Ecclesia Indulgentias illas pro defunctis concedat, non per modum absolutionis, sed per modum suffragii, tanquam ipsum Deum supplicans, ut ejusmodi satisfactionem, seu solutionem pro defunctorum sublevatione misericorditer acceptare dignetur.

Quod etiam ex ipsius Ecclesiæ praxi confirmari potest, quæ post applicatam alicui defuncto in particulari plenariam Indulgentiam, v. g. per Sacrificium in altari privilegiato pro ipso oblatum, nihilominus pro eodem orare, & sacrificare nõ desinit: quo facto tacite declarare videtur, Indulgentias, quamvis maxime salutares, non tamen semper infallibilem effectum pro ipsis defunctis habere, sed pendere ex Divina misericordia. Quod tamen non debet Fideles viventes reddere segniores, imo potius excitare, ut majori affectu, & charitate

ipsis

ipsis Fidelibus defunctis per orationes, aut Sacrificia, aut Indulgentiarum applicationem, aut alium quemcumque modum opitulentur.

§. IV.
Quid de Purgatorio sentiendum sit.

1. Catholica veritas, cui firmiter adhærendum est, docet, esse Purgatorium, id est locum quendam, in quo tanquam in carcere post hanc vitam usque ad certum, & definitum tempus detinentur, ac purgantur animæ Fideles, quæ in statu quidem Gratiæ, sed tamen nondum plene a peccatis purgatæ e corporibus exierunt, ubi Fidelium vivorum orationibus, & suffragiis, ac præsertim sanctissimo Missæ Sacrificio possunt sublevari. Hanc veritatem olim Vualdenses, Albigenses, Apostolici, & plures alii Catholicæ Fidei hostes impugnarunt, ut videre est apud Bellarminum lib. 1. de Purg. cap. 2. quibus adjunxerunt se hodierni Hæretici tam Lutherani, quam Calvinistæ, qui omnes nullum esse post hanc vitam Purgatorium contendunt, sed animas, statim ut a corporibus separantur, vel in Cœlum evehi, vel in Infernum detrudi.

Refellitur hic error, & nostræ Fidei veritas probatur 1. ex Scriptura. 2. Mach. 12. ubi dicitur, quod *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*, quæ verba cum neque de beatis, neque de damnatis intelligi possint, sequitur, ut de quodam tertio hominum genere sint intelligenda, qui habeant adhuc aliqua vincula, a quibus post mortem solvi queant; proindeque de illis, qui in Purgatorio detinentur. Hunc autem librum Machabæorum esse Canonicum (quidquid Hæretici in contrarium dicant) constat non modo ex Concilio Trid. sess. 4. in decr. de Canonicis scripturis, sed etiam ex Concilio Carthaginensi III. cui interfuit, ac subscripsit S. Augustinus cap. 47. item ex S. Innocentio I. Epist. ad Exuperium cap. ult. & ex Gelasio I. in Concilio septuaginta Episcoporum, ut refertur distinct. 15. capite, *Sancta Romana*. Probatur etiam ex Isaiæ 4. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii, & spiritu ardoris*, quem locum de pœna Purgatorii explicat S. Aug. lib. 20. de Civ. c. 25. Item ex Matth. 12. ubi dicit Dominus, quædam peccata esse, quæ non remittuntur neque in hoc sæculo, neque in futuro: unde colligunt SS. Patres, quædam peccata remitti in futuro sæculo, id est post hanc vitam, per orationes, & suffragia Ecclesiæ. Ita S. August. lib. 21. de Civ. c. 24. & lib. 9. in Julianum c. 5. Gregorius lib. 4. Dialog. c. 39. & S. Bernardus Homil. 66. in Cantica.

2. Prob. 2. ex variis Conciliis, in quibus præscribitur, ut orationes, & suffragia pro defunctis Fidelibus offerantur, ut in Conc. Carthag. III. cap. 29. Bracarensi I. cap. 39. & Aurelian. II. cap. 14. Unde sequi-

quitur, aliquos Fideles defunctos in tali loco esse, ubi orationibus, & suffragiis [illegible] entium juvari possint, proindeque esse in Purgatorio.

Pr[illegible] 3. ex SS. Patribus, qui Purgatorium apertissime asserunt, ut [illegible]. Nissenus oratione pro mortuis circa medium, ubi de Ju[illegible] vita excedente loquens dicit, *quod non poteris a corpore e[illegible] Divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas Pur[illegible] ignis abstuleris.* & S. Aug. l. 21. de Civ. c. 24. loquens de Justis, q[illegible] levibus peccatis decedunt, *Tales* (inquit) *constat ante Judicii die[illegible] per pœnas temporales, quas eorũ spiritus patiuntur, purgatos æternis suppliciis non tradendos.* Item ex aliis SS. Patribus, qui pro Fidelibus defunctis orandum, ac Missæ Sacrificium offerendum esse dixerunt, ut S. Cyrill. Hierosol. Catec. 5. Mystag. *Pro omnibus*, inquit, *oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum credentes esse animarum juvamen.* S. Greg. l. 4. Dialog. c. 55. *Multum*, inquit, *solet animas etiam post mortem sacra oblatio Hostiæ salutaris adjuvare, ita ut hanc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur.*

3. Porro cum tantummodo Fidelium Justorum animæ in Purgatorio detineantur, quæ ab omni peccati mortalis reatu immunes ex hac vita decedunt, sequitur, ut ob duas tantum causas ibi purgari debeant, nimirum vel pro peccatis venialibus, cum quibus nondum quoad culpam remissis e corporibus exierunt, vel pro pœnis temporalibus, quæ peccatis mortalibus, aut venialibus quoad culpam remissis debentur, pro quibus plene non satisfecerunt.

Hæ autem animæ in Purgatorio existentes pro peccatorum illorũ expiatione gravissimas haud dubie pœnas patiuntur, adeo ut SS. Patres doceant, pœnas illas Purgatorii quibuscunque hujus vitæ pœnis esse longe graviores, ut S. Aug. in Psal. 37. S. Greg. in Psal. 3. pœnitentialem, & alii, quos citat Gammachæus c. 5. de Purgat.

Quamvis autem Doctores quidam Catholici, ut Dionys. Carthusianus l. de quatuor novissimis ar. 47. & Michael Bajus l. 2. de meritis operum c. 8. existiment, gravissimam animarum illarum pœnam in eo consistere, quod nullam suæ salutis habeant certitudinem, sed quasi suspensæ, & dubiæ occulta quadam Judicii Divini dispositione teneantur; communis tamen Theologorum doctrina est, animas Fideles in Purgatorio detentas de salute sua æterna certas, ac securas esse: tum quia (ut docet S. Th.) spes Theologica in illis manet, ac proinde etiam Fides, ex qua certissime scire possunt, animas in Purgatorio detentas esse salvandas, aliunde vero satis certo sciunt, se esse in Purgatorio; non vero in Inferno: tum ex dictamine propriæ conscientiæ. Norunt enim, se Deum super omnia amare, nec ullo adversus eum odio moveri, neque etiam ab aliis animabus secum detentis vident illum blasphemari, ut fit a reprobis in Inferno, sed potius laudari. Quæ omnia fusius explicata, & probata habentur apud Gammachæum cap. 3. & ult. de Purgatorio, & Bellarminum lib.

APPENDIX

De Indulgentiis, & Purgatorio.

QUoniam supra diximus, posse Confessarium injungendarum satisfactionum rigorem minuere occasione Indulgentiarum, pœnasque temporales peccatis quoad maculam remissis debitas, quibus in hac vita satisfactum minime fuerit, post hanc vitam in Purgatorio esse luendas; ut utrunque melius, & certius intelligatur, Appendicem hanc de Indulgentiis, & Purgatorio apposuimus, in qua quid de utroque secundum Catholicæ Fidei normam sentiendum sit, breviter explicabimus.

§. I.
Quid sit, & quotuplex Indulgentia.

1. INdulgentiæ nomen secundum communem, & receptum Ecclesiæ usum significat pœnæ temporalis peccato quoad culpam remisso debitæ condonationem, quæ fit ab Ecclesia ex justa aliqua, & rationabili causa per applicationem satisfactionum Christi Domini, ut fuse docet, & explicat Bellarm. lib. 1. de Ind. cap. 1. & 2. Quod ut evidentius fiat, duo nobis hic breviter demonstranda sunt.

Primum est, extare in Ecclesia Thesaurum quendam, unde applicandæ Fidelibus Indulgentiæ proferuntur, qui Thesaurus constat in primis ex satisfactionibus ipsius Christi Domini, quarum valor cum infinitus fuerit, ut ex dictis 1. par. tr. 5. constat, quantacunque fiat illarum applicatio, thesaurus ille nunquam exhauriri potest: constat etiam ex satisfactionibus superabundantibus Sanctorum, quorum aliquos certum est longe plura passos esse, quam peccata commissa promerita fuerint (quod de Sanctissima Virgine Deipara negare nemo potest, & de Sancto Joanne Baptista, multisque aliis pietas facile suadebit) quibus passionibus voluntarie ab iis, & ex perfecta charitate acceptatis vis quædam inerat, non modo meritoria, cujus fructum in cœlo percipiunt, sed etiam satisfactoria, quam licet ipsis minime necessariam, ut supponimus, aliis tamen maxime utilem, & salutarem esse posse, Ecclesia semper agnovit, ut ex communione Sanctorum, quam in Symbolo profitemur, aliisque Scripturæ locis fuse probat Isambertus tr. 1. de Indulg. disp. 1. art. 3. & Gammachæus disp. unica de Indulgent. cap. 2. ubi etiam ex communi Doctorum sententia variis argumentis ostendunt, justum in hac vita non solum

lum pro suis, sed etiam pro alterius justi peccatis, ob charitatis unionem, Deo satisfacere posse.

2. Porro has Sanctorum satisfactiones Christi Domini satisfactionibus conjungit Ecclesia, non ut ullum harum defectum suppleat, cum perfectissimæ sint, neque ut earundem valori infinito quidquam superaddat, sed tum ut ipsius Christi virtutem in Sanctis ejus veneretur, tum ut eorum perfectam cum Christo capite unionem, & membrorum ejusdem capitis in utraque Ecclesia triumphante, ac militante communionem demonstret.

3. Secundum est, supra dicti Thesauri dispensationem a Christo Domino Ecclesiæ creditam fuisse, ut habetur in Extravag. *Unigenitus* de pœnit. & remiss. & in Conc. Trid. sess. 25. decret. de Indulg. Et probari potest tum ex illis Christi Dom. verbis Matth. 16. *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*; quibus potestas generalis, & amplissima conceditur vincula quæcunque solvendi, quibus a consecutione salutis homines præpediri possent; tum etiam ex continua, & universali praxi, quæ jam inde a tempore Apostolorum, & consequentibus sæculis ad hæc usque tempora Ecclesiæ perseveravit. S. Paulus siquidem Indulgentiam Corinthio incestuoso pœnitenti concessit, ad instantiam aliorum Fidelium, qui pro illo intercesserant, ut docent S. Th. & Theodoretus in commentariis super cap. 2. Epist. 2. ad Corinth. Similiter Indulgentias ad postulationem Martyrum, qui in carceribus ob Christi Confessionem detinebantur, pœnitentibus concessas fuisse, constat ex variis testimoniis Tertulliani, S. Cypriani, & aliorum, qui apud Bellarminum cap. 3. referuntur. De earundem postea Indulgentiarum usu mentio fit in Conc. Nicæno I. can. 11. Ancyrano can. 5. Laodiceno can. 2. & aliis passim usque ad Gregorium Magnum, a cujus temporibus usus Indulgentiarum notior adhuc, & frequentior in universa Ecclesia fuit, ut fuse ostendit idem Bellarminus supra.

Ex quibus constat, quam falso, & temerarie hodierni Hæretici Indulgentias ab Ecclesia concedi posse negent, quorũ error vel eo solo nomine proscribi deberet, quod non alios patronos agnoscat, quam Vvaldenses, qui primi Indulgentias impugnarunt, ut observat idem Bellarminus supra, apud quem fusior Hæreticorum illorum refutatio, & veritatis nostræ Fidei probatio videri potest.

4. Quæres, quis sit Indulgentiarum effectus, seu a quibus pœnis per Indulgentias liberemur. Respondetur, per concessionem Indulgentiarum nos minime liberari a pœnis naturalibus, quæ peccatum originale consequuntur, neque etiam a pœnis ob delicta in foro externo, sive Ecclesiastico, sive Politico subeundis, sed a pœnis illis temporalibus, quæ ob peccata post Baptismum commissa, & quoad culpam remissa debentur in foro interiori Divinæ justitiæ, seu, ut loquuntur Theologi, in foro animæ, quæque vel in hac

vita, vel post illam in Purgatorio luendæ forent, si homo prius moreretur, quam condignam pro illis offerret satisfactionem, ita ut per Indulgentiarum concessionem a pœnarum illarum reatu liberemur, non modo coram Ecclesia, ut olim nonnulli dixerunt, quos refellit S. Doctor in 4 dist. 20. qu. 1. art. 3. sed etiam vere corã Deo, ut fuse ex eodem S. Doct. & aliis probat idem Bellarminus supra, & post illum Gammacharus disp. unic. de Indulgent. cap. 5.

5. Sunt autem variæ, & multiplices Indulgentiæ pro varia, & multiplici concessionum forma, & concedentium voluntate. Interdum enim conceduntur Indulgentiæ aliquot dierum, vel annorum, vel quadragenarum, interdum tertia, vel quarta, aut alia pars peccatorum per Indulgentiam condonatur, aliquando plenaria Indulgentia conceditur, aliquando plenissima, & in forma Jubilæi. Et quidem quando conceditur Indulgentia tot dierum, vel annorum, vel quadragenarum, sensus est, per illam Indulgentiam remitti tantum pœnæ temporalis pro peccatis commissis, & quoad culpam deletis in hac vita, aut in altera luendæ, quantum redimeretur per pœnitentiam tot diebus, vel annis, vel quadragenis secundum antiquos Ecclesiæ Canones imponi solitam, ut explicant Paludanus, Maior, S. Antoninus, Sotus, Suarez, & alii apud Laymannum tract. 7. de Indulgent. cap. 3 Similiter quando per Indulgentiam condonatur tertia, vel quarta pars peccatorum, nihil aliud significatur, quam remitti tertiam, vel quartam partem pœnæ illius temporalis pro peccatis luendæ. Plenaria vero Indulgentia totam pœnam temporalem peccato quoad culpam remisso debitam tollit; quod similiter facit illa, quæ dicitur plenissima, & in forma Jubilæi, nec a plenaria differt, nisi in quantum simul cum Indulgentia facultates aliquæ conceduntur ad eligendum Confessarium, qui a casibus quibuslibet, & censuris absolvat, & in votis, aut irregularitatibus dispenset, ut fieri solet in Jubilæis. Quæ omnia fusius explicata, & probata reperiũtur apud eundem Bellarm. supra cap. 9 ubi monet Indulgentias illas, in quibus mille, & plurium annorum remissio conceditur, suspectas, & a Quæstuariis confictas nonnullis videri, cum non soleant Pontifices concedere Indulgentias nisi tot annorum, quot solebant Pœnitentiæ injungi, quæ quidem non extendebantur ultra septem, aut decem, aut viginti annos, certe ad totam vitam, quæ ultra centum annos prorogari non solet. Quanquam Toletus lib. 7. cap. 23. Indulgentias hujusmodi recte concedi posse contendit, si per illas intelligatur tantum pœnæ remitti, quantum redimi deberet de peccato per pœnitentiam, quæ tot millibus annorum duraret; cujus quidem pœnæ reatum non est creditu difficile a multis incurri, qui, ut Scriptura loquitur, *Bibunt tanquam aquam iniquitatem*.

§. II.

§. II.

Quis possit concedere Indulgentias, & quænam causæ ad id requirantur.

1. SUpponimus ex Bellarmino lib. 1. de indulg. cap. 5. & Suar. disp. 69 de pœnit. sect. 4. Indulgentiæ concessionem respectu vivorũ fieri per modum cujusdam absolutionis, quæ annexã habet solutionem ex thesauro Ecclesiæ, ut constat ex variis Summ. Pontificum diplomatibus, quæ ibidem refert Bellarm. Diximus, *respectu vivorum*, quia si quæstio sit de defunctis in Purgatorio existentibus, Indulgentiæ ipsis applicantur non per modum absolutionis; cum nullã in eos Ecclesia jurisdictionem obtineat, sed tantummodo per modum solutionis seu suffragii, sicut captivũ apud Turcas detentum Rex Galliæ, non per viam auctoritatis, ut in proprio regno, sed tantum per viam solutionis, ac redemptionis liberare potest. Quovis autem modo cõcedatur Indulgentia, sive per modum absolutionis, quæ annexam habeat solutionem, sive per modum simplicis solutionis, certum est, in concedente requiri jurisdictionem in foro exteriori Ecclesiæ, quia sine illa neque absolutionem concedere, neque bona Ecclesiæ communia, & in ejus thesauro deposita legitime dispensare potest.

Dicendum 1. Summum Pontificem ex jure Divino habere plenissimam potestatem concedendi quaslibet Indulgentias omnibus, & singulis Christi fidelibus. Quod constat tum ex potestate illimitata, a Christo Domino primario, & præ reliquis Apostolis concessã S. Petro, cui succedit Romanus Pontifex, S. Matth. 16. *Tibi dabo claves Regni cælorum, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis* &c. tum etiam ex eo, quod ad conferendas Indulgentias duplex ex parte concedentis requiritur potestas, una in eos, quibus conferuntur, altera in thesaurum Ecclesiæ, ex quo desumuntur; utranque autem illam potestatem in Romano Pontifice plenissimam reperiri, apud omnes Catholicos constat, & plenius adhuc constabit ex iis, quæ infra dicentur tractatu 2. cap. 3. de Legibus. Addit Toletus lib. 6. capite 25. Concilium Generale similem habere potestatem concedendi quascunque Indulgentias etiam plenarias, quod a Concilio Lateranensi actum fuisse dicit.

2. Dicendum 2. Episcopos etiam habere potestatem conferendi aliquas Indulgentias, ut patet ex capite *Nostro*, de Pœnit. & remiss. & ex ipsius Ecclesiæ praxi satis constat. Possunt enim Episcopi conferre Indulgentias unius anni in dedicatione Ecclesiæ, & quadraginta dierum in anniversario dedicationis, quam ultimam indulgentiam possunt, quandocunque ipsis libuerit, ex causa aliqua legitima concedere, ut habetur ex capite, *Cum eo*, de Pœnit. & remiss.

Quærunt Theologi, an Episcopi potestatem illã conferendi Indul-

gentias habeant tantum ex jure humano, seu ex concessione Summi Pontificis, an vero ex jure Divino, &, si ex jure Divino, cur adeo restricta, & limitata sit. Omissis variis Doctorum responsionibus, probabilissime loqui videntur ii, qui asserunt, Episcopos hanc potestatem ex jure Divino habere, cum sint, ut dicit Apostolus, *Dispensatores Mysteriorum Dei*, & a Spiritu Sancto regimini Ecclesiæ præpositi sint. Actor. 20. *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiã Dei.* Quia tamen hoc regimen, & illa dispensatio subordinatur regimini, & dispensationi generali, quam Summus Pontifex in universam Ecclesiam obtinet, ideo penes illum est ejusmodi potestaté in Episcopis, ob causas aliquas justas, & rationabiles, extendere, vel restringere, ut docet, & fuse probat Isambertus disp. 3. de Indulg. art. 1. qui ibidem ex Navarro, & aliis observat, Cardinales etiam posse concedere Indulgentias centum dierum, idque non tam a jure, quam a consuetudine, & concessione Summi Pontif.

3. Quod vero spectat ad Abbates, Parochos, &c. recte docet Bellarminus lib. 1. de Indulg. cap. 1. nullos Clericos, aut Sacerdotes Episcopis inferiores ex jure posse concedere Indulgentiàs, sed, ut habetur cap. *Accidentibus*, de excessibus Prælatorũ, solummodo ex commissione Pontificis Maximi, vel Episcoporum. Ubi etiam observat ex S. Doctore in 4. dist. 20. qu. 1. art. 4. qu. 1. nullos proprie loquendo in Ecclesia esse, aut dici debere Prælatos, nisi solos Episcopos, cum sint integri alicujus populi rectores, & quasi in quodam Ecclesiastico Regno præsint hominibus omnium ætatum, sexuum, ordinum, & conditionum; Abbates vero, & Parochi sint quasi unius familiæ patres. Unde cum Indulgentiarum concessio non nisi ad Ecclesiæ Prælatos spectet, sequitur, illam esse Episcoporum propriam, non vero aliorum, qui ipsis sunt in Ecclesia inferiores.

4. Dicendum 3. non solum legitimam auctoritatem, sed etiam justam aliquam, & rationabilem causam requiri ad hoc, ut licite, & valide Indulgentiæ conferantur. Ita S. Thom. S. Bonav. & alii, quos citat. & sequitur Bellarm. sup. cap. 12 Et constat ex Extravag. *Unigenitus*, ubi Clemens VI. dicit, Christum Dominum Ecclesiæ thesaurum per suos Vicarios reliquisse Fidelibus dispensandum *salubriter*, *& ex rationabilibus, & justis causis*. & ex Conc. Constantiensi sess. ultima, ubi dicitur de Hæreticis, interrogandos esse, an credant, Summum Pontificem concedere posse Indulgentias ex *causa rationabili*.

5. Quæres, quænam causa justa, & rationabilis esse censeatur ad cõcedendum Indulgentias. Respondetur juxta probabiliorem Doctorum sententiam ad id requiri, non modo ut causa illa sit pia, & Deo grata, sed etiam ut aliquam habeat cum ipsa Indulgentia proportionem. Ita S. Bonavent Ricardus, Major, Sotus, Navarrus, & alii plures, quos citat, & sequitur Bellarm. cit. cap. 12. Ad hanc autem proportionem duo præsertim requiruntur. Primum est, ut concedatur Indul-

dulgentia ob pium aliquem finem, cujus assecutio sit magis Deo honorifica, & Ecclesiæ utilis, quam pœnitentialis satisfactio, quæ per Indulgentiam relaxatur. Secundum est, ut ad Indulgentiam illam percipiendam opus aliquod faciendum præscribatur, quod sit aptum, & utile ad finem hujusmodi consequendum. Ex. gr. quando Summus Pontifex Indulgentiam concedit iis, qui vere pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti preces, & alia pietatis opera pro hæreseon extirpatione, & Christianorum pace, &c. Deo obtulerint, finis, quem sibi proponit Pontifex, scilicet hæreseon extirpatio, & Christianorum pax, est haud dubie maxime Deo honorificus, & Ecclesiæ proficuus; opera item ad finem illum obtinendum injuncta ad id aptissima sunt, ut per se patet, & sic proportio debita reperitur.

De hac vero causa, ejusque justa proportione penes ipsum concedentem Indulgentias judicium esse debet, ut recte monet Bellarm. supra c. 12. nec subditorum est temere de ejusmodi rebus judicare. Imo (ut docet Isambert. disp 3. art. 4.) periculosum est quascunque Indulgentias quibuslibet ex causis concessas parvi facere. Unde idem observat, Indulgentias illas, quæ conceduntur usui granorum benedictorum, rosariorum, piarum imaginum, & similium rerum, quæ minimi momenti videntur, ex causa maxime justa, ac rationabili a Summis Pontificibus interdum posse concedi.

Recte tamen observat Laymannus c. 4. de Indulg. post Navarrum, & alios, quamvis causa sufficiens, & justa in concessione Indulgentiæ alicujus, verbi gr. plenariæ, reperiatur, fieri tamen posse, ut non omnes integram consequantur, si videlicet illorum aliqui, ad maximam pro peccatis commissis temporalem pœnam obeundam obligati, opus injunctum tepide peragant, quia quamvis causa Indulgentiæ in se justa sit, illorum tamen respectu aliquo pacto deficit, ob imperfectam dispositionem. Quod etiam constat ex Extravag. 1. Bonifacii VIII. de Pœn. & rem. & ex S. Bonavent. in 4. dist 20. par. 2. a. 7. quæst. 9. ubi dicit, *Homines plus, vel minus participare de Indulgentia, prout plus, vel minus ad illius causam accedunt.*

§. III.

Quænam conditiones requirantur in eo, qui Indulgentiarum fructum percipere intendit.

1. PRima conditio est, ut sit homo baptizatus, ut ex communi, & certa Theologorum sententia docet Suarez dis. 53 sect. 4. Thesaurus siquidem Ecclesiæ valide dispensari non potest, nisi filiis Ecclesiæ, nec absolvi possunt ab Ecclesia, qui ejus jurisdictioni non subsunt. Navarrus tamen, & alii apud Laymannum cap. 6. de Indulgentiis existimant, probabile esse Catechumenis tum vivis, tum defunctis Indulgentias per modum suffragii prodesse posse.

Se-

Secunda conditio est, ut is, qui percipit Indulgentias, subditus sit illius, qui eas concessit. Neque enim nisi subditis Indulgentiæ concedi possunt, ut habetur ex capite, *Quod autem*, & ex dictis paragrapho præcedenti constat.

Tertia conditio est, ut non sit excommunicatione aliqua majori ligatus. Hæc enim privat hominem participatione bonorum spiritualium communium, ut supponimus ex dicendis infra suo loco.

Quarta conditio est, ut sit in statu Gratiæ sanctificantis eo tempore, quo Indulgentiæ fructum percipit. Pœnæ siquidem temporalis remissio culpæ remissionem præsupponit, ut ex S. Thomæ, & aliorum Theologorum communi sententia docet Bellarminus cap. 13. & ex ante dictis satis constat.

2. Verum circa hanc quartam conditionẽ difficultas est, an status Gratiæ requiratur in suscipiente Indulgentiam, non solum quando ejus fructum percipit, sed etiam cum exequitur opera ad illius perceptionem injuncta. Palud. Antonin. & alii apud Bellarmin. supra existimant, satis esse, ut is, qui lucratur Indulgentiam, sit in statu Gratiæ eo tempore, quo ejus fructum percipit. Cajetanus tamen, Sotus, & alii apud eundem Bellarm. asserunt, requiri Gratiæ statum etiam tunc, quando injunctum opus perficitur. Quorum sententiam Bellarm. censet esse tutiorem, & in quibusdam etiam casibus omnino certam; cum videlicet præscribitur, ut opera injuncta in statu Gratiæ fiant, quod in plurimis Summorum Pontificum diplomatibus præscribitur, in quibus Indulgentia conceditur iis, qui vere contriti, & confessi Ecclesias aliquas visitaverint, ibique oraverint pro pace, &c. Imo Bellarminus existimat, id semper subintelligi, quamvis non exprimatur, modo injunctum opus tale sit, ut minime conferat ad finem, ad quem Indulgentia confertur, v.g. ad placandum Deum, & impetrandam pacem, nisi fiat in statu Gratiæ: Peccatores enim Deus non exaudit nec per opera mortua justitia ejus placari, aut misericordia exorari potest. Quare consultissimum est, ut, quando quis Indulgentiam percipere cupit, primum peccata sua vel sacramentali confessione, vel saltem perfectæ Contritionis actu eluere curet: quæ quidem contritio ad omnia peccata, non solum mortalia, sed etiam venialia, extendi debet, ut ad remissionem pœnarum illis debitarum indulgentia quoque extendatur.

3. Quinta denique conditio est, ut is, qui Indulgentiam percipere cupit, id omne perficiat, quod ad illam consequendam injunctum fuerit. Unde si ex ignorantia, aut oblivione, aut etiam justo aliquo impedimento, partem aliquam operis injuncti quamvis inculpabiliter omittat, effectum Indulgentiæ non consequitur, ut ex S. Th. & aliis docet Bellarm. quia secundum commune Theologorum axioma, *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant*.

Quæres, utrũ, quando in Pontificiis diplomatibus habetur, indul-

gen-

gentiam concedi pœnitentibus vere contritis, & confessis, confessio sacramentalis necessaria sit ad eam lucrandam. Respondetur secundum probabiliorem & tutiorem sententiã, in eo, qui peccati alicujus mortalis sibi conscius est, requiri actualem confessionem, quando illius mentio expressa habetur in Pontificiis Litteris, nec sufficere solam contritionem, quamvis veram, & perfectam, ut asserunt S. Antonin. Adrianus, Navarr. & plures alii apud Bellarmin. supra: in eo autem, qui nullius peccati mortalis conscientiam habet, actualem confessionem minime esse necessariam, ut docent idem S. Antoninus, Suarez, & alii apud Laymannum capite 6. de Indulgentiis.

Quod spectat ad Indulgentias, quæ defunctis Fidelibus in Purgatorio existentibus applicantur, certum est, id ab Ecclesia valide, & fructuose fieri posse. Fideles siquidem defuncti cum Fidelibus viventibus ita conjuncti sunt, ut unam cum illis Ecclesiam efficiant. Proindeque si particularibus suffragiis, & orationibus viventium juvari possunt; a fortiori poterunt per applicationem satisfactionum Christi, & Sanctorum sublevari. Et hæc est communis, & certa Doctrina sancti Thom. sancti Bonaventuræ, & aliorum Doctorum, quos citat Bellarminus cap. 14. Quæ etiã ex communi Ecclesiæ praxi satis constat, in qua (ut idem refert) Paschalis I. qui ante septingentos annos Apostolicam Sedem obtinuerat, & plures alii Summi Pontifices Indulgentias defunctis applicandas concesserunt.

4. Quærunt aliqui, utrũ Indulgentiæ pro defunctis concessæ certo, ac infallibiliter illis prosint. Affirmant Sotus, Navarr. Suarez, & alii, quos citat Laymann. c. 7. de Indulg. Quorum sententia licet sit probabilis, contraria tamen, quæ est sancti Bonaventuræ, Ricardi, Durandi, Cordubensis, & aliorum, quos citat, & sequitur idem, quæ est, hunc Indulgentiarum pro defunctis effectum pendere ex liberali Dei acceptantis voluntate, probabilior videtur, cum neque ex ullo Scripturæ loco, neque ex ulla certa traditione constet, Deum illas satisfactiones ex Ecclesiæ thesauro depromptas, & ab eadem Ecclesia sibi oblatas pro defũctorum liberatione se acceptaturum promisisse; præsertim cum ipsa Ecclesia Indulgentias illas pro defunctis concedat, non per modum absolutionis, sed per modum suffragii, tanquam ipsum Deum supplicans, ut ejusmodi satisfactionem, seu solutionem pro defunctorum sublevatione misericorditer acceptare dignetur.

Quod etiam ex ipsius Ecclesiæ praxi confirmari potest, quæ post applicatam alicui defuncto in particulari plenariam Indulgentiam, v. g. per Sacrificium in altari privilegiato pro ipso oblatum, nihilominus pro eodem orare, & sacrificare nõ desinit: quo facto tacite declarare videtur, Indulgentias, quamvis maxime salutares, non tamen semper infallibilem effectum pro ipsis defunctis habere, sed pendere ex Divina misericordia. Quod tamen non debet Fideles viventes reddere segniores, imo potius excitare, ut majori affectu, & charitate

ipsis

ipsis Fidelibus defunctis per orationes, aut Sacrificia, aut Indulgentiarum applicationem, aut alium quemcumque modum opitulentur.

§. IV.
Quid de Purgatorio sentiendum sit.

1. Catholica veritas, cui firmiter adhærendum est, docet, esse Purgatorium, id est locum quendam, in quo tanquam in carcere post hanc vitam usque ad certum, & definitum tempus detinentur, ac purgantur animæ Fideles, quæ in statu quidem Gratiæ, sed tamen nondum plene a peccatis purgatæ e corporibus exierunt, ubi Fidelium vivorum orationibus, & suffragiis, ac præsertim sanctissimo Missæ Sacrificio possunt sublevari. Hanc veritatem olim Vvaldenses, Albigenses, Apostolici, & plures alii Catholicæ Fidei hostes impugnarunt, ut videre est apud Bellarminum lib. 1. de Purg. cap. 2. quibus adjunxerunt se hodierni Hæretici tam Lutherani, quam Calvinistæ, qui omnes nullum esse post hanc vitam Purgatorium contendunt, sed animas, statim ut a corporibus separantur, vel in Cœlum evehi, vel in Infernum detrudi.

Refellitur hic error, & nostræ Fidei veritas probatur 1. ex Scriptura. 2. Mach. 12. ubi dicitur, quod *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*, quæ verba cum neque de beatis, neque de damnatis intelligi possint, sequitur, ut de quodam tertio hominum genere sint intelligenda, qui habeant adhuc aliqua vincula, a quibus post mortem solvi queant; proindeque de illis, qui in Purgatorio detinentur. Hunc autem librum Machabæorum esse Canonicum (quidquid Hæretici in contrarium dicant) constat non modo ex Concilio Trid. sess. 4. in decr. de Canonicis scripturis, sed etiam ex Concilio Carthaginensi III. cui interfuit, ac subscripsit S. Augustinus cap. 47. item ex S. Innocentio I. Epist. ad Exuperium cap. ult. & ex Gelasio I. in Concilio septuaginta Episcoporum, ut refertur distinct. 15. capite, *Sancta Romana*. Probatur etiam ex Isaiæ 4. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii, & spiritu ardoris*, quem locum de pœna Purgatorii explicat S. Aug. lib. 20. de Civ. c. 25. Item ex Matth. 12. ubi dicit Dominus, quædam peccata esse, quæ non remittuntur neque in hoc sæculo, neque in futuro: unde colligunt SS. Patres, quædam peccata remitti in futuro sæculo, id est post hanc vitam, per orationes, & suffragia Ecclesiæ. Ita S. August. lib. 21. de Civ. c. 24. & lib. 9. in Julianum c. 5. Gregorius lib. 4. Dialog. c. 39. & S. Bernardus Homil. 66. in Cantica.

2. Prob. 2. ex variis Conciliis, in quibus præscribitur, ut orationes, & suffragia pro defunctis Fidelibus offerantur, ut in Conc. Carthag. III. cap. 29. Bracarensi I. cap. 39. & Aurelian. II. cap. 14. Unde sequi-

quitur, aliquos Fideles defunctos in tali loco esse, ubi orationibus, & suffragiis viventium juvari possint, proindeque esse in Purgatorio.

Probatur 3. ex SS. Patribus, qui Purgatorium apertissime asserunt, ut S. Greg. Nissenus oratione pro mortuis circa medium, ubi de Justo ex hac vita excedente loquens dicit, *quod non poteris a corpore egressus Divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas Purgatorius ignis abstulerit.* & S. Aug. l. 21. de Civ. c. 24. loquens de Justis, qui cum levibus peccatis decedunt, *Tales* (inquit) *constat ante Judicii diem per pœnas temporales, quas eorũ spiritus patiuntur, purgatos æternis suppliciis non tradendos.* Item ex aliis SS. Patribus, qui pro Fidelibus defunctis orandum, ac Missæ Sacrificium offerendum esse dixerunt, ut S. Cyrill. Hierosol. Catec. 5. Mystag. *Pro omnibus*, inquit, *oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum credentes esse animarum juvamen.* S. Greg. l. 4. Dialog. c. 55. *Multum*, inquit, *solet animas etiam post mortem sacra oblatio Hostiæ salutaris adjuvare, ita ut hanc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur.*

3. Porro cum tantummodo Fidelium Justorum animæ in Purgatorio detineantur, quæ ab omni peccati mortalis reatu immunes ex hac vita decedunt, sequitur, ut ob duas tantum causas ibi purgari debeant, nimirum vel pro peccatis venialibus, cum quibus nondum quoad culpam remissis e corporibus exierunt, vel pro pœnis temporalibus, quæ peccatis mortalibus, aut venialibus quoad culpam remissis debentur, pro quibus plene non satisfecerunt.

Hæ autem animæ in Purgatorio existentes pro peccatorum illorũ expiatione gravissimas haud dubie pœnas patiuntur, adeo ut SS. Patres doceant, pœnas illas Purgatorii quibuscunque hujus vitæ pœnis esse longe graviores, ut S. Aug. in Psal. 37. S. Greg. in Psal. 3. pœnitentialem, & alii, quos citat Gammachæus c. 5. de Purgat.

Quamvis autem Doctores quidam Catholici, ut Dionys. Carthusianus l. de quatuor novissimis ar. 47. & Michael Bajus l. 2. de meritis operum c. 8. existiment, gravissimam animarum illarum pœnam in eo consistere, quod nullam suæ salutis habeant certitudinem, sed quasi suspensæ, & dubiæ occulta quadam Judicii Divini dispositione teneantur; communis tamen Theologorum doctrina est, animas Fideles in Purgatorio detentas de salute sua æterna certas, ac securas esse: tum quia (ut docet S. Th.) spes Theologica in illis manet, ac proinde etiam Fides, ex qua certissime scire possunt, animas in Purgatorio detentas esse salvandas, aliunde vero satis certo sciunt, se esse in Purgatorio; non vero in Inferno: tum ex dictamine propriæ conscientiæ. Norunt enim, se Deum super omnia amare, nec ullo adversus eum odio moveri, neque etiam ab aliis animabus secum detentis vident illum blasphemari, ut fit a reprobis in Inferno, sed potius laudari. Quæ omnia fusius explicata, & probata habentur apud Gammachæum cap. 3. & ult. de Purgatorio, & Bellarminum

lib.

lib. 2. de eod. Purgat. cap. 4. qui etiam cap. 7. observat ex Beda, & aliis probatis Auctoribus, diversos esse in Purgatorio pœnarum gradus, disparemque animarum statum; quarum aliæ aliis longe minus torquentur, imo earum aliquæ nullum alium, nisi tantummodo dilatæ felicitatis dolorem sustinent.

4. Quæres 1. ubinam sit Purgatorii locus. Respondetur, locum Purgatorium ordinarium esse in ipsis terræ visceribus, ut docent S. Th. S. Bonav. Sotus, & alii apud Gammachæum citato cap. 5.

Diximus *ordinarium*, quia interdum ex aliqua Divina dispensatione purgantur animæ in aliis quibusdam locis, vel quia in iis peccaverunt; vel etiam ad instructionem, & terrorem vivorum, ut ex S. Greg. S. Th. Petro Damiano, & aliis observat idem Gammachæus.

Quæres 2. quanto tempore animæ in Purgatorio detineri debeant. Respondetur, id ab eo solo cognosci, cujus judicio justo detinentur, certum nihilominus esse, aliquas illic annis pluribus, imo etiam sæculis detineri, cum Ecclesia probet consuetudinem illam anniversaria celebrandi pro aliquibus defunctis, etiamsi constet, illos ante ducentos, vel etiam plures annos ex hac vita migrasse; quod minime probaret, si tandiu eas illic non detineri posse certum esset.

Quæres 3. an animæ ex Purgatorio aliquando egredi possint, & hominibus apparere. Respondetur, non modo ex Purgatorio, sed & ex ipso Inferno, imo etiam ex Cœlo animas, Deo ita volente, egredi posse, & de facto interdum egressas fuisse, aliisque viventibus apparuisse, ut docet S. Aug. lib. de cura pro mortuis agenda cap. 15. & 16. & id ipsum variis exemplis, & historiis ex probatissimis, & fide dignissimis Auctoribus probat Bellarminus cit. lib. 3. c. 8.

5. Quæres 4. quibus modis animæ in Purgatorio existentes juvari, & sublevari possint. Respondetur, communionem, quam animæ illæ cum Ecclesia in terris militante servant, per gratiam, & charitatem, in qua decesserunt, & ratione cujus inter membra viva corporis mystici, cujus Christus caput est, connumerantur, reddere illas capaces participandi de piis ejusdem Ecclesiæ operibus, & inde varia, & saluberrima solatia recipiendi, quando scilicet pia illa opera, in quantum satisfactoria sunt, ipsis animabus applicantur, & ea intentione Deo offeruntur, ex quo patet animas Purgatorii a nobis juvari, & sublevari posse orationibus, jejuniis, eleemosynis, sed præsertim sanctissimo Missæ Sacrificio, quod quidem propitiatorium est (ut definitum est in Conc. Trid. sess. 22. cap. 2.) *non modo pro vivis, sed etiam pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis*. Et sess. 25. in decreto de Purgatorio dicitur, *animas in Purgatorio detentas Fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris Sacrificio juvari*. Unde & S. Aug. serm. 34. de verbis Apostoli, postquam admonuit, *Sumptuosam diligentiam sepulturæ, & monumentorum opulentam constitutionem esse potius vivorum qualiacunque solatia, quam adjutoria mor-*

mortuorũ, recte subjungit: *Ordinationibus vero sanctæ Ecclesiæ,& Sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorũ peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum universa observat Ecclesia,ut pro eis, qui in corporis, & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cũ ad ipsum Sacrificiũ loco suo commemorantur, pro illis quoque id offerri commemoretur. Cum vero eorũ commendandorum causa opera misericordiæ celebrantur; quis eis dubitet suffragari; pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur?*

CAPUT VI.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

SECTIO I.

Utrum Extrema Unctio sit Sacramentum; & quis sit ejus minister:

1. EXtremæ Unctionis nomine intelligimus unctionem olei benedicti; quæ infirmo in extremis posito confertur a Sacerdote; adjunctis certis precibus. Hanc autem esse verum, & proprium novæ legis Sacramentum a Christo Domino institutum, negaverunt olim Vualdenses, & Albigenses, & nunc etiam negant Lutherani, & Calvinistæ; affirmat vero Ecclesia Catholica, & tanquam dogma Fide credendum proponit. Cujus quidem veritas simul, & erroris oppositi falsitas demonstratur.

Primo ex his S. Jacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, &, si in peccatis sit, remittentur ei*, quibus verbis exprimuntur omnia, quæ ad Sacramenti rationem requiruntur, scilicet ritus aliquis externus, nempe olei unctio, deinde promissio Gratiæ illi adjuncta; quatenus per illum ritum peccata remitti dicuntur; ac demum institutio Divina. Neque enim Apostolus adeo constanter, & absolute Gratiam illam promitteret, nisi Christus Dominus hoc ita instituisset, ac fieri præcepisset.

Secundo ex Concil. Cabilonensi (quod temporibus Caroli Magni celebratum est) cap. 48 ubi dicitur, *Infirmos secundum beati Jacobi documentum oleo, quod ab Episcopo benedicitur, debere a Presbyteris ungi*: & paulo post allegatis ipsius Sancti Jacobi verbis subditur, *Non esse parvi pendendam ejusmodi medicinam, quæ animæ, corporisque medetur languoribus*. Item ex Concilio Florentino in decreto Eugenii, & Trident. sess. 14. cap. 1. de Extrema Unctione, ubi habetur: *Hoc Sacramentum institutum a Christo Domino, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem*

trem Fidelibus commendatum, ac promulgatum.

Tertio ex SS. Patribus, qui huic sacræ Unctioni vim sanctificandi, & peccata remittendi tribuunt, ut S. Jo. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, ubi dicit, Sacerdotes non modo cum nos regenerant, sed etiam cum infirmos oleo ungunt, indulgere peccata, quod ex citatis Jacobi verbis confirmat: & S. August. serm. 215. de temp. in quo docet, superveniente infirmitate ægrotum accipere debere Christi Domini Corpus, & exinde proprium ejus corpus ungendum esse, ut impleatur in eo illud, quod scriptum est, *Infirmatur quis in vobis?* &c. additque, hoc modo corporis sanitatem, & peccatorum indulgentiam obtineri.

2. Quod autem spectat ad ministrum hujus Sacramenti, certum est, solum Sacerdotem rite ordinatum posse Sacramentum hoc valide administrare. Ita S. Thom. in 4. dist. 23. q. 21. a. 1. & alii communiter. Estque de Fide, ut constat tum ex supra relatis S. Jacobi verbis, *Inducat presbyteros Ecclesiæ*, tum ex Conc. Trid. sup. cap. 3. ubi verba illa S. Jacobi explicans dicit, *Proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiæ presbyteros, quo nomine eo loco non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinati.*

Quamvis autem quilibet Sacerdos Sacramentum hoc valide administrare possit, cum ejus administratio, quæ modo deprecatorio fit, ut infra dicetur, non sit proprius actus jurisdictionis, ut ex communi Theologorum sententia docet Isambertus disp. 5. de Sacram. Extr. Unct. nullus tamen Sacerdos id licite potest, nisi sit proprius Sacerdos illius, cui hoc Sacramentum confertur, vel ab eo facultatem habeat. Unde in Clementina de privilegiis prohibetur Religiosis Sacerdotibus sub pœna excommunicationis Sedi Apostolicæ reservatæ, & ipso facto incurrendæ, ne hoc Sacramentum Laicis, aut Clericis administrent sine licentia proprii Sacerdotis, ut refert Laymannus cap. 6. de Extrema Unctione.

Excipiunt tamen Doctores causam necessitatis, quando scilicet a proprio Sacerdote Sacramentum illud recipi non potest, v.g. si absit, nec ab illo licentia possit obtineri. Tunc enim quilibet Sacerdos, etiam Religiosus, potest valide, ac licite Sacramentum illud moribundo administrare, nec ullam ideo incurrit excommunicationem, ut docent S. Antoninus, Sylvester, Cajetanus, Henriquez, & alii apud Laymannum supra.

3. Quærunt aliqui occasione illorum verborum S. Jacobi, *Inducat presbyteros Ecclesiæ*, utrū hujus Sacramēti minister debeat esse unus, an plures. Respondetur 1. unum sufficere, ut constat tum ex cap. *Quæsivit*, extra de verborum significatione, tū ex communi Ecclesiæ praxi, quæ non nisi unum Sacerdotem ad Sacramentum hoc ministrandū adhibere solet. Respondetur 2. plures Sacerdotes posse Sacramē-

tum

tum hoc administrare, sive successive, quando unctione una, aut altera ab aliquo Sacerdote facta, & forma simul prolata, alius reliquas unctiones facit, & verba formæ profert, sive conjunctim, ita ut uno Sacerdote unam unctionem faciente, & verba formæ proferente, alii Sacerdotes eodẽ tẽpore unctiones reliquas faciant, ac simul verba formæ proferant. Et hic modus administrationis semper quidẽ validus est, non tamen licitus, nisi in duobus casibus. Primus est, si Sacerdos post aliquas unctiones factas subito moriatur, aut in talem infirmitatem decidat, ut reliquas peragere non possit. Tunc enim alius Sacerdos ejus defectum supplere debet, non repetendo, quæ facta sunt, sed ea, quæ desunt, perficiendo. Secundus est, quando subest aliqua ratio timendi, ne infirmus moriatur, priusquam unicus Minister unctiones omnes perficere possit. Tunc enim, si adsint alii Sacerdotes, poterunt simul unus oculos, alter aures, &c. perungere, ac unusquisque illorum formam proferre unctioni illi, quã peragit, convenientem. Ita Suarez disp. 43. sect. 2. num. 8. Isambertus disp. 5. de Extrem. Unct. art. 2. & 3. & plures alii.

SECTIO II.

Quæ sit materia, & forma hujus Sacramenti.

1. Dicendum 1. materiam remotam Extremæ Unctionis esse oleum olivarum ab Episcopo benedictum. Ac in primis quod sit oleum olivarum, constat ex decreto Eugenii, ubi expresse dicitur, materiam hujus Sacramenti esse *Oleum olivæ:* & in Catech. Roman. part. 2. c. 6. declaratur, olei nomine intelligi liquorem, non ex quavis pingui, & crassa materia, sed ex olearum baccis tantummodo expressum. Quod autem oleum istud, ut sit apta, & sufficiens hujus Sacramenti materia, debeat esse ab Episcopo benedictum, docet S. Th. in 4. dist. 23. qu. 1. art. 3. & constat tum ex citato decreto Eugenii, & Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. tum ex ipsius Ecclesiæ praxi, quæ non nisi oleum ab Episcopo benedictum in hujus Sacramenti administratione adhibere consuevit.

Quæres, an, deficiente oleo benedicto, possit, urgente necessitate, ad Sacramentum hoc administrandum adhiberi oleum non benedictum, vel illius loco sacrum chrisma. Respondetur 1. oleum benedictum esse de necessitate hujus Sacramenti, ut docent S. Th. S. Bonavent. Durandus, & alii, quos refert, & sequitur Isambertus disp. 2. art. 2. proindeque nec licite, nec valide cum oleo non benedicto administrari posse, si tamen oleum benedictum non sufficeret, posse illi non benedictum in minori tamen quantitate licite admisceri, ut intelligitur ex cap. *Quod dubiis*, extra. de consecratione Ecclesiæ. Respondetur 2. controversum esse apud Theolo-

gos, an hoc Sacramentum valide conferri possit in oleo balsamato, seu chrismate, quibusdam affirmantibus, aliis vero id negantibus, quos fuse refert Layman. cap. 2. de Extr. Unct. qui recte concludit, quidquid sit de utraque illa sententia, quarum neutra expresse ab Ecclesia definita est, quantum ad praxim attinet, nunquam licitum esse Sacerdoti in Extremæ Unctionis administratione uti chrismate, eo quod saltem id consuetudini, & praxi Ecclesiæ repugnet, quæ non nisi oleum simplex, & benedictum pro ungendis infirmis adhibere solet.

Addit, quod, quamvis secundum ipsius Ecclesiæ praxim oleum istud infirmorum quotannis renovari debeat, vetusque, novo accepto, comburi; si tamen Parochus oleum ab Episcopo benedictum nondum recepisset, urgente necessitate, veteri benedicto ad conferendam Extremam Unctionem uti licite posset.

2. Dicendum 2. materiam proximam hujus Sacramenti esse unctionem, quæ fit per modum crucis, juxta Rituale Romanum in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, pedibus, & renibus (quam tamen ultimam unctionem in fœminis omittendam esse dicit) vel in pectore loco renum, ut in Rituali Parisiensi, & in quibusdam aliis habetur. Hæc autem unctio in partibus illis, quæ natura geminæ sunt, duplex fieri debet, v. g. una super oculum dextrum, altera super sinistrum, & unica interim forma proferri, ita ut formæ prolatio incipiat, antequam prior unctio finiatur, nec desinat, quin posterior saltem inchoetur, ut annotatur in eodem Rituali. Ubi etiam dicitur, quod si quis in aliqua illarum partium mutilatus sit, unctio in proxima fieri debeat, cum eadem formæ prolatione.

* Porro hæc unctio, non adhibito aliquo instrumento, sed pollice manus ipsius Sacerdotis ministrantis fieri debet, ut habetur in Rituali Romano. Sacerdotis siquidem manus instrumentum est vivum Divinæ potestatis, & gratiæ, speciali unctione ad usus mysticos in ipsa ordinatione consecratum.

Cum igitur hæc ex ipsius Ecclesiæ praxi constent, quæritur; an unctio illarum omnium partium sit de essentia hujus Sacramenti, ita ut valide conferri non possit, nisi omnes illæ partes ungantur. Respondetur 1. certum esse ex communi Theologorum consensu, ad validitatem hujus Sacramenti non requiri, ut unctio fiat in modum crucis, nec etiam ut pedes, aut renes, aut pectus ungatur, nec ut fiat duplex unctio in geminis partibus cujusque sensus. Quamvis enim ex præcepto Ecclesiæ ista fieri, & servari debeant, nec proinde (nulla urgente necessitate) omitti possint sine peccato; non sunt tamen de essentia hujus Sacramenti, nec ad ejus validitatem requiruntur, ut docent Scotus, Henriquez, Suarez, Toletus, & alii apud Layman. cit. cap. 2.

3. Respondetur 2. controversum esse apud Theologos, utrum ad

Sacra-

Sacramenti hujus validitatem necessarium sit, ut omnes quinque sensus corporis ungantur, an vero unctio in uno illorum sufficiat. Quidam enim Doctores, quos recenset, & quibus subscribit Isambertus disp. 2. art. 5. unius tantummodo sensus unctionem ad Sacramenti validitatem sufficere existimant. Alii vero e contra unctionem quinque sensuum ad validitatem illam requiri affirmant. Ita S. Thom., S. Bonaventura, Ricardus, Scotus, Paludanus, & plures alii, quos citat & sequitur Suarez in 4. dist. 2. q. 2. art 3. Quorum sententia videtur probabilior, propter auctoritatem ipsius S. Doctoris, proindeque in praxi tenenda.

Dicendum 3. formam hujus Sacramenti hanc esse, *Per istam sanctã unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti*, &c. & similiter de aliis membris. Ita declaratum est in decreto Eugenii, & in Conc. Trid. sess. 14. c. 1. de Extrema Unctione, & expresse habetur in Rituali Romano.

Sunt autem quædam observanda. Primũ est, formam hujus Sacramenti per modũ deprecationis esse conferendã ut docet S. Thomas, S. Bonaventura. & communiter alii apud Suarez supra, sect. 3. quod constat tum ex his S. Jacobi verbis, *Orent super eum, & oratio Fidei salvabit infirmum*, tum ex universæ Ecclesiæ praxi; quæ ubique in hujus Sacramenti administratione forma deprecatoria utitur.

4. Secundum est, quod, quamvis omnes particulæ præfatæ, quæ in forma hujus Sacramenti communiter proferuntur, ad ejus essentiam non pertineant, sitque probabilissimum, solas has, quæ sequuntur, *Per istam unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti*, ad illius validitatem esse necessarias, ut docet, & probat Isambertus disp. 3. art. 2. debet tamen Sacerdos omnia illa verba in hujus Sacramenti forma ex Ecclesiæ præscripto apposita, prout in Rituali Romano habentur, vel secundum peculiarem cujusque Diœcesis usum, distincte proferre, nec aliquid ab eo in illa prolatione omitti, aut mutari sine peccato potest.

Tertium est, probabilissimum esse (quod asserunt Henriquez, Medina, Paludanus, & alii, quos citat, & sequitur Isambertus supra ar. 4.) quinariam formæ hujus Sacramenti repetitionem non esse de ejus essentia, sed sufficere unicam. Secundum quam sententiam, si infirmus jam jam moriturus credatur, poterit Sacerdos partes magis obvias quinque sensuum ungere, v. gr. unum oculum, aurem, narem, labium, & aliquam aliam partem pro sensu tactus, qui ubique diffusus est, ut genam, idque celeriter nullo facto signo crucis, & simul, ac semel verba proferre: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti, vel quidquid peccasti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum.*

SECTIO III.
Quinam sint hujus Sacramenti effectus.

1. EXtremæ Unctionis effectus duplicis sunt generis. Quidã enim animã, alii corpus attingunt. Quod spectat ad animam, quinque sunt præcipui effectus, quos Sacramentum hoc in ea operatur.

Primus effectus illi cum aliis Sacramentis communis est Gratia sanctificans, ut exprefse definitum est in Conc. Trid. fess. 14. can. 2. de Extrema Unctione, his verbis: *Si quis dixerit, Sacram infirmorum Unctionem non conferre Gratiam*, &c. *anathema sit.*

Secundus est speciale Gratiæ auxilium, tum ad superandas tentationes in articulo mortis occurrentes, tum ad spem, & confidentiam faciliùs, & firmius in Deum erigendam, tum etiam ad morbi, & mortis molestias cum majori patientia tolerandas. Quod exprefse declarat Conc Trid. cap. 2. ubi dicit, quod hoc Sacramentum *Aegroti animã alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinæ misericordiæ fiduciã excitando, qua infirmus sublevatus & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tẽtationibus Dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit.*

2. Tertius effectus est remissio peccatorum mortalium, si quæ forte habet infirmus, quæ habere se bona fide, & invincibiliter ignoret. Quãvis enim, ut recte observat Gammachæus c. 6. de Extrema Unction. Sacramentum hoc ex primaria Christi institutione secundam tantummodo Gratiã, idest Gratiæ sanctificantis augmentum, conferat, supponatq; hominem a peccato mortali per Sacramentum Pœnitentiæ, aut perfectam contritionẽ jam purgatum, nihilominus secundario etiã primam interdũ Gratiam conferre potest, & peccata mortalia delere, si forte Confessio Sacramentalis nulla, & invalida fuerit, & alias infirmus se in statu peccati mortalis esse invincibiliter ignoret, & de illis saltem in genere attritus sit, ut docent Paludanus, Suarez, & alii apud Layman. sup. c. 5. de Extrem. Unct. & satis aperte colligitur tum ex his S. Jacobi verbis, *Si in peccatis sit, remittentur ei*: tum ex istis Conc. Trid. cap. 2. *Delicta si quæ sint adhuc expianda, abstergit*: tum denique ex his formæ verbis, *Indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti*: quæ quidem verba, sicut & alia ex Apostolo, & Concilio relata, cum sint indefinita, ac sine ulla restrictione, de quibuscunque peccatis etiam mortalibus intelligi debent.

Quartus effectus est remissio peccatorum venialium, ut a fortiori, & ex supra citatis Apostoli & Concilii verbis, & ex ipsa Sacramenti forma colligitur.

Quintus denique est abstersio reliquiarum peccati, ut exprefse docet Conc. Trid. cit. cap. 2. quarum quidem peccati reliquiarum nomine S. Th. in 4. dist. 23. qu. 1. art. 2. qu. 1. Ferrariensis lib. 4. contra Gentes cap. 73. & plures alii Theologi intelligunt animi languorem, tor-

torporem, mœrorem, tristitiam, fastidium, anxietatem, & alias similes pravas affectiones, quæ ut plurimum ex peccatis præteritis, eorumque recordatione oriuntur, varia incommoda spiritualia causant, vel etiam in extremam desperationem propellunt.

3. Quod vero spectat ad corpus, unus est Extremæ Unctionis effectus, scilicet ipsius corporis sanitas, ut colligitur ex Apost. verbis, *Oratio Fidei salvabit infirmũ*: quæ verba de corporis salute intelligenda esse, docet Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis part. 15. cap. 2. & post illum S. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 2. Quem etiam Extremæ Unctionis effectum tradit Concil. Trid. cit. cap. 2. adjecta tamen hac conditione, *ubi saluti animæ expedierit*, quo sensu citata Apostoli verba docet esse intelligenda.

Quæres, quis sit præcipuus horum effectuum, seu ob quem primario Extrema Unctio instituta sit. Respondetur cum S. Doctore supra, & pluribus aliis Theologis, quos citat, & sequitur Suar. disp. 41. sect. 2. hoc Sacramentum principaliter institutum esse ad conferendũ infirmo speciale quoddã Gratiæ actualis auxilium, quo juvetur, & roboretur cõtrã occurrẽtes in extremo vitæ discrimine difficultates, quibus a negotio suæ salutis strenue procurãdo, & promovẽdo retardari potest; secundario vero tum ad sanitatem corporis, si animæ saluti cõducat, reparandam, tum ad alios suprã explicatos effectus conferendos.

SECTIO IV.

Quis suscipere possit, aut debeat Sacramentum Extremæ Unctionis, & quæ in eo dispositiones requirantur.

1. Dicendum 1. subjectum capax hujus Sacramenti esse hominẽ baptizatum, qui rationis usum adeptus sit, & propter morbũ de vita periclitetur. Est communis sententia Doctorum in 4. dist. 23.

Requiritur 1. ut sit baptizatus, cum Baptismus, ut habetur in decreto Eugenii, *sit janua vitæ spiritualis*, nec sine illo Sacramenta reliqua valide suscipi possint.

Requiritur 2. ut rationis usum adeptus fuerit. Cum enim hujus Sacramenti effectus sit remissio peccatorum actualium, & robur adversus tentationes, pueri ante usum rationis horum effectuum capaces non sunt, ut per se patet, nec proinde Sacramenti illius suscipiendi. Unde Navarrus cap. 22. n. 1. Suarez disp. 70. sect. 1. & plures alii Theologi recte docent, Sacramentum Extremæ Unctionis valide conferri posse, imo & negari non debere pueris, qui ad eam ætatem, & rationis discretionem pervenerunt, ut Sacramenti Pœnitentiæ sint capaces, quamvis Sanctam Eucharistiam nondum receperint, nec adhuc idonei ad illam recipiendam judicentur. Quod etiam in Rituali Parisiensi tit. de Extrema Unctione præscibitur. Diximus, requiri, ut hoc Sacramentum suscipiens rationis usum adeptus sit, si-

M 2 ve

ve usum illum adhuc retineat, sive postea in amentiam, aut phrenesim lapsus sit. Licet enim maxime deceat, & quantum fieri potest, procurandum sit, ut infirmo ministretur, dum sana mente, & integris sensibus est; non est tamen illi denegandum, quamvis in amentiam inciderit, aut rationis usum amiserit, si antea illud petiit, aut saltem interpretative desideravit, si nimirum christiane vixit, & salutis suæ memor fuit: quod quidem præsumendum est, nisi contrarium appareat, ut docent Paludanus, Sylvester, Henriquez, & plures alii apud Laymann. cap. 4. de Extr. Unct. & expresse declaratur in Rituali Romano, in quo etiam præscribitur, impœnitentibus, qui in manifesto peccato mortali moriuntur, & excommunicatis omnino denegandum esse hoc Sacramentum.

Requiritur 3. ut non nisi infirmo de vita periclitanti cōferatur Extrema Unctio, ut docet S. Th. in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 2. & cum eo communiter omnes, & habetur in Conc. Trid. cap. 3. Unde neque reis ultimo supplicio mox afficiendis, neque prælium inituris, aut aliis violentia aliqua extrinseca morituris hoc Sacramentum conferri debet, ut in præfato Rituali Romano expresse declaratur.

2. Observat etiam S. Doct. supra art. 4. & cum illo communiter omnes. Extremam Unctionem morbi periculo eodem durante iterum conferri non posse, secus vero, si eodem morbo durante, infirmus novum aliquod mortis periculum incurrat, ut si, postquam inunctus fuerat, Medicorum judicio melius habere cœpit, evasitque periculum mortis, in quod nihilominus postea mutata corporis constitutione iterum recidit, ut docent Paludanus, Suarez, & alii apud Laymann.

Dicendum 2. infirmum sui compotem Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ debere recipere, priusquam Extrema Unctio ipsi conferatur, si tempus, & ipsius infirmi conditio, seu dispositio id permittat. Ita docet Isambertus disp. 7. a. 1. & expresse declaratur in Rituali Romano, & etiam in Catechismo Romano part. 2. c. 6. ubi vocat hanc consuetudinem Ecclesiæ *perpetuam*, aitque esse *servandam*, quod obligationem denotat. Si tamen postea in mortale peccatum lapsus sit, aut alicujus peccati mortalis nondum confessi recordetur, debet hujus Sacramenti susceptioni Sacramentalem Confessionem præmittere, aut si extrema morbi vi oppressus id non possit, debet actum contritionis, aut saltem attritionis elicere, ut Sacramenti hujus virtute peccatorum remissionem percipiat, ut docet Isambertus supra, & ante illum docuerunt Suarez disp. 42. sect. 1. Navarrus cap. 22. num. 13. & plures alii.

3. Quæres, an sit aliqua obligatio Extremæ Unctionis recipiendæ. Respondetur juxta doctrinam S. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 1. a. 1. quæstiuncula 3. ad 1. nullā esse hujus Sacramenti recipiendi sub peccato mortali obligationem, si secundū se præcise consideretur. Licet enim utilissimum sit, ac saluberrimum, nullam tamen nec medii: nec

præ-

præcepti necessitatem secum invehit, ut docet Isambert.disp.8.ar.1. Qui tamen recte subjungit, fieri interdum posse, ut infirmus illud non suscipiendo mortaliter peccet, si, verbi gratia, illud ex contemptu omittat, vel, quamvis absit contemptus, si ex neglectu illius scandalum sequatur, aut infirmus probabile aliquod periculum salutis incurrat, quia nullum aliud Sacramentum suscipere potest.

Non est tamen par ratio illius, cui Sacramenti hujus administratio ex officio incumbit. Is enim, ut recte docet, & probat Isambertus ibid. per se, vel per alium Sacerdotem tenetur hoc Sacramentum subditis suis extreme, & periculose ægrotantibus administrare, ita ut peccet mortaliter, si cognito alicujus infirmi periculo, illi conferre sine ulla justa ratione omittat, aut differat, cum probabili periculo, ne interim ægrotus, illo non suscepto, moriatur. Additque, quod, quamvis infirmus morbo contagioso laboraret, nec posset illi Sacramentum hoc nisi cum vitæ periculo administrari, si tamen proprius ejus Sacerdos aliter ei subvenire non posset, quam Extremam Unctionem illi conferendo, teneretur etiam cum certissimo vitæ periculo hanc illi administrare, nisi alius Sacerdos ejus vices suppleret. Docet nihilominus, quod, si moraliter certus sit de bona illius dispositione, quoad ea, quæ salutem animæ respiciunt, puta quia nupertime Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta illi administravit, tunc non tenetur, saltem sub peccato mortali, Extremam Unctionem illi administrare cum tali periculo.

CAPUT SEPTIMUM.

De Sacramento Ordinis.

SECTIO I.
Utrum Ordo sit Sacramentum.

1. NOmen Ordinis, quod ex se latissimam habet significationem, ab Ecclesia usurpatum est, ut observat Catechismus Romanus part. 3. cap.7. tum ad designandum Ecclesiasticæ Hierarchiæ statum, in qua reperiuntur varii Ministrorum superiorum, & inferiorum gradus optime dispositi ad ea perficienda, quæ cultum Divinum, præsertimque sanctissimum Dominici Corporis Sacrificium spectant, tum ad significandum ritum illum sacrum, quo quisque Ministrorum illorum solemni religione consecratur, ac Divino cultui, sacrisque Altaribus mancipatur. In quo posteriori sensu de illo quæritur, utrum sit Sacramentum. Quæ quidem quæstio dupliciter intelligi potest, primo in genere, utrum in Ecclesia sit Sacramentum Ordinis, secundo in particulari, utrum quilibet Ordinum Ecclesiasticorum sit Sacramentum. Pro cujus resolutione

Dicendum 1. Ordinem esse Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum. Hanc veritatem, quæ de Fide est, negaverunt olim Massiliani, ut refert Coccius tom. 2. lib. 8. art. 1. & hodie similiter negant Lutherani, & Calvinistæ, quorum error refellitur, & veritas nostræ Fidei probatur

Primo ex Apostolo 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites Gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearū*, ex quo loco, ubi loquitur Apostolus de sacra Ordinatione ipsius Timothei, habetur ritus aliquis sensibilis, & collatio Gratiæ per hunc ritum: unde sequitur, veram rationem Sacramenti in sacra Ordinatione reperiri.

Secundò ex Concilio Chalced. can. 2. ubi damnantur illi, qui pecunias pro Ordinatione recipiunt, eo quod Gratiam Dei vendere censeantur, quæ tamen vendi nec debet, nec potest: & ex Concil. Trid. sess. 23. cap. 3. his verbis: *Cum Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, Gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse vere, & proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis.*

Tertio ex S. Leone Epist. 87. ad Episcopos Mauritaniæ cap. 1. ubi postquam dixit, Ordinem Sacerdotii non nisi bene probatis, & exercitatis esse conferendum, subjungit: *Quis dissimulare audeat quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam?* si nimirum indignus ordinetur; & ex S. Ambrosio lib. de dignitate Sacerdot. cap. 5. *Quis dat Episcopalem Gratiam, Deus, an homo? respondes sine dubio, Deus. Sed per hominem dat Deus: homo imponit manus, Deus largitur Gratiam.*

2. Dicendum 2. non modo Ordinem in genere, sed etiam in particulari unumquenque Ordinum Ecclesiasticorum esse Sacramentum. Antequam hæc assertio probetur, supponendum est septem esse Ordines, tres, qui dicuntur majores, scilicet Presbyteratum, Diaconatum, & Subdiaconatum; quatuor vero minores, nimirum Ordinem Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum. Quod constat ex variis Conciliis septem illos Ordines enumerantibus, ut ex Concilio Romano sub S. Sylvestro cap. 4. Carth. IV. cap. 2. Florent. in decret. Eugenii, & Trid. sess. 24. cap. 2. ubi expresse dicitur, non solum nomina illorum Ordinum, sed etiam singulorum propria ministeria fuisse in usu ab ipso Ecclesiæ initio. Item ex Epistola Cornelii Papæ ad Fabianum Episcopum Antiochenum, in qua totius Cleri Romani enumerationem faciens, dicit, *in Ecclesia Catholica*, id est Romana, *Presbyteros esse quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolythos quadraginta duos, Exorcistas, & Lectores una cum Ostiariis quinquaginta duos.*

Hoc præsupposito, probatur assertio, primo de illis omnibus Ordinibus in genere, ex eo, quod, postquam Conc. Trident. cap. 2. septem illos Ordines enumeravit, eosdemque in Ecclesia semper fuisse dixit,

xit, capite tertio absolute definit, Ordinē esse Sacramentum, absque ulla restrictione ad majores Ordines, aut minorum exclusione; unde sequitur secundum ejus mentem, in omnibus, & singulis Ordinibus, majoribus, & minoribus, veram Sacramenti rationem reperiri.

3. Probatur 2. de singulis Ordinibus in particulari. De Presbyteratu quidē tum ex Conciliis Flor. in dec. Eugen. & Trident supra, in quibus Presbyteratus tanquam aliorum Ordinum primus, & præcipuus enumeratur, cui proinde ratio Sacramenti præ aliis competere debet: tum etiam ex Ss. Patribus, qui Presbyteratum annumerant aliis Sacramentis, vel Ordinationem Presbyterorum expresse vocant Sacramentum, ut S. Cyprianus serm de ablut. pedum, S. August. lib. 1. contra Donatist. cap. 2. & S. Leo Ep. 81. ad Dioscorum cap. 1.

De Diaconatu similiter probatur, tum ex eo, quod Conc. Trident. sess. 23. can. 6. definivit, *Hierarchiam Ecclesiæ Divina Ordinatione institutam constare ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris*, ubi per Ministros saltē Diaconos intelligit, quorum proinde Ordinem divinitus institutum esse declarát: tum etiam ex ritu, quem servat Episcopus Diaconos ordinans, cum singulis illorū imponens manus, dicit, *Accipe Spiritum Sanctum*, quibus verbis se Gratiā illis conferre declarat.

4. Quamvis autem Durandus, & Cajetanus negaverint, Ordinationem Diaconi esse Sacramentum, monet tamen Isambertus disp. 2. de ord. art. 7. sententiam illorum, licet ante Conc. Trident. utcunque probabiliter defendi potuerit, post illud tamen sine aliqua censuræ nota sustineri amplius non posse.

Dices, Diaconos fuisse ab Apostolis institutos, Act. 6. idque eo fine, ut pauperum curam gererent; unde sequitur, illorum Ordinationem non esse Sacramentum, cum ex Christi institutione non sit.

Respondetur, verum esse, Diaconos ab Apostolis ordinatos fuisse, falsum vero Diaconatus Ordinem fuisse ab illis institutum. Constat enim ex ipsius Ecclesiæ traditione, ut docet, & probat Isambertus supra, Sacramentum Ordinis fuisse a Christo Domino in ultima Cœna institutum. Quod autem dicitur, Diaconos ab Apostolis ordinatos fuisse, ut pauperum curam gererent, id fuit quidem unum ex illorum officiis, non vero primarium, & præcipuum, ut docet idem Isambertus supra art. 8. & plenius constabit ex iis, quæ de singulorum officiis infra dicentur.

De Subdiaconatu denique, & aliis minoribus Ordinibus constat, tum ex auctoritate Concil. Trid. supra, tum etiam ex eo, quod hæc est plurimorum Doctorum tam antiquorum, quam recentiorum sententia, ut S. Thomæ in 4 dist. 24. q. 2. art. 1. q. 3. S. Bonaventuræ, Ricardi, Soti, Paludani, Majoris, Almaini, Ferrariensis, Eckii, & aliorum, quos citat, & sequitur Valentia q. 1. de Sacr. Ord. pun. 4. quibus etiam subscribit Isambertus disp. 2. de Ord. art. 11.

Nec obstat, quod tres tantum majores Ordines dicantur Sacri.

Non

Non enim sic vocantur, quasi solis illis ratio Sacramenti competat, sed quia solis illis votum continentiæ annexum est, ut docet idem Isambertus disp. 1. de Ord. art. 6.

5. Verum est quidem, S. Ignatium Antiochenum Episcopum Ep. 1. ad Antiochenos supra dictis Ordinibus annumerare Cantores, seu Psalmistas, & Laboratores, qui defunctorum corpora curabant, sed, ut recte observat Baronius ad an. 44. prope finem, non fuerunt hi Ordines, sed officia mere Ecclesiastica. Quod aperte etiam colligi potest ex Concil. Carth IV. ca. 10. ubi dicitur, quod Psalmista potest absque scientia Episcopi, sola Presbyteri jussione, suscipere canēdi officium, & ex consequenti illud non conferebatur per Ordinationem, seu consecrationem, sed per meram deputationem, seu commissionem.

Objicies, ex doctrina superius explicata consequens fore, plura esse Sacramenta, quam septem.

Respondetur, quod, quamvis singuli Ordines habeant rationem Sacramenti, unum tamen in genere Sacramentum simul constituunt, quod sufficit, ut Ordo dicatur unum generice Sacramentum, quod sub se diversas species continet, ut fusius explicat Bellarminus lib. 1. de Sacram. Ord. cap. 8.

6. Porro supra dictis Ordinibus annumerari merito debet Episcopatus, tāquam ipsius Ordinis Sacerdotalis vertex, & summitas; quod expresse declaravit Concil. Trident. sess. 23. cap. 4. ubi definit, *Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc ordinē Hierarchicū præcipue pertinere, & positos esse, sicut ait Apostolus, a Spiritu Sancto regere Ecclesiā Dei, eosque presbyteris superiores esse, ac Sacramentū Confirmationis conferre, Ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarū functionū potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent*. Cui veritati suffragantur Ss. Patres, qui Episcopatum vocant *Ordinem*, ut S. Anacletus Epist. 3. cap. 1. S. Cajus Epist. ad Felicem Episcopum, & S. Ambrosius lib. 3. de Sacram. cap. 1. Neque solum est Ordo, sed etiam Sacramētum nobilissimum, & perfectissimum. Quamvis enim nonnulli Theologi olim id in dubium revocaverint, communiter tamen asserunt alii omnes, qui fuse citantur apud Bellarmin. lib. 1. de Clericis cap. 5. & Valent. disp. 9. de Sacris Ordin. q. 1. pun. 2. apud quem videri potest fusior probatio hujus sententiæ, quam adeo certam esse dicit Isamb. disp. 2. de Ord. ar. 3. ut contrariam tanquam erroneam prorsus repudiandam existimet.

Quod vero spectat ad Tonsuram Clericalem; quamvis quidam Juris Canonici Doctores aliis Ordinibus illam annumerandam esse arbitrentur; communis tamen, & vera Theologorum sententia est, non esse Ordinem, sed solummodo cæremoniam Ecclesiasticam, ut S. Thom. in 4. dist. 24. qu. 3. a. 1. S. Bonavent. ibid. & alii communiter docent, & constat etiam ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 2. de reformatione cap. 6. & 10. ubi Tonsura semper ab Ordinibus recte distinguitur.

Et

Et in Catech.Rom.par.1. cap 7. dicitur, Tonsuram tantummodo esse præparationem ad Ordines suscipiendos, sicut Exorcismus est præparatio ad Baptismum, & Sponsalia ad Matrimonium.

7. Quod quamvis ita se habeat, certum est nihilominus, cæremoniã illam Tonsuræ accipiendæ ab iis, qui in Clerum cooptantur, & ab ipsis deferendæ, esse antiquissimam ab ipsis Apostolis derivatam, ut videri potest apud Bedã lib.4. hist. Anglorum c. 22. & apud Baroniũ ad ann. Christi 58. habeturque de illa speciale decretum S. Aniceti Summi Pontificis in Ep. decret. ad Episcopos Galliæ, quo prohibentur Clerici comam nutrire, jubenturque Tonsuram in summitate capitis in modum sphæræ gestare; cujus rei hanc ibi rationem reddit; *Quod sicut Clerici discerni debent a Laicis in conversatione, sic etiã ab iisdem in Tonsura, & in omni habitu discreti esse debent*. Quod etiam plures alii Summi Pontifices, & plurima Conc. variis subinde tẽporibus sanxerunt, & novissime in Conc. Trid. sess. 23. cap. 6. decretum illud renovatum est, sicut & in pluribus aliis recentioribus Italiæ, Hispaniæ, Germaniæ, ac præsertim Galliæ nostræ Conciliis, ut Rhenensi anno 1583. Turonensi eod. ann. Bituricensi anno 1583. Aquensi ann. 1585. Tolosano ann. 1590. Burdigalensi ann. 1614. &c. ex quibus apparet, universam Ecclesiam his novissimis temporibus veluti conspirare voluisse ad religiosam illam Tonsuræ Clericalis traditionem, & praxim communibus suffragiis denuo stabiliendam. Unde infertur, non sine gravi peccato a Clericis præsertim majoribus Ordinibus initiatis, aut Beneficium aliquod Ecclesiasticum obtinentibus hanc Tonsuræ deferendæ legem contemni, vel negligi posse, ut infra in Appendice peculiari ad calcem hujus Operis fusius explicabitur.

SECTIO II.

Quæ sit materia, & forma Sacramenti Ordinis.

Quæstionis propositæ duplex sensus esse potest: primus, quæ sit materia, & forma Sacramenti Ordinis in generali: secundus, quæ sit specialis materia, & forma cujuscunque Ordinis in particulari. Pro cujus in utroque sensu resolutione

Dicendum 1. materiam remotam Sacramenti Ordinis in generali esse rem illam, quæ ab Episcopo traditur illi, qui Ordinem aliquem suscipit, proximam esse hujus rei traditionem, formam denique in verbis illis consistere, quæ ab Episcopo proferuntur modo imperativo, cum expressione potestatis, quæ confertur. Ita Sotus, Victoria, Bellarm. & plures alii, quos citat, & sequitur Bonac. disp. 8. de Sacram. Ord. quæst. unic. punct. 3. Constatque tum ex Concil. Carthag. IV. & ex Flor. in decr. Eug. ubi dicitur Sacramenti Ordinis materiam esse illud, per cujus traditionem confertur Ordo, formam vero esse verba ab ipso Episcopo in ejusmodi traditione pro-

prolata; tum ex iis, quæ de materia, & forma singulorum Ordinum in particulari dicentur.

Dicendum 2. materiam Ordinationis Ostiarii esse traditionem Clavium per Episcopum factam, Lectoris, traditionem Codicis, de quo ordinandi legere debent, Exorcistæ, traditionem libri exorcismorum, Acolythi, traditionem ceroferarii, & urceoli vacui: formam vero esse verba cuique materiæ correspondentia, quæ ab Episcopo, dum ejusmodi instrumenta Ordinandis tradit, proferuntur, quæ quidem habentur in Pontificali. Ita citati DD. apud Bonacinam supra. Et constat tum ex præfato Concil. Carthag. IV. can. 6. & 7. 8. & 9. & Flor. in decr. Eug. tum ex Catech. Rom. p. 2. c. 7. ubi hæc omnia distinctè explicantur.

2. Dicendum 3. duplicem esse materiam partialem, duplicemque formam Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Prior materia partialis Subdiaconatus est traditio calicis vacui cum patena vacua, cui partialis hæc forma respondet, *Videte cujusmodi ministerium vobis traditur*. Posterior ejusdem materia partialis est traditio libri Epistolarum, cui respondet altera partialis forma: *Accipe librũ Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis*. Similiter prior partialis materia Diaconatus est manuum Episcopi impositio, quæ fit super ordinandum: forma ei correspondens sunt hęc verba: *Accipe Spiritum Sanctum, ac robur ad resistendum Diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini*. Posterior partialis materia est traditio libri Evangeliorum, forma ei respondens: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tã pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini*. Denique prior partialis materia Presbyteratus est traditio calicis cum vino, & patenæ cum pane superposito, forma correspondens sunt hæc verba: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Dei, Missasque celebrandi, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini*. Posterior partialis materia ejusdem est impositio manuum Episcopi super Ordinandum, partialis item forma ei respondens sunt hæc verba: *Quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt*.

3. Hæc autem doctrina circa prædictorum Ordinum materiam, & formam desumpta est tum ex citatis Conc. Carthag. & Florent. tum etiam ex Pontificali, & Catechismo Romano, ubi hæc omnia fuse declarata habentur, pro cujus confirmatione non requiritur alia probatio, quam ipsius Ecclesiæ auctoritas. Quamvis autem non plane constet inter Theologos, utrum Subdiaconatus, & Diaconatus materia, & forma sit duplex (de Presbyteratu enim nullus est ambigendi locus) quibusdam hanc, aliis illam tanquam solam, & sufficientem assignantibus, sententia tamen illorum, qui duplicem illam materiam, & formam partialem in utroque illo Ordine agnoscunt, videtur esse non solum probabilior, ob rationes, quæ apud Isambertum disp. 3. art.

art. 2. & 3. videri possunt, sed etiam in praxi tenenda, cum in iis, quæ ad Sacramentorum validitatem spectant, tutior semper pars amplectenda sit.

4. Dicendum 4. triplicem esse materiam partialem Episcopatus, triplicem item formam partialem. Prima illius materia partialis est impositio manuum a tribus Episcopis facta super caput illius, qui in Episcopum ordinatur, forma ei correspondens sunt hæc verba ab illis tribus simul prolata: *Accipe Spiritum Sanctum*. *Secunda* materia partialis est unctio capitis, & manuum ipsius electi in Episcopum, facta per consecratorem Episcopum, forma ei respondens sunt verba, quæ in ipsa unctione ab Episcopo consecratore proferuntur. Tertia denique partialis materia est traditio Baculi Pastoralis, annuli, & libri Evangeliorum, forma ei respondens sunt verba, quæ in ipsa traditione consecrator Episcopus profert.

Vasquezius quidem cum quibusdam aliis Theologis, quos citat *disp.* 240. cap. 5. existimat, materiam Episcopalis Ordinationis in sola manuum impositione a tribus Episcopis facta consistere, formam item in solis verbis, quæ tunc ab illis proferuntur; observatque, paucos admodum Theologos subscripsisse de materia, & forma Episcopalis ordinationis. Nihilominus probabilior est, & in praxi tenenda sententia in assertione nostra explicata, ob varias auctoritates, & argumenta, quibus fuse illam propugnat Isambertus art. 4. quæ apud illum videri possunt.

5. Cæterum ad solvendas plures difficultates, quæ circa materias illas, & formas singulorum Ordinum possent occurrere, observandum est id, quod docet Bellarminus cap. 9. de Ord. credibile esse, *Christum* Dominum istas omnes materias Ordinum instituisse, non quidem in particulari, sed generatim, præcipiendo Apostolis, & per illos Episcopis eorum successoribus, ut Ordines conferrent per traditionem instrumentorum illorum, quibus significaretur eorum potestas, & verbis conceptis eandem illam traditionem exprimerent. Quod etiam pluribus probat Isambertus art. 6. idemque art. . recte monet, non solum præcepti, sed etiam Sacramenti necessitate requiri, ut qui Ordinem aliquem suscipiunt, quod maxime notandum est, illius materiam ab Episcopo porrectam physice tangant: quod variis argumentis probat, ac præsertim auctoritate Clementis VIII. Summi Pontificis, qui speciali diplomate decrevit, ordinari saltem sub conditione eos, qui tunc temporis fuerant Episcopo Sagiensi ordinati; eo quod nec Episcopus illis per ... tradidisset instrumenta Ordinum, nec Ordinandi physi... instrumenta illa tetigissent.

SECTIO III.

Quis Sacramentum Ordinis conferre, quis item illud suscipere possit.

1. Certum est ex Fide, ordinarium hujus Sacramenti Ministrum esse solum Episcopum, ut constat ex Conc. Flor. in decret. Eugen. & Trid. sess. 23. cap. 4. & etiam ex perpetua Ecclesiæ traditione manifestum est, ac ex variis Conciliorum, & SS. Patrum testimoniis probat Bellarm. c. 11. de Ord. Sed difficultas est, utrum omnis, & quilibet Episcopus possit valide ordinare, item utrum ex commissione Sum. Pont. possit aliquis alius ab Episcopo conferre Ordines. Pro cujus resolutione

Dicendum 1. quemlibet Episcopum, etiam hæreticum, aut degradatum, Ordines valide conferre posse, dummodo materiam,& formam legitimam cum debita intentione adhibeat. Ita S. Th. in 4. dist. 25. q. 1. a. 2. S. Bonavent. ibid. art. 1. q. 2. Sotus, Ricardus, Durandus, Paludanus, & alii communiter in eandem distinctionem. Ratio est, quia potestas ordinandi pendet fundamentaliter, & essentialiter a charactere Episcopali, sicut potestas consecrandi pendet a charactere Sacerdotali, cum ipsa Ordinatio fiat per modum cujusdam consecrationis, character autem ille æque in Episcopis, ac in Sacerdotibus est indelebilis.

Neque obstat cap. *Nullum*, 9. qu. 2. in quo vacua, & inania dicuntur omnia, quæ gesserat Episcopus, functiones aliquas in aliena Diœcesi, & super alienum Clerum exercens. Hæc enim, ut recte observat, & probat Isambertus disp. 6. art. 1. intelligenda sunt non de sacra Ordinatione, sed de aliis ad Ecclesiasticam disciplinam spectantibus. Unde etiam in Conc. Trid. sess. 23. c. 8. non dicitur esse reordinandus ille, qui ab alieno Episcopo sine proprii licentia Ordines accepit; sed tantum decernitur, ut a susceptorum Ordinum executione, quandiu proprio Episcopo visum fuerit, maneat suspensus.

Quamvis autem valida sit Ordinatio ab Episcopo alieno, vel etiam hæretico, aut degradato facta, est tamen illicita. Ut enim Episcopus non modo valide, sed etiam licite Ordines conferat, non nisi subditis suis illos conferre debet, aut alienis ex licentia proprii Episcopi; & insuper ab omni censura,& impedimento Canonico debet esse immunis. Concedit tamen idem Concilium sess. 23. c. 9. ut Episcopus familiarem suum, seu domesticum, licet sibi non subditum, ordinare possit, dummodo fuerit cum eo per triennium commoratus.

2. Dicendum 2. ex dispensatione Summi Pontificis simplicem Sacerdotem conferre posse quatuor minores Ordines, Subdiaconatum, & Diaconatum. De minoribus constat ex eo, quod Abbates Regulares possint ex concessione Summi Pontificis Tonsuram, & quatuor mino-

minores Ordines Regularibus sibi subditis conferre, ut habetur ex c. *Quoniam*, dist. 69. & cap. *Cum contingat*, extra de ætate, & qualitatibus Ordinand. & etiam ex Conc. Trid. sess. 13. c. 10. de Reform. De Diaconatu, & Subdiaconatu similiter constat ex privilegio per Innocentium VIII. anno Domini 1488. Abbatibus Ordinis Cisterciensis concesso, ut quibuscunque Monachis sui Ordinis Subdiaconatum, & Diaconatum conferre possint.

De Presbyteratu vero cum nullum extet similis privilegii exemplum; nec ulli simplici Sacerdoti, quamvis in eminentissima dignitate constituto, Summus Pontifex unquam concesserit facultatē ordinandi Sacerdotes, inde merito infertur, ejusmodi facultatem soli Episcopo competere, ut nullis aliis delegari, aut committi possit.

Quod autem spectat ad Episcopum, quamvis jure communi tres Episcopi ad ordinandum, seu consecrandum Episcopum requirantur, ut habetur ex Pontificali Romano, & variis argumentis probat Isambertus disp. 6. ar. 1. potest tamen Summus Pontifex dispensare, ut unus Episcopus alium Episcopum ordinare solus possit. Quod probari solet ex facto S. Gregorii Papæ, qui cum Augustino Episcopo in Angliam misso dispensavit, ut, quando ibi solus esset Episcopus, solus etiam posset alios Episcopos ordinare, donec plures essent, qui cum illo Episcopalem Ordinationem facerent.

3. Dicendum 3. Divino jure omnem, & solum masculum baptizatum sacræ Ordinationis esse capacem. Ita S. Th. in 4. dist. 5. q. 2. a. 1. estque de Fide contra Collyridianos, & Cataphrygas Hæreticos, qui mulieres sacris Ordinibus initiabant, ut testatur S. Epiphanius hæresi 79. Et probatur ex Apostolo 1. Timoth. 2. ubi prohibet, mulierem dominari in virum: & 1. Cor. 14. ubi jubet esse subditam, nec permitti ei in Ecclesia loqui, vel docere; qui vero ad Ordines promoventur, accipiunt præeminentiam, & potestatem in alios. Et c. *Nova quædam*, de pœnit. & remiss. dicitur, mulierem sacræ Ordinationis esse adeo incapacem, ut ne sanctissimæ quidem Virgini Deiparæ, quæ tamen universis Apostolis longe dignior, & eminentior fuit, Claves Regni Cœlorum traditæ fuerint.

Objicies, ex antiquis canonibus constare, mulieres quasdam olim ordinatas fuisse Presbyteras, Diaconissas, Ostiarias, &c.

Respondetur, Diaconissas, & Ostiarias non fuisse ullo Ordine insignitas, sed tantum deputatas ad quædam officia, & munia exteriora, præsertim erga alias mulieres obeunda; Presbyteras vero fuisse vel viduas longe aliis seniores ob ætatem sic dictas, ut patet ex c. *Mulieres*, dist. 3. vel sic vocatas fuisse mulieres conjugatas, quarum mariti ad Presbyteratum, seu Sacerdotium promoti fuerant, quæ tamen in perpetua continentia cælibes permanebant, sicut etiam illæ, quarum conjuges ad Episcopalem Ordinem evecti fuerant; quæ tamen similiter in perpetuo cœlibatu vivebant, dicebantur Episcopæ, ut patet

patet ex Concilio II. Turonensi can. 20. & Antisiodorensi can. 21.

4. Dicendum 4. ut quis licite Ordines suscipiat, requiri in primis, ut nulla lethali culpa sit inquinatus. *Qui enim*, ut loquitur Catechism. Romanus, *mortiferi alicujus peccati sibi conscius initiari se curaret, vel pateretur, novo se, & maximo scelere obstringeret*. Quare ibidem monet, *ut qui sacris initiandi sunt, prius pœnitentiæ Sacramento conscientiam purgare diligenter studeant*.

Præterea requiritur, ut nullo Censuræ vinculo innodatus, nulla etiam irregularitate impeditus sit, quod infra suo loco explicabitur: itē ut legitimo tempore, & idonea ætate ordinetur, habeatque alias qualitates, seu dispositiones jure Divino, vel Ecclesiastico præscriptas.

Atque in primis, quod spectat ad tempus, prima Tonsura Clericalis quacunque die, & hora conferri potest, ut habetur in Pont. Rom. quatuor minores Ordines, quando seorsim a majoribus conferuntur, Dominicis tantum, & festivis diebus, idque mane, ut ibidem præscribitur, tres vero majores Ordines non nisi in Sabbatis quatuor tēporum, & in Sabbato ante Dominicam Passionis, & ante Dominicam Resurrectionis, ut constat ex universali Ecclesiæ praxi, & habetur cap. *De eo*, de temporibus Ordinat. & cap. ult. dist. 75. Ordinatio vero Episcopi non nisi die Dominica fieri debet, idque ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, ut docet S. Leo Epist. 79. ad Dioscorum cap. 1. & habetur c. *Quotidie*, dist. 75.

5. Ad legitimum tempus Ordinationis pertinet etiam observatio interstitiorum, id est ut post aliquem Ordinem susceptum, non nisi anno elapso superior Ordo conferatur: quod solum in majoribus locum habere testantur Navarrus, Reginaldus, Menochius, & alii apud Bonacinam disp. 8. quæst. un. de Ord. pun. 1. Potest tamen Episcopus in illis temporum interstitiis ex causa rationabili dispensare, & omnes etiam minores Ordines simul, & eodem die conferre, non vero duos majores, neque etiam ipsos minores simul cum aliquo majori, nisi forte ex aliqua particulari consuetudine minores Ordines cum Subdiaconatu eodem die conferri soleant; quam quidem consuetudinem damnari non debere asserunt S. Antoninus, Navarrus, & alii apud Laymannum cap. 38. de Ord. cum a Concilio Trident. damnata non fuerit.

6. Quod vero spectat ad ætatem, Conc. Trid. decrevit sess. 23. c. 12. de refor. *Ut nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatum ante vigesimum tertium, ad Presbyteratum ante vigesimum quintum ætatis suæ annū promoveatur:* quod intelligendum esse de annis inchoatis, constat tum ex Bulla Pii II., quam refert Quaranta verbo *Ordinatio*, tum ex communi Ecclesiæ praxi. Ad Episcopatum vero requiruntur juxta juris antiqui dispositionem triginta anni completi, ut habetur c. *Cum in cunctis*, de Electione. Ad Tonsuram denique, & minores Ordines nulla in Con-

cil.

cil. Trid. certa præscribitur ætas, sed id Episcopi judicio relinquitur; dummodo tamen servetur Constitutio Bonifacii VIII. c. *Nullus*, de temporibus ordin. in 6. ubi prohibitum est, ne Clericalis Tonsura i. fanti, id est minori septem annis, ut explicat Glossa, conferatur. Certe ex dispositionibus illis, quas ad Clericatum, aut minores Ordines Concilium exigit, de quibus agetur Sectione sequenti, satis aperte colligitur, secundum mentem Concilii requiri ætatem, non modo rationis, sed etiam paulo maturioris judicii capacem.

SECTIO IV.

Quænam qualitates, seu dispositiones requirantur in illis, qui ad Ordines sunt promovendi.

1. UT nihil nisi certum, & ab Ecclesia non modo probatum, aut prioribus sæculis usitatum, sed etiam pro tempore præsenti præscriptum, proindeque ab omnibus servandum, proponamus, ipsius Conc. Trid. decreta paulo fusius attexemus, ut ex iis attente consideratis, ac perpensis quivis intelligat, quæ sit Ecclesiæ mens, quodve super hoc Ordinationis sacræ negotio consilium.

Atque in primis, quod spectat ad primam Tonsuram, sic de illa Concilium loquitur sess. 23. cap. 4. de ref. *Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & Fidei rudimēta edocti non fuerint, quique legere, & scribere nesciant, & de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse*. Quibus verbis quatuor dispositiones requirit in eo, qui Clericali militiæ cupit adscribi. Prima est, ut Sacramentum Confirmationis jam receperit. Quod quidem tam stricte præceptum esse, docet Bonacina disp. 8. qu. unic. de Ord. pun. 5. ut existimet, eum peccare mortaliter, qui Tonsura Clericali ante susceptum Confirmationis Sacramentum initiatus fuerit. Secunda est, ut Fidei rudimenta fuerit edoctus, id est, ut non modo Catechismum memoriter didicerit, quod pueris familiare est, sed præsertim ut ipsius Doctrinæ Christianæ sensum perceperit, ita ut de præcipuis ejus Mysteriis interrogatus apte respondere possit. Tertia est, ut legere, ac scribere sciat. Quarta denique est, ut non alicujus temporalis commodi causa, sed solummodo *ut Deo fidelem cultum præstet, hoc vitæ genus elegerit*. Quæ verba maxime perpendi debent: illis siquidem declarat Ecclesia, in eo, qui Tonsuram Clericalem suscepturus est, prærequiri, ut attente consideret, quale sit illud vitæ Clericalis genus, quod amplecti cupit, neque aliena inductione, aut præcipitanter, sed sponte, & præmissa matura deliberatione, adhibitoque (quod maxime conducit) viri alicujus pii, & prudentis consilio illud eligat, non ullo humano respectu, neque beneficii alicujus captandi gratia, aut

commodius vivendi spe, sed fidelis, & sinceri obsequii Deo præstandi causa, unice ad id inductus. De quibus omnibus, & singulis prima Tonsura initiandos serio examinari debere, constituit S. Carolus Borromæus in Concilio IV. Mediolanen. titul. de iis, quæ pertinent ad sacras Ordinationes.

2. De minoribus autem Ordinibus Conc. Trid. sess. 23. cap. 11. de reformat. sic loquitur. *Minores Ordines iis, qui saltem linguam Latinam intelligunt, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur, ut eo accuratius, quantum sit hujus disciplinæ pondus, possint edoceri, ac in unoquoque munere juxta præscriptum Episcopi se exerceant, idque in ea, cui adscripti erunt, Ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint, atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum, & doctrina major accrescat, quod & bonorum morum exemplum, & assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga Presbyteros, & superiores Ordines reverentia, & crebrior, quam antea, corporis Christi communio maxime comprobabunt.* Quibus verbis sex præsertim dispositiones exigit in iis, qui ad minores Ordines promoventur. Prima est, ut saltem linguam Latinam intelligant. Secunda, ut accurate edoceantur, quæ sit illorum Ordinum ratio, & quæ singulorum propriæ functiones. Tertia, ut alicui Ecclesiæ adscribantur, ibique in suscepti Ordinis munere, juxta Episcopi præscriptum, se exerceant, antequam ad altiorem gradum evehantur. Quarta, ut Presbyteris, aliisque Superioribus Ecclesiasticis, & potiore adhuc ratione ipsi Episcopo, reverentiam, & observantiam debitam exhibeant. Quinta, ut modestia, & bonorum morum exemplo cæteris præfulgeant. Sexta denique, ut ad sacram corporis Christi communionem frequenter accedant, adeoque vitam ducant tanti Sacramenti frequenti susceptione dignam. De quibus testimonium a Parocho, & Scholæ Magistro habere debent, ut ab eodem Concilio præscribitur ejusd. sess. cap. 5.

3. Jam quod spectat ad Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum; Concilium in primis declarat c. 12. ad Ordines illos assumi debere *Dignos dumtaxat, quorum probata vita senectus sit.* subjungit deinde cap. 13. Subdiaconos, & Diaconos ordinandos esse, *habentes bonum testimonium, & in minoribus Ordinibus jam probatos, ac literis, & iis, quæ ad Ordinem exercendũ pertinent, instructos, qui sperent Deo auctore se continere posse, qui etiam Ecclesiis, quibus adscribentur, inserviant, sciantque, maxime decere, si saltem diebus Dominicis, & solemnibus, cum Altari ministraverint, sacram Communionẽ percipiãt.* Demum de Presbyteratu sic loquitur cap. 14. *Qui pie, & fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, & ad Presbyteratus Ordinẽ assumuntur, bonum habeant testimonium, & ii sint, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatẽ aliud Episcopo videatur, ministraverint, sed etiam ad populum docendum*

dum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ministranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur, atque ita pietate, ac castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari.

4. Ex qua Concilii doctrina intelligitur, sex præsertim dispositiones in illis requiri, qui ad sacros illos Ordines promoveri cupiunt. Prima est, ut probata fuerit, & exemplaris eorum vita, idque testimonio fide digno constet. Secunda, ut in susceptis Ordinibus debite ministraverint, & in suscipiendis ministrare, ac inservire ex animo velint, præsertim in ea Ecclesia, cui vel ratione Beneficii, quod obtinent, vel ex Episcopi præscripto fuerint adscripti. Tertia, ut erga sacram Eucharistiam impense affecti, illius participationem frequēter, ac saltem diebus Dominicis, ac solemnibus expetiverint. Quarta, ut tales sint, qui Deo bene juvante perpetuam, & illibatam castitatem tam corporis, quam animi servare se posse sperent. Quinta, ut probe teneant ea, quæ ad susceptorum Ordinum functiones apte, ac debite exercendas pertinent, v. g. cæremonias, cantum Ecclesiasticum, Officii Divini recitandi ordinem, &c. Sexta denique, ut ea scientia polleant, ii præsertim, qui ad Presbyteratum promovendi sunt, quæ ipsis sufficiat tum ad Sacramenta debite administranda, tum ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem. Unde manifestum est, plerosque decipi, existimantes, sufficere simplici (ut loquuntur) Sacerdoti, qui neque curam animarum suscipere, neque Divinum verbum prædicare, neque audiendis Confessionibus, aut aliis Sacramentis administrandis vacare intendit, si linguam Latinam utcunque intelligat, & ea, quæ ad Missam celebrandam, Officiumque Divinum recitandum spectant, didicerit; cum tamen Concilium absolute nullos ad Sacerdotium velit promoveri, nisi qui ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & ad ministranda Sacramenta idonei comprobentur. Esto enim nunquam velit Sacerdos ille Sacramentum ullum ministrare, aut Fidei Christianæ rudimentis neminem imbuere (de quo quid coram supremo Judice respondeat, ipse viderit) certe variæ occasiones non infrequenter occurrere possunt, in quibus urgente aliqua necessitate, vel puerum, aut quemvis alium de præcipuis Fidei Mysteriis erudire, vel Baptismum infanti de vita periclitanti ministrare, aut absolutionem Sacramentalem alicui subitanea ægritudine, aut alio repentino casu in extremis vitæ constituto conferre tenebitur, quando nullus alius Sacerdos advocari poterit. Quid tunc ille doctrinæ Fidei, & disciplinæ Sacramentalis inscius acturus est? in quas angustias redactum se deprehendet? quando dubius, & anceps animi, fortassis absolutionem Sacramentalem indigno, & indisposito sacrilege impertietur, vel denegabit ei, quem absolvere debet, sicque illum ma-

nifesto æternæ salutis amittendæ periculo exponet.

5. Porro de iis omnibus diligens examen ab Episcopo præmittendum esse decrevit Concilium, ne manus cito, minusque considerate illis imponens, ipsorum peccatis communicet. Hujus quidem examinis forma exactissima a Sancto Carolo Borromæo in praxim redacta videri potest in Concilio V. Mediolanensi, ubi plurima reperientur, quæ supra relatis Concil. Trid. decretis majorem adhuc afferent lucem.

Supra dictis dispositionibus ad sacros Ordines requisitis addenda est adhuc una, quæ non aliis, quā ipsiusmet Concilii verbis melius, aut efficacius exprimi potest. Sic igitur Concilium sess. 21. capit. 2. de ref. *Cum non deceat, eos, qui Divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, compertumque sit, complures plerisque in locis ad sacros Ordines nullo fere delectu admitti, qui variis artibus, ac fallaciis confingunt, se Beneficium Ecclesiasticum, aut etiam facultates idoneas obtinere, statuit Sācta Synodus, ne quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero Beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius Beneficii titulū sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde commode vivere possit, & aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, Patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ iis ad vitam sustentandam satis sint; atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint, antiquorum Canonum pœnas super his innovando.* Ex hoc autem Concilii decreto colligi potest, quam graviter peccent illi, qui ficto interdum, & ementito Patrimonii titulo, se Ordinibus sacris ingerunt, aut stipulationes aliquas de retrocedendo titulo illo, aut fructibus ejus nunquam exigendis, contra Concilii mentem, faciunt, nec verentur Spiritui Sancto mentiri: qui haud dubie maledictionem pro benedictione expectare debent, ac merito formidare, ne tam indigna, & sacrilega tanti Sacramenti susceptio ipsis in animæ perniciem, æternamque ruinam vertatur.

SECTIO V.

Quinam sint hujus Sacramenti effectus.

1. Dicendum 1. per dignam cujusque Ordinis majoris, vel minoris susceptionem conferri Gratiam tū sanctificantem (quod omni-

omnibus Sacramentis commune est, ut ex ante dictis constat.) tum specialem, & cujusque Ordinis propriam, id est jus quoddam ad accipienda specialia quædam auxilia proportionata functionibus, & officiis uniuscujusque illorum Ordinum propriis, per quæ is, qui Ordine aliquo initiatus est, peculiari modo juvatur, & idoneus efficitur ad officia illa debite exercenda; quæ quidem auxilia non solum tunc, cū Ordo suscipitur, sed præsertim quoties susceptus Ordo exercendus est, ipsi ordinato speciali Dei providentia conferuntur, ut fusius explicat, & probat Isambertus disp. 4. de Ord. art. 1.

Dicendum 2. per Sacramentum Ordinis imprimi characterem indelebilem, proindeque Ordinationem iterari non posse: quod expresse definitum est in Conc. Trid. sess. 23. can. 4. Unde quando contingit propter quædam crimina, ordinatos interdum deponi, vel degradari, non aufertur ab eis character Ordinis, sed tantum gradus, honor, & locus Ordinis debitus, ita ut quoad hunc gradum, honorem, & locum, cum laicis reputentur.

Dicendum 3. per Ordinum susceptionem acquiri jus quoddã ad sacras aliquas, & religiosas functiones cujusq; Ordinis proprias legitime exercendas; cum eo præsertim fine unusquisq; Ordo conferatur, ut patet tum ex verbis formæ cujusque Ordinis propriæ, tum ex aliis monitis, quæ ab Episcopo ad ipsos ordinandos diriguntur.

2. Quæres, quænam sint functiones illæ cujusque Ordinis propriæ. Respondetur, præcipuas has esse, prout ex Pontificali, & Catechismo Romano habetur.

Ostiariorum functiones propriæ sunt, Templi, & Sacrarii claves, ac januam custodire, & aditu Templi arcere eos, quibus ingredi vetitū est; item curare, ne quis, dum sanctissimum Missæ sacrificium peragitur, propius, quam par est, ad sacram Aram accedat, aut Sacerdotem rem Divinam facientem interpellet, campanas etiam pulsare, & librum aperire ei, qui prædicat. Magnam autem olim in Ecclesia hujus Ordinis, licet inter omnes Ordines minimi, dignitatem fuisse, vel ex eo colligitur, ut recte observat Catechismus Romanus part. 1. cap. 7. quod nunc etiam Thesaurarii officium, qui Sacrarii custos est, proindeque ad Ostiariatus Ordinem proprie pertinet, inter honestiora Ecclesiæ munera recensetur.

Lectorum officium est in Ecclesia novi, & veteris testamenti libros clara, & distincta voce recitare, præsertim eos, qui inter nocturnam legi solent Psalmodiam, itē prima Christianæ Religionis rudimenta Fidelibus tradere, nec non panem, & fructus novos benedicere.

Ad Exorcistas pertinet imponere manus energumenis, seu iis, qui ab immundis Spiritibus obsidentur, & ab ipsis corporibus obsessis per Exorcismi verba Spiritus immundos depellere, item a Communione indignos excludere, nec non aquam ad ministerium Baptismi requisitam Sacerdoti ministrare.

Acolythorum partes sunt Subdiaconum, & Diaconum in Altaris ministerio assectari, eisque inservire, vinum, & aquam ipsis ad Eucharistiam porrigere, luminaria Ecclesiæ accendere, eademque deferre accensa, cum Missæ Sacrificium celebrandum est, ac præsertim cum Evangelium legitur.

3 *Subdiaconorum* munus est, ut nomen ipsum declarat, Diacono ad Altare inservire, sacra itē linteamina, id est corporalia, & pallas Altaris abluere, panem, & vinum, aliaque ad Sacrificii usum necessaria præparare, aquā Sacerdoti manus in Altari abluenti præbere, Epistolam alta voce in Missa legere, & Sacerdoti sacris operanti tanquā testem assistere, illumque custodire, ne a quoquam interturbari possit.

Ad Diaconos spectat Sacerdoti ministranti proxime ministrare, in ipso Missæ Sacrificio Evangelium publice legere, item ex commissione Superiorum Baptismi Sacramentum conferre, verbumque Divinum Fidelibus prædicare: est etiam illorum, vi ordinationis suæ, Episcopum sequi, quando id ab illis exigit, eum concionantem, aut celebrantem custodire, & instar oculorum ejus pervestigare, num omnia in Urbe, vel Diœcesi recte se habeant, &, si quæ secus deprehenderint, de his Episcopum commonefacere, quod hodie ad Archidiaconos præsertim devolutum est.

Sacerdotum denique functiones propriæ sunt sanctissimum Missæ Sacrificium offerre, Baptismum, aliaque Sacramenta (si Confirmatio, & Ordo excipiantur) conferre, verbum Divinum prædicare, & alia omnia ad salutem animarum, cultumque Divinum spectantia, quæ Episcopo, jure Divino, aut Ecclesiastico, minime reservantur, secundum Ecclesiasticas leges peragere.

4. Quod autem spectat ad *Episcopos*, nostræ tenuitatis non est verticem illum Ecclesiasticæ dignitatis attingere, sufficiat hic nobis debita reverentia suspicere culmen illud, & munus ipsis etiam humeris Angelicis formidandum, illosque ut Cleri, ac populi Patres, & Pastores debita observantia prosequi. Ipsorum est, si libuerit, in sacris Scripturarum, Conciliorumque codicibus, quid Spiritus Sanctus ad optimum Ecclesiarum regimen ab ipsis exigat, perquirere, ac præsertim in Conc. Trid. sess. 21. in decr. de modo bene vivendi, item sess. 5. cap. 1. de ref. sess. 22. in decr. de observandis, & vitandis in celeb. Miss. sess. 23. cap. 1. 2. 3. 4. 5. &c. de reform. sess. 24. cap. 3. & 4. de ref. sess. 25. ca. 2. 3. &c.

Nec illud omittendum, quod habetur sess. 23. cap. 17. de refor. ubi Concilium varias Ordinum Ecclesiasticorum functiones pluribus in locis intermissas esse, & in desuetudinem abiisse conqueritur. *Hortaturque omnes, & singulos Prælatos Ecclesiarum, ac illis præcipit, ut, quantum fieri commode poterit, in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus suæ Diœcesis, si populus frequens, & Ecclesiæ proventus id ferre queant, hujusmodi functiones curent restituendas*, &c.

CA-

CAPUT OCTAVUM.

De Sacramento Matrimonii.

SECTIO I.

Utrum Matrimonium sit Sacramentum.

1. MAtrimonii nomine, ut docet Catechismus Rom. par. 2. cap. 8. intelligitur legitima viri, & mulieris conjunctio, individuam vitæ societatem continens. Dicitur autem Matrimonium, vel quia fœmina eo præsertim fine nubit, ut mater fiat, vel quia prolem concipere, parere, educare, ad matrem præsertim spectat. Vocatur etiam conjugium, eo quod virum, ac mulierem sub uno, eodemque quasi mutuo jugo ad fidem servandam, & onera Matrimonii sustinenda constituat. Nuptiarum quoque nomine nuncupatur, quia, ut observat S. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 9. virgines tradendæ in matrimonium velo se operire, & quasi obnubere solebant, idque in signum tum pudoris, tum etiam subjectionis erga virum.

Est autem triplex Matrimonium, scilicet legitimum, ratum, & consummatum: Legitimum dicitur illud, quod legitimo consensu inter personas non impeditas contractum est, quale olim erat ante Christi Domini adventum, & etiam nunc inter Ethnicos, & Infideles esse solet. Ratum includit in se legitimum, addit vero rationem Sacramenti, per quod majorem firmitatem, & indissolubilitatem acquirit. Unde Innocentius III. in cap. *Quanto*, de divortiis, *Etsi*, inquit, *Matrimonium verum inter Infideles existat, nō tamen est ratum*, idest, ut ait Glossa, inter Infideles potest dissolvi, inter Fideles indissolubile est. Denique Matrimonium dicitur consummatum, quod reali corporis usu, & legitima copula perfectum, & completum est.

2. In prima quidem mundi creatione Matrimonium a Deo institutum est tanquam officium naturæ, ut docet Catec. Rom. supra, at vero in ipsius mundi instauratione per Christum facta, Sacramenti dignitas illi adjuncta est, ita ut Matrimonium, quod inter Fideles legitime contrahitur, sit ex ipsius Christi Domini institutione verum, ac proprie dictum novæ legis Sacramentum. Hæc veritas, quæ de Fide est,

Probatur contra Lutheranos, & Calvinistas illam negantes, 1. auctoritate Scripturæ Ephes. 5. ubi Apostolus de Matrimonio loquens, *Sacramentum*, inquit, *hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*. Quæ Apostoli verba explicans S. Augustinus lib. 1. de Nuptiis, & Concup. c. 21. *Hoc Sacramentum*, inquit, *in Christo, & in Ecclesia magnum, in singulis quibusque viris, atque uxoribus minimū, sed tamen conjunctionis inseparabilis Sacrāentū*; quibus verbis docet,

Matrimonium esse Sacramentum, magnum quidem, quatenus Christi cum Ecclesia conjunctionem significat, minimum vero in dignitate, si conferatur cum aliis Sacramentis: unde & ultimo loco numeratur.

Probatur 2. ex Conc. Flor. in decret. Eug. & Trid. sess. 24. ubi eadem veritas definita est.

Probatur 3. ex Ss. Patribus, qui Matrimonium Sacramenti nomine vocant, eique proprium Sacramenti effectum, Gratiam scilicet, tribuunt, ut S. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 7. ubi dicit, Deum esse *veluti Præsulem, custodemque conjugis, &c. eumque qui conjugii torum polluit, peccare in Deum, ejusque Gratiam solvere, ac Sacramenti cœlestis amittere consortium*. S. Augustinus lib. de bono conjugali c. 18. *In nostris*, inquit, *nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri*. & lib. de fide, & operibus cap. 7. *In Ecclesia*, inquit, *nuptiarum non solum vinculum, & verum etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere*.

Cum igitur ex Fide constet, Matrimonium esse Sacramentum, & aliunde habeatur, ut supra dictum est, Sacramenta novæ legis constare materia, & forma,

3. Quæritur 1. quæ sit hujus Sacramenti materia, & forma. Omissis variis Theologorum super hac quæstione sententiis, probabilissima omnium videtur ea, quæ asserit, materiam remotam Matrimonii esse corpora ipsorum contrahentium, proximam vero mutuam eorundem corporum traditionem verbis, seu nutibus consensum interiorem exprimentibus factam, formam denique mutuam ipsorummet corporum acceptationem a contrahentibus similiter factam. Huic sententiæ, quam variis argumentis propugnat Isambert. disp 4. de Matrim. art. 2. aperte favet S. Doct. in supplem. quæst. 45. art. 2. ubi docet, mutuam corporum traditionem ita se habere ad Matrimonium, sicut se habet ablutio ad Baptismum; quod si secundum illius mentem mutua traditio corporum est materia ipsius Matrimonii, sequitur, quod eorundem corporum mutua acceptatio sit ejusdem Matrimonii forma; sicut in contractu donationis traditio rei censetur quasi materia contractus, acceptatio vero quasi forma, cum præsertim ab acceptatione contractus ipsius validitas, & firmitas pendeat.

Quæritur 2. quis sit hujus Sacramenti Minister. Respondetur, esse ipsosmet contrahentes sibi mutuo materiam, & formam applicantes. Ita Sotus, & alii, quos citat, & sequitur Vivaldus in Cãdelabro aureo tit. 17. de Sacram. Matr. Bellar. lib. 1. de Matr. c. 6. & Petrus de Ledes. tr. de Matr. c. 2. ubi hanc sententiam post Conc. Trid. communem esse Theologorum asserit. Unde sequitur, Parochum, aut aliũ Sacerdotem ejus nomine Matrimonio assistentem non esse Ministrum, sed solummodo testem principalem, proindeque verba, quæ profert, non pertinere ad formã hujus Sacramenti, sed ex Ecclesiæ instituto adhiberi ad consensum mutuum ipsorum contrahentium comprobandum.

4. Quæ-

4. Quæritur 3. an Matrimonium per Procuratorem contractum sit vere Sacramentum. Respondetur affirmative. Quamvis enim aliqui Theologi id negent, probabilior tamen est sententia eorum, qui affirmant. Quam sententiam post Dominicum Sotum, Navarrum, & plures alios tuetur, & pluribus probat Isambert. disp. 3. ar. 4. & Petrus de Ledesma cap. de Matrim. Et constat ex cap. finali de procuratoribus in 6. ubi Bonifac. VIII. quasdam conditiones apponens, ut Procurator idoneus sit ad Matrimonium contrahendum, ex consequenti satis aperte declarat, Matrimonium per procuratorem contrahi posse.

Neque dicas, fieri posse, ut is, qui per Procuratorem contrahit, sit in statu peccati mortalis eo tempore, quo Procurator ejus consensum per verba de præsenti exprimit. Hoc enim non obstat, quin Matrimonium illius sit vere Sacramentum, quamvis nullam ex eo Gratiam ob dispositionis defectum recipiat.

Est autem hic observandum, quod docet Isambert. sup. ad hoc ut Matrimonium per Procuratorē valide contrahatur, adeoque verum sit Sacramentum, quinque præsertim requiri conditiones. Prima est, ut Procurator habeat speciale mandatum ad Matrimonium nomine alterius contrahendum. Secunda, ut id exequatur per seipsum, & non per alterum a se substitutum. Tertia, ut eo tempore, quo Matrimonium per Procuratorem contrahitur, is, cujus nomine contrahitur, potestatem Procuratori datam non revocaverit, etiamsi tam Procurator, quam persona, cum qua contrahit, revocationem ejusmodi penitus ignorent. Quarta, ut mandatum illud Procuratoris sit ad contrahendum cum certa, & determinata persona. Quinta denique, ut Procurator conditiones & clausulas in mādato appositas servet, nec illius fines excedat. Quæ quidem conditiones habentur expressæ in citato capite finali, & apud eundem Isambertum fusius explicantur.

5. Quæritur 4. quid de Matrimonio Infidelium sentiendum sit. Respondetur, Matrimonium illud, quod contrahitur inter Infideles non baptizatos, non esse Sacramentum, sicut nec illud, quod contraheretur inter baptizatum, & alteram nō baptizatam, ut docet Toletus lib. 7. c. 9. & pluribus probat Isambert. art. 3. Quod si ipsi Infideles ad Fidem converterentur, & baptizarentur, tunc eo ipso, quod post susceptum Baptismum consentirent inter se cohabitare, & signo aliquo declararent, eorum Matrimonium fieret omnino ratum, & indissolubile, ac proinde Sacramentum, ut docent Eckius, Henriq. Bellarm. Petrus de Ledesma, & alii apud Laymann. par. 2. cap. 3. de Matrim. Si vero altero conjugum in Infidelitate remanente, alter ad Fidem converteretur, & baptizaretur, quamvis olim primis Ecclesiæ temporibus indultum fuisset, ut conjux Fidelis cum Infideli cohabitare posset, ut constat ex 1. Cor. 7. postea tamen crescente Fide, & numero Fidelium, Ecclesiæ visum est ad cavenda perversionis pericula, aliaque mala, universim prohibere cohabitationem conjugis Fidelis

cum

cum Infideli, ut constat ex cap. *Judæi sæpe*, causa 28. quæst. 1. Imo si *alter Infidelium conjugum*, ut edixit Innocentius III. cap. *Quanto*, de divortiis, *ad Fidem convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia Divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare nolente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit*. Addit Laymannus supra ex Soto, Henriquez, & aliis, cũ hodie cohabitatio conjugis Fidelis cum Infideli omnino sit prohibita, probabile esse, conjugem ex infidelitate ad Fidem conversum, & baptizatum posse transire ad alias nuptias; quamvis alter conjux in Infidelitate remanens pacifice, ac sine Dei injuria cohabitare velit.

SECTIO II.

Quænam requirantur ad hoc, ut Matrimonium valide contrahatur.

1. AD Matrimonii validitatem quatuor præsertim requiruntur. Primum est, ut contrahentes liberum consensum præbeant, illumque de præsenti per verba aliqua, aut signa exteriora exprimant. Ita expresse habetur in Catech. Roman. par. 2. c. 8. Atque in primis requiri consensum liberum, ita ut si ex parte alicujus contrahentium liber ille consensus desit, Matrimonium nullum sit, patet ex cap. *Dum locum*, & cap. *Tuæ fraternitati*, de sponsalibus, item ex cap. *Sufficiat*, & cap. *Si quippe*. 27. q. 2.

Ex quo sequitur, Matrimonium contractum ex gravi aliquo metu injuste incusso esse invalidum, ut constat ex capite, *Veniens*, de sponsalibus, & cap. 2. de eo, qui duxit in Matrimonium, sive tale Matrimonium irritum sit ex jure Divino, seu naturali, ut existimant Sotus, Navarrus, & alii apud Lessium prælect. Theol. de Matrimon. cap. 4. dubio 8. sive solum ex jure Ecclesiastico, ut Joannes Major, Paludanus, Sotus, & alii apud eundem asserunt. Debet autem esse metus gravis, seu cadens in constantem virum, ut dicitur citato capite *Veniens*, & cap. *Cum locum*, supra. Qualis autem metus gravis censeri debeat, id prudentis viri judicio dignoscendum est, ut recte monet Lessius supra. Multa enim gravem metum, v. g. puellæ incutere possunt, quæ a robusto, & magnanimo viro nihili fierent. Debet etiam metus ille esse injuste incussus ad extorquendum consensum, ut patet ex citato capite *Cum locum*. Si enim juste incutiatur a lege, vel a judice præcipiente, v. g. ut virginis stuprator eam in Matrimonium ducat, Matrimonium tali metu non redditur invalidum, ut habetur capite *Ex litteris*, de sponsalibus.

2. Dubitant Doctores de metu reverentiali, quando v. g. puella jubenti patri, ut cum tali viro nubat, contradicere non est ausa, an scilicet metus ille debeat censeri gravis, adeoque Matrimonium irritum reddat. Navarrus, & quidam alii, quos citat Laymannus

part.

part. 2. de Sacramento Matrimonii cap. 5. existimant, Matrimonium ex tali metu contractum esse irritum. Melius Henriquez, Lessius, & alii apud eundem docent, metum illum reverentialem tunc solummodo censeri gravem, ac proinde validitati Matrimonii contrarium, quando voluntati, & imperio patris, aut alterius superioris conjunctæ sunt minæ graves, aut aliqua sævitia; idemque dicendum, si timeatur gravis, & diu duratura indignatio patris.

Præterea consensus ille debet esse de præsenti, ut docet sanctus Thomas, Scotus, Paludanus, & plures alii, quos citat, & sequitur Petrus de Ledesma capite 5. de Matrimonio, & constat tum ex capite *Tuæ fraternitati*, & capite *licet*, de sponsalibus, tum ex decreto Eugenii, ubi dicitur, quod *causa efficiens Matrimonii est mutuus consensus per verba de præsenti regulariter expressus*. Ex quibus verbis habetur etiam, consensum illum per verba, aut signa aliqua exteriora exprimendum esse. Cum enim Matrimonium sit Sacramentum, in signo aliquo exteriori consistere debet. Diximus *verba, aut signa aliqua exteriora*, quæ verborum defectum supplere possunt, ut in multis contingit, qui licet eloqui non valeant, Matrimonium tamen per signa, & nutus valide contrahere possunt, ut habetur capite *Tuæ fraternitati*, supra.

Secundum, quod requiritur ad Matrimonii validitatem, est, ut consensus illius expressio fiat coram Parocho, & duobus, vel tribus testibus. Quamvis enim matrimonia clandestine contracta essent olim solummodo illicita; novo tamen jure in Concilio Trid. sessione vigesima quarta, capite 1. de reformatione Matrimonii constitutum est: *Qui aliter, quam præsente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos facit, & annullat*. Ubi Parochi nomine, ut recte observat Isambertus disputatione septima de Matrimonio articulo nono, intelligitur ille, qui ordinariam in contrahentes habet jurisdictionem, quales sunt Papa, Episcopus, & proprius ipsorum contrahentium Parochus, qui saltem titulum coloratum, & præsumptum in foro exteriori habeat, ut constat ex capite *Infamis*, quæstione septima. Quod si contrahentes diversarum sint Parochiarum, non requiritur, ut ambo Parochi assistant, sed sufficit ille, in cujus Parochia Matrimonium celebratur, ut ex praxi Ecclesiæ constat, & habetur in Rituali Romano, titul. de Sacramento Matrimonii.

Porro tam Parochi, quam testium præsentia non tantum physica, sed etiam moralis requiritur, ut intelligant, quid agatur, & de eo testari possint, ut observat Laym. p. 2. de Matrim. c. 4. & Petr. de Ledesm. c. 6. de Matrim. Unde & testes a Concilio vocantur.

Quod si post Matrimonium coram Parocho, & testibus contra-

ctum, deprehendatur occultum aliquod impedimentum dirimens, tunc obtenta dispensatione satis erit; ut vir, & mulier de novo consentiant in Matrimonium inter se mutuo contrahendum, & consensum illum signo aliquo exteriori sibi invicem manifestent, nec ad id Parochi, aut testium præsentia requiritur, ut docet Navarrus c.22. n.70. & Petrus de Ledesma supra cap.6. ubi etiam refert, a Pio V. Summo Pontifice ita declaratum fuisse.

Contra doctrinam superius traditam objicere posset aliquis, consensum clandestinum olim ad validitatem Matrimonii suffecisse, ac proinde etiam nunc sufficere; cum ea, quæ ad Sacramentorum substantiam, & validitatem pertinent, ab Ecclesia mutari non possint.

Respondetur, ad substantiam, & validitatem Sacramenti Matrimonii requiri contractum validum, seu mutuum contrahentium consensum valide expressum; quamvis autem Ecclesia efficere non possit, ut validus contractus non sit ad rationem hujus Sacramenti sufficiens, potest tamen ad hoc, ut contractus validus existat, certas conditiones apponere, quæ si desint, censebitur invalidus, nec proinde ad Sacramenti hujus substantiam, seu validitatem erit sufficiens.

Tertium, quod ad Matrimonii validitatem requiritur, est ætas pubertatis in utroque contrahentium, in mare quidem quatuordecim annorum completorum, in fœmina autem duodecim annorum item completorum. Ita habetur ex cap. *Continebatur*, cap. *Attestatione*, & cap. ult. de desponsatione impuberum, ubi pueri, & puellæ ante dictam ætatem ad Matrimonium contrahendum declarantur inhabiles, nisi malitia suppleat ætatem, & ob justam aliquam causam cum illis dispensetur, juxta cap. *Ubi*, eodem titulo.

Quartum denique ad validitatem Matrimonii requisitum est, ut nullum in contrahentibus subsit impedimentum canonicum, quod Matrimonium contrahendum impediat, contractumque dirimat. De his autem impedimentis agetur infra suo loco.

SECTIO III.

Quænam requirantur, ut Matrimonium non modo valide, sed etiam licite contrahatur.

1. AD debitam, & licitam Matrimonii celebrationem quatuor præsertim necessaria sunt. Primum est, ut ipsi contrahentes nullius peccati mortalis sibi conscii sint. Cum enim Matrimonium sit Sacramentum vivorum, ab iis, qui per peccatum mortui sunt, nec utiliter, nec licite suscipi potest. Unde Conc. Trid. sess.20. in decreto de reform. Matrimonii, monet conjuges, ut antequam contrahant, *sua peccata diligenter confiteantur*. Addit Catech. Rom. part.2. cap.8. eos, qui Matrimoniũ contrahunt, *non humanam aliquam rem aggredi, sed Divinam, in eoque proinde singularem mentis integritatem, & pietatẽ adhi-*

adhibendam esse. Requirit præterea Romanum Rituale in ipsis contrahentibus talem præcipuorum Fidei mysteriorum notitiam, ut de illis filios suos erudire possint. Quibus omnibus adjungi merito potest voluntatis rectitudo, ac intentionis puritas, ut scilicet Matrimonium, non intuitu divitiarũ, voluptatis, aut alterius similis rei, sed ob finem aliquem Deo gratum, & honorificum contrahatur, Si enim in aliis actionibus humanis, ut recte fiant, istud requiritur, multo magis in actione sacra, & religiosa, qualis est ipsius Matrimonii contractus, Sacramenti dignitate illi annexa veluti consecratus.

2. Secundũ est, *ut antequam Matrimonium contrahatur, a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarũ solemnia publice denuntietur, inter quos Matrimoniũ sit contrahendum*. Ita enim præscribitur in citato decreto Conc. Trid. quod & antea in Conc. Lateranensi sub Innoc. III. constitutum fuerat, ut refertur cap. ult. de clandestinis desponsationibus. Hæ autem denuntiationes ab utriusque contrahentium Parochis fieri debent, si forte ad diversas Parochias pertinent ut impedimenta, si quę subsint, ex utraque possint detegi, ut docent Henriquez, Sanchez, & alii apud Laymannum par. 2. de Matrim. c. 4. A quibus denuntiationibus, aut ab aliquibus illarum potest ex justa causa dispensare Episcopus, quod quidem illius prudentiæ, & judicio relinquitur, ut in præfato decreto declaratum est.

Cæterum, quantum temporis requiratur ad hoc, ut quis censeatur esse alicujus Parochiæ, quid item facto opus sit, cum quis a paucis diebus, aut hebdomadibus Parochiam aliquam incolere cœpit, aut quando factis denuntiationibus notabile aliquod tempus elapsũ est, antequam Matrimonium contraheretur, consulere quisque debet particularem consuetudinem, aut Rituale proprium cujusque Diœcesis, sicut & in aliis similibus difficultatibus, quarum resolutio a Constitutionibus, aut moribus localibus petenda est, illisque deficientibus judicium Episcopi exquirendum.

3. Tertium est, ut tempore apto, & convenienti celebretur Matrimonium, serveturque interdictum Ecclesiæ prohibentis celebrationem nuptiarum a prima Dominica Adventus usque in diem Epiphaniæ, & a Feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive, ut habetur in Concil. Trid. sess. 24. cap. 10. de ref.

Quartum denique est, ut Matrimonium a filiisfamilias cum consensu parentum contrahatur. Quamvis enim Matrimonium invitis parentibus contractum, si aliæ conditiones necessariæ observentur, validum sit, ut definitum est in Conc. Trid. in decreto de reform. Matrim. cap. 1. certum est tamen, graviter peccare filiosfamilias, si invitis rationabiliter parentibus, vel eorum consensu non requisito, contrahant Matrimonium, ut ex communi Theologorum consensu probat Petrus de Ledesma cap. 8. de Matr. & Gammachæus

c. 11.

c.11. de eod. Ubi recte observat, quod, si pater, aut mater inducere vellent ad nuptias illicitas, vel contra rectam rationem, v. g. si juberent filium ducere uxorem hæreticam, aut infamem, vel malis moribus præditam, vel quam ipse filius nullo modo tanquam conjugē amare posset, & e contrario si parentes nollent permittere filiis, ut contraherent, sed domi suæ retinere perpetuo vellent ut servos, in his, & similibus casibus, in quibus parentes honestam, & Christianam libertatem in Matrimonio contrahendo impedire vellent, filii obedire non tenerentur. Quæ autem de parentibus, eadem similiter intelligi debent de tutoribus, & aliis, quorum potestati filiifamilias subsunt.

SECTIO IV.

Quinam sint Matrimonii effectus.

PRæter Gratiam sanctificantem, quæ per hoc Sacramentū confertur, quod illi cum aliis Sacramentis commune est, & Gratiam Sacramentalem, quæ illius propria est, & peculiaris, consistitque in quibusdam specialibus Gratiæ actualis auxiliis, quæ hujus Sacramenti intuitu conjugibus opportuno tempore conferuntur, ad ipsius Matrimonii officia debite, ac recte obeunda, ut fusius explicat Petrus de Ledesma cap. 1. de Matrim. tres sunt præterea hujus Sacramenti effectus, quos alio nomine bona Matrimonii vocare Theologi solent, scilicet Sacramenti indissolubilitas, prolis legitima susceptio, ac pia educatio, & tori conjugalis fides. De singulis breviter hic aliquid adnotandum est.

Atque in primis certum est, Matrimonium inter Christianos legitime contractum, & ab ipsis consummatum esse omnino indissolubile quoad vinculum. Id enim constat tum ex Scriptura S. Mar. 10. & S. Luc. 16. ubi Christus Dominus hanc de Matrimonio Christianorum legem tulit: *Quicunque dimiserit uxorem suam, & alteram duxerit, adulterium committit*, tum ex Conc. Trid. sess. 24. can. 5. & 7. de refor. Matrim. ubi anathema profertur in eos, qui dixerint, propter adulterium, hæresim, aut aliam quamlibet causam Christianorum Matrimonia dissolvi posse.

Dicet aliquis, S. Matth. 19. Christum Dominum dixisse, uxorem dimitti posse ob fornicationem.

2. Respondetur cum S. Aug. lib. de adult. conjug. c. 11. posse dimitti quoad torum, & cohabitationem, non vero separari quoad ipsius Matrimonii vinculum.

Certum est quoque, Matrimonium ratum quidem, sed non adhuc consummatum, quamvis sit verum Sacramentum, solvi tamen posse etiam quoad vinculum, si alter conjugum emittat solemne votum religionis, ut definitum est in Concil. Trid. sess. 24. can. 6. Et ea de

causa

causa cap. *Ex publico*, de conversione conjugatorum, secundum communem Doctorum interpretationem, injungitur judici, ut conjugi de Religionis ingressu ante Matrimonii consummationem deliberanti bimestre spatium definiat, intra quod vel propositum Religionis exequatur, vel conjugi debitum reddat.

Quod spectat ad bonum prolis, certum est, Matrimonium a Deo institutum esse ad generis humani conservationem, & multiplicationem, imo ad ipsius Ecclesiæ propagationem, & ad complendum numerum Electorum; proindeque graviter peccare conjuges, qui in ipsius matrimonii usu aliquid faciunt, quo generatio prolis impediatur. Si tamen ex amore virtutis,& ad liberius, perfectiusque Deo inserviendum pari consensu continentiam servare vellent, haud dubie excellentiorem adhuc vitam sequerentur. Quod fuse docet S. Aug. Ep.45. quæ est ad Armentarium, & Paulinam conjuges, quos ad servandam continentiam,quam pari consensu voverant, efficaciter hortatur: & l. 2. de consensu Evang. cap. 1. id ipsum probat ex castissimo conjugio, quod inter sanctissimam Virginem Deiparam, & S. Joseph dignissimum ejus sponsum intercessit,sine ullo virginitatis detrimento,cujus flos in utroque illibatus permansit, *quorum* proinde *exemplo* dicit, *magnifice insinuari Fidelibus conjugatis, etiam servata pari consensu continentia, posse permanere, vocarique Conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu*.

3. Quod denique ad tori conjugalis fidem pertinet, tria præsertim ab ipsis conjugibus exiguntur. Primum est, ut, conjuge vivente, alter conjux cum alia persona non contrahat, nec ullo modo permisceatur, imo nec ullum illegitimum affectum deliberate admittat. Et quamvis alter conjugum diutissime absit, nec sciri queat, utrum adhuc vivat, an vero e vita migrarit; nunquam licet ad alias transire nuptias, donec de illius morte certo constet, ut habetur cap. *Dominus*, de secundis nuptiis.

Secundum est,ut ambo conjuges mutuo cohabitent, & mutua sibi obsequia in administranda re familiari, & filiorum educatione præstent, ad quod quidem reciproce obligantur,& etiam cogi possunt tũ ab Ecclesiastico Judice,tũ a Seculari, juxta cap. *Litteras*, de restitut. spoliatorum. Cum autem vir sit caput uxoris,& familiæ, ut dicitur Ephes. 5. tenetur uxor ad obediendum viro in his,quæ ad familiæ administrationẽ pertinent, & vicissim obligatur vir ad alimenta, & alia vitæ subsidia uxori, ac reliquæ familiæ præbenda: cumque ad virum pertineat pro arbitratu suo domicilium eligere,ac mutare, uxor eum sequi tenetur, ut habetur ex c. *Unaquæque* 13. q. 2. & ex communi Theologorum consensu docet Navarrus c. 14. n. 20. Ubi tamen recte monet, uxorem non teneri cum gravi corporis, aut animi incommodo sequi virum: v. g. si ad bellum proficiscatur, &c. cui subscribunt Sotus, Sanchez, & alii apud Laym. part. 3. de Matrim. cap. 3.

4. Sunt

4. Sunt etiam aliqui casus, in quibus possunt conjuges licite ab invicem quoad torum, & cohabitationem separari, remanente tamen semper vinculi conjugalis indissolubilitate, ut quando uterque conjux pari consensu Religionem ingreditur. Item diversa ratione, si alter conjugum adulterium committat, conjux innocens potest ab eo quoad torum, & cohabitationem separari, quoad torum quidem propria auctoritate, quoad cohabitationem vero, non nisi auctoritate Judicis, ut docent S.Th. S. Bonav. & alii, quos citat Sanchez l.10. disp. 11. & 12. Si tamen conjux innocens alteri offensam remittat, ipsumque ad tori societatem recipiat, non poterit amplius ab eo separari, ut ex communi Theologorum consensu docet idem Sanchez. Præterea si conjux conjugi sine gravi periculo corporis, vel animi cohabitare non possit, v. g. ob nimiam sævitiam, ob perditos, profligatosque mores, & alias similes causas, quæ Judicis arbitrio relinquuntur, sine ejus auctoritate hæc separatio fieri non debet, ut fuse docet idem Sanch. eodem lib. disp. 17. & 18.

5. Tertium denique est, ut vir, & uxor sibi mutuo debitum conjugale reddant. Nam, ut loquitur Apostolus 1. Cor. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. Unde idem præcipit, *ut uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro*, idque sive debitum illud conjugale expresse petatur, sive tacite, ut docet S. Th. in 4. dist. 32. qu. unic. a.2. q.1. Hæc autem obligatio mutua reddendi conjugale debitum est sub peccato mortali, si alter conjugum serio, instanter, & rationabiliter illud petat, ut ex communi Theologorum consensu docet, & fuse probat Sanchez l. 9. disp. 2.

Sunt tamē aliqui casus, in quibus conjux ab obligatione reddendi debiti eximi censetur, ut quando unus conjugum adulterium commisit, tunc enim conjux innocens debitum ipsi negare potest: item si ex redditione debiti timeatur gravissimum aliquod corporis incommodum, aut si uxor prægnans sit, & proli conceptæ timeatur probabile mortis periculum. Quæ omnia fusius explicata apud eundem Sanchez toto libro nono citato videri possunt.

SECTIO V.

Quænam sint Matrimonii impedimenta.

1. SUpponimus, Ecclesiam, pro data sibi a Christo Domino in omnes Fideles auctoritate, potuisse ex causis rationabilibus certa quædam impedimenta Matrimonii constituere, ut expresse definitum est in Conc. Trid. sess. 24. can. 4. & constat ex antiqua Traditione ipsius Ecclesiæ. Olim siquidem, teste S. Aug. l. 15. de Civ. c. 16. legibus Ecclesiasticis prohibita erant Matrimonia inter consobrinos, & temporibus S. Greg. Papæ eodem jure Matrimonia irrita erant usq; ad septi-

ptimum gradum inclusive, ut habetur ex cap. *Nulli*, & cap. *de Consanguinitate*, 35. q. 2. & 3. cum tamen hodie nec affinitas, nec consanguinitas matrimonium impediat, nisi usque ad quartum gradum, ut infra explicabitur.

2. Hæc autem impedimenta duplicis sunt generis: quædam enim Matrimonium solummodo contrahendum impediunt, alia etiam contractum dirimunt.

Impedimenta prioris generis quinque communiter a Theologis numerantur, ut videre est apud Bonac. qu. 3. pun. 24. de imped. matr. Primum est Ecclesiæ interdictum, seu prohibitio, ut habetur ex cap. *Non uxorem*. 33. qu. 1. & c. *Capellanus*, de feriis. Secundum est contractus sponsaliorum initus cum persona aliqua, ut ex infra dicendis plenius intelligetur. Tertium est votum simplex castitatis, aut religiosi status amplectendi, vel suscipiendi sacros Ordines, vel non nubendi, ut constat ex cap. *Si quis votum*. 27. qu. 1. cap. unico de voto, in sexto. Qui cum hujusmodi voto matrimonium contrahit, dispensatione illius minime obtenta, peccat mortaliter; & quamvis reddere possit conjugale debitum, illud tamen licite petere non potest, ut ex communi Theologorum consensu docet Bonacina supra. Quartũ est cognatio spiritualis, quæ contrahitur per Catechismum, quæ tamen per Conc. Trid. sublata est, ut docent Henriquez, Reginaldus, Sanchez, & alii apud eundem Bonacinam. Quintum denique est crimen, ut uxoricidium, Presbytericidium, incestus, & quædam alia, quæ ab eodem Bonacina enumerantur, ob quæ olim quasi Pœnitentiæ loco Matrimonium interdictum erat. Verum Sotus, Corduba, Henriquez, Navarrus, & plures alii, quos citat Laymannus part. 4. de Matr. ca. 5. existimant, hæc criminum impedimenta fuisse per diuturnam consuetudinem penitus sublata, adeo ut Navarrus dicat, se non meminisse tota ætate sua super ejusmodi impedimento petitam fuisse dispensationem.

3. Impedimenta dirimentia duodecim communiter a Theologis numerantur, quæ memoriæ juvandæ causa his tribus versibus comprehensa sunt.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si consummare nequibis.

Primum impedimentum est *Error*, qui dupliciter contingere potest, vel circa substantiam personæ, si quis ducat Annam existimans esse Catharinam, vel circa ipsius personæ qualitatem, ut si quis ducat Annam credens esse nobilem, divitem, &c. quam postea comperit esse ignobilem, pauperem, &c. Et priori quidem modo reddit Matrimonium invalidum, non item posteriori, ut ex communi Theologorum consensu docet Bonacina supra num. 1.

Secundum est *Conditio*, quando quis contrahit cum persona ali-

qua servilis conditionis, existimans esse liberam. Tale enim Matrimonium Ecclesiastico jure irritum est, ut habetur ex cap. 2. & ult. de conjugiis servorum. Verum hujusmodi impedimentum hodie inter Christianos rarissime contingit, nisi forte respectu eorum, qui sententia Judicis per totum vitæ tempus ad remos damnati sunt, aut carceri perpetuo mancipati. Tales enim, cum sint servi pœnæ, ut jura loquuntur, servilis conditionis leges subire debent.

Tertium est *Votum*, solemne scilicet, quod emittitur in professione status Religiosi. Tale siquidem votum non modo impedit Matrimonium contrahendum, quod etiam facit votum simplex castitatis, sed etiam contractum dirimit, ut habetur ex Clement. unic. de consanguinitate, & ex Conc. Trident. sess. 24. can. 9.

4. Quartũ est *Cognatio*, quæ triplex a Theologis distinguitur, naturalis scilicet, spiritualis, & legalis. Cognatio naturalis quæ etiam consanguinitas vocatur, est vinculum personarum, quæ ab eodẽ proximo stipite per carnalem propagationẽ descendunt. Solent autẽ Theologi in consanguinitate considerare lineas, & gradus. Nomine lineæ intelligunt seriem, seu ordinem personarum consanguinitatem inter se habentiũ, sive linea illa sit recta, qualis reperitur inter ascendentes, & descendentes, sive sit transversa, seu collateralis, qualis est inter personas, quæ quamvis ab eodẽ stipite procedant, a se tamen invicem non descendunt. Nomine vero gradus exprimunt distantiam majorem, vel minorem unius personæ ab altera secundum lineam consanguinitatis. Porro ad distantiam illam dignoscendam, & computandos ipsius consanguinitatis gradus, tres regulæ a S. Doctore in 4. d. 40. qu. 1. art. 2. & aliis communiter Theologis assignantur.

5. Prima regula hæc est: *In linea recta ascendentium, & descendentium tot numerantur gradus, quot personæ, una dempta*. Unde pater, & filius in primo consanguinitatis gradu conjuncti esse dicuntur, avus, & nepos in secundo, & sic de aliis.

Secunda regula: *In linea collaterali, quot gradibus personæ distant a communi stipite, totidem etiam inter se distant*. Quare cum frater, & soror uno tantum gradu distent a patre, censentur etiam uno tantũ gradu inter se distare, patrueles vero duobus gradibus, & sic de aliis.

Tertia regula: *Si consanguinei a communi stipite inæqualiter distent, tunc quot gradibus is, qui magis remotus est, distat a communi stipite, tot etiam gradibus inter se distant*. Juxta quam regulam patruus censetur esse in secundo gradu consanguinitatis cum liberis fratris sui, quia liberi illi duobus gradibus a communi stipite distant. Quamvis autem jure antiquo impedimentum cognationis naturalis extenderetur usque ad septimum gradum, ut supra dictum est, hodie tamen non nisi ad quartum gradum inclusive extenditur, ut habetur ex capite *Non debet*, de consanguinitate, & affinitate.

Cognatio spiritualis est propinquitas secundum juris Ecclesiastici dispo-

dispositionē orta ex administratione, vel susceptione Baptismi, inter susceptores, & baptizatum, illiusque patrem, ac matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, ejusque patrem, ac matrem, ut in Conc. Trid. sess. 14. c. 2. de reformat. constitutum est. Quod etiam similiter intelligendum est de Confirmatione, ut ibidem declaratur. Ex quo sequitur (quod hic obiter advertendum est) nullam inter ipsos susceptores contrahi cognationem, proinde q; patrinū posse valide, ac licite ducere illam in matrimonium, cum qua simul alienum filium e sacro fonte suscepit, ut constat ex Bulla Pii V. quæ incipit, *Cum illius vicem*. Observat etiam Bonac. q. 3. de imped. matr. punc. 5. ex Suarez, Sanchez, & aliis, illum, qui suscipit puerum, quando privatim, & sine solemnitate baptizatur, nullam cognationem contrahere, licet is qui Baptismum ejusmodi confert, contrahat cognationem spiritualem cum baptizato, & patre, ac matre illius. Excipitur casus ille, in quo maritus conjugis suæ prolem in necessitate baptizat. Tunc enim nullam cum ea contrahit cognationem, ut habetur c. *Ad limina*. 30. quæst. 1.

6. Cognatio deniq; legalis est propinquitas personarum ex adoptione proveniens, adoptio vero est extraneæ personæ in filium, aut filiam legitima assumptio. Et hæc cognatio legalis contrahitur, primo inter ipsum adoptantem, & adoptatum, adoptatique descendentes usque ad quartum gradum, secundo inter uxorem adoptantis, & adoptatum, tertio inter filios adoptantis, & adoptatum, ut constat ex cap. *Per adoptionem*. 3. qu. 3. & cap. unic. de cognat. leg. Hæc autem cognatio non provenit nisi ex ea adoptione, quæ fit secundum leges. Quæ proinde super hac re consuli debent.

Quintum est *Crimen*, quod quidem est duplex, ut habetur ex cap. *Si quis vivente*. 31. qu. 1. cap. *significavit*. cap. *super hoc*, de eo, qui duxit. Primum est homicidium conjugis, quando scilicet maritus uxorem per se, vel per alium, ferro, vel veneno occidit, eo fine, ut cum alia muliere cædis illius cōscia, & in illam consentiente matrimoniū contrahere possit. Quod etiā similiter de uxore intelligi debet. Aliud crimen est adulterium, quando alter conjux committit adulteriū, & pollicetur ei, cum quo adulteratur, se contracturum cum eo post obitū conjugis, & hæc promissio ab eo acceptatur; vel quando post matrimonium de præsenti contractum cum uno, cum altero etiam per verba de præsenti contrahitur, & ab utroque criminis illius conscio adulterium committitur, vel etiam quando alter conjux adulterium cum alio commisit, & postea interficit conjugem, ut cum adultero, quamvis illius cædis minime conscio, contrahere possit.

Sextum est *Cultus disparitas*, quando baptizatus contrahit matrimonium cum fœmina nondum baptizata, aut mulier baptizata cum viro non baptizato. Hoc impedimentum colligitur tum ex Concil. Toletano III. cap. 14. tum ex ipsius Ecclesiæ usu communi, qui suf-

ficiens est ad impedimentum inducendum, quamvis non sit in jure expressum, ut observat Bonacina supra pun. 7.

7. Quod autem spectat ad matrimonium Catholicæ personæ cum Hæretica, quamvis validum sit, est tamen illicitum, ut pluribus probat Laymannus cap. 14. de impedimentis matrimonii, ubi etiam monet, experientia compertum esse, ex ejusmodi matrimonio tot, & tanta sequi spiritualia incommoda, tum ipsi conjugi Catholico, tum liberis, ac Christianæ Reipublicæ, ut plerunque charitatis legi omnino adversetur. In quo casu (idem Auctor dicit) ne Summus quidem Pontifex id dispensative permittere potest, nisi probabilis aliqua spes subsit, ex ejusmodi matrimonio longe majores fructus spirituales obventuros esse, quorum intuitu incommoda illa tanquam minora utcunque tolerari possint.

Septimum est *Vis*, seu metus gravis injuste incussus, quando quis vi, aut metu ejusmodi adigitur ad contrahendum Matrimonium, quod nullo modo contraxisset, nisi ad id eo modo compulsus fuisset, de quo dictum est supra Sect. 2.

Octavum est *Ordo*, quando quis scilicet initiatus est sacris Ordinibus, vel aliquo illorum. Tales enim Ordines ob votum solemne castitatis, quod annexum habent, Matrimonium contrahendum impediunt, & dirimunt contractum, ut habetur ex cap. unic. de voto in 6. & ex Conc. Trid. sess. 24. can. 9.

Nonum est *Ligamen*, id est obligatio, seu vinculum alterius Matrimonii rati cum conjuge adhuc vivente. Quandiu enim hoc vinculum durat, matrimonium cum quovis alio contrahendum impedit, ac dirimit, idque non modo jure Ecclesiastico, ut patet ex cap. 1. & ult de sponsa duorum, sed etiam jure Divino, ut expresse definitum habetur in Conc. Trid. sess. 24. can. 2. & satis constat ex prohibitione Christi Domini S. Matthæi cap. 19.

8. Decimum est *Honestas*, publica scilicet, ratione cujus oritur impedimentum tum ex sponsalibus valide contractis, tum ex Matrimonio rato, & nondum consummato, ut habetur ex c. *Sponsam*, & cap. *Juvenis*, & cap. *Ad audientiam*, de sponsalibus. Quamvis autem jure antiquo impedimentum istud protenderetur usque ad quartum gradum, jure tamen novo in Conc. Trid. sess. 24. c. 3. de refor. Matrim. constitutum est, ut impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus ortum non nisi ad primum gradum extendatur, illud autem, quod ex Matrimonio rato provenit, secundum juris antiqui dispositionem relictum est, proindeque ad quartum gradum extenditur, ut constat ex decreto Pii V. quod incipit, *Ad Romanum*.

Undecimũ est *Affinitas*, quæ est attinentia, seu propinquitas quarundam personarum ex copula carnali proveniens, ratione cujus fit, ut mulier conjugata, per consummationem Matrimonii, affinis fiat consanguineis mariti, & vicissim maritus consanguineis uxoris.

Hæc

Hæc autem affinitas, si oriatur ex copula licita, usque ad quartum gradum extenditur, ut constat ex cap. *Non debet*, de consanguinitate, & affinitate, si ex copula illicita, secundum gradum non excedit, ut in Conc. Trid. constitutum est sess. 14. cap. de ref. Matr.

Docent autem Theologi, affinitatem non parere affinitatem, proindeque duos fratres, v. g. valide, ac licite posse duas sorores in Matrimonium ducere, filiumque similiter posse Matrimonium cum illa contrahere, cujus matrem pater sibi conjugio copulavit, quod patet ex c. *Super his*, de consanguinitate, & affinitate. Quod si affinitas Matrimonio jam contracto superveniat, ut si maritus adulterium committat cum uxoris consanguinea in primo, vel secundo gradu; tunc illius ratione maritus conjugale debitum ab uxore petere licite non potest, quamvis eidem reddere teneatur, ut ex communi Doctorum consensu docet Bonacina sup. punct. 12.

Duodecimum est *Impotentia*, id est inhabilitas perpetua ad consummandum matrimonium, sive illa se teneat ex parte viri, sive ex parte mulieris, dummodo fuerit eo tempore, quo matrimonium contractum est, non vero postea subsecuta sit. Et hoc impedimentum dirimit matrimonium non modo jure Ecclesiastico, ut patet ex cap. *Quod sedem*, de frigidis, & maleficiatis, sed etiam ipso jure naturæ, ut ex communi Theologorum doctrina probat Bonac. sup. punct. 13. Quod si, ut idem Auctor subdit, dubitetur, num impotentia sit perpetua, permittuntur conjuges simul habitare per triennium, ut matrimonium consumment. Quo tempore, si nequeant consummare, non amplius permittuntur cohabitare ad consummandum matrimonium, quia judicatur adesse impotentia perpetua, & consequenter invalidum esse Matrimonium, ideoque separationem esse faciendam propter periculum incontinentiæ: secluso tamen illo periculo jura permittunt, ut vir habeat tantum pro sorore, quam non potest habere uxorem, ut constat ex cap. *Laudabilem*, & cap. *Requisivisti*. 33. quæst. 1.

Concilium Tridentinum sess. 24. c. 6. de reformat. Matrim. adjunxit decimum tertium impedimentum, scilicet *Raptum*, decrevitque, *Inter raptorem, & raptam, quandiu ipsa est in potestate raptoris, nullum posse consistere Matrimonium*. Quod quidem decretum etiam locum habere existimant Henriquez, Rebellus, Zerola, Petrus de Ledesma, & alii apud Augustinum Barbosam in *remissionibus* ad citatam sess. 24. cap. 6. quando puella consensit quidem in raptum, sed invitis parentibus, quamvis id negent Reginaldus, Sanchez, Lessius, & alii apud eundem.

Quæres, quis in supra dictis impedimentis dispensare possit. Respondetur primo, Romanum Pontificem pro summa, quam obtinet in Ecclesia potestate, dispensare posse in omnibus impedimentis, quæ jure Ecclesiastico Matrimoniū impediunt, aut dirimunt, ut ex communi

muni Theologorum omnium consensu docet Bonac. supra punct. 15. Respondetur secundo, Episcopum dispensare posse in impedimentis non dirimentibus, excepto voto castitatis perpetuæ, & religionis, imo etiam aliquando in impedimentis dirimentibus, quæ post contractum bona fide Matrimonium deprehenduntur, quando scilicet impedimentum est occultum, & Matrimonium manifestum, ipsique conjuges non possunt absque magno scandalo separari, nec ad Summum Pontificem patet recursus, propter paupertatem, aut alias maximas difficultates. Ita Petrus Ledesma, Perez, Sanchez, Valentia, Riccius, & alii apud eundem Bonacinam, qui etiam censent, non modo post contractum matrimonium, sed & antequam contrahatur, Episcopum posse ob urgentissimam aliquam necessitatem, ex præsumpta Summi Pontificis tacita facultate, in iisdem impedimentis dirimentibus interdum dispensare.

SECTIO VI.
De Sponsalibus.

1. Sponsalia, quæ a spondendo, seu sponte promittendo dicta sunt, significant spontaneam promissionem mutuam inter virum, & fœminam de Matrimonio in futurum contrahendo. Sponsaliorum enim obligatio non contrahitur per solum desiderium, aut propositum contrahendi Matrimonii, nisi intercedat promissio, eaque mutua, & reciproca, ut docet, & probat Sanchez l. 1. de Sponf. disp. 5. Nec ad illorum validitatem requiritur præsentia Parochi, aut testium, ut observat idem Sanchez; quamvis servari debeat laudabilis illa consuetudo, quæ in universa propemodum Ecclesia vim legis obtinuit, ut antequam Matrimonium per verba de præsenti contrahatur, sponsalia in facie Ecclesiæ, seu coram Parocho, & testibus celebrentur. Super qua re consuli debent cujusque Diœcesis consuetudines, & leges particulares.

Ad validitatem autem sponsaliorum requiritur in primis, ut contrahentes saltem ætatis annum septimum expleverint, antequam ætatem ad sponsalia contrahenda censentur inhabiles, ut constat ex capite *Literas*, & cap. *Accessit*, de desponsatione impuberum. Requiritur præterea, ut usum rationis habeant, & cum ea deliberatione operentur, quæ ad plenum, & perfectum consensum necessaria est, ut docet Toletus lib. 7. cap. 20. Requiritur denique, ut vere, & ex animo promittant, atque se obligare intendant. Qui enim ficte tantum promitteret, graviter quidem peccaret, & ad compensanda damna ex promissionis illius fictione provenientia teneretur, nulla tamen in foro conscientiæ contraheret sponsalia, ut fuse docet, & probat Sanchez supra disp. 9. & seq.

2. Quæres primo, quænam sit obligatio sponsaliorum. Respondetur,

detur, ex veris sponsalibus, id est ex promissione illa mutua inter virum, & mulierem, sive privatim, sive in facie Ecclesiæ facta, oriri obligationem sub peccato mortali ad illa ex parte utriusque adimplēda. Ita S. Thom. Paludan. Sotus, Henriq. & alii, quibus subscribit Sanchez disp. 27. Unde si alter sponsorum promissis stare non velit, per Judicem Ecclesiasticum etiam adhibitis censuris ad illorum executionem compelli potest. ut habetur cap. *Ex literis*, de sponsalibus, nisi forte attentis circunstantiis, & propter dissensiones perpetuas, aliaque gravia mala, & scandala, quæ ex invitis, & coactis nuptiis merito timeri possunt, aliter faciendnm esse Judex prudenter arbitretur. Unde etiam capite, *Requisivit*, de Sponsalibus, & Matrimonio, dicitur, in tali casu monitione potius, quam coactione opus esse.

3. Quæres secundo, quibus modis sponsalia dissolvantur. Respondetur, id variis, & multis modis fieri posse. Præcipuos hic, & magis ordinarios subjicimus.

Solvuntur igitur sponsalia, primo per mutuum consensum, & mutuam ipsorum remissionem libere factam, ut ex communi Theologorum consensu docet Bonacina qu. 1. de sponf. pun. 10. Secundo per ingressum Religionis alterutrius sponsorum, etiamsi professionem non emittat. ut habetur cap. *Ex publico*, de conversat. conjug. & docet Tolet lib. 7. c. 21. & Bonacina supra pun. 5. qui recte ibidem subdit, quod, si quis post sponsalia contracta virginem spe nuptiarum defloravit, tunc illam ducere tenetur, nec religiosum statum amplecti cum tanto illius damno licite potest. Tertio solvuntur sponsalia per Ordinis majoris susceptionem, ut habetur ex cap. *Scripsit*. 27. qu. 2. Quarto per matrimonium de præsenti cum altera contractum, quamvis peccet mortaliter, qui sic contrahit, ut habetur cap. *Sicut ex literis*, de sponsalibus. Quinto per fornicationem unius sponsorum post sponsalia contracta, ut habetur ex cap. *Quemadmodum*, de jurejurando. Quamvis enim qui fornicationem commisit, ex parte sua obligatus remaneat ad sponsalia implenda, alter tamen innocens potest ab illis resilire, si velit. Sexto denique per notabilem aliquam mutationem post sponsalia contracta supervenientem, quæ si ab initio extitisset, aut prævisa fuisset, viri prudentis judicio a sponsalibus contrahendis merito absterruisset, ut si alter sponsorum in lepram, aut alium morbum incurabilem incidat, si notabilem famæ, aut bonorum jacturam patiatur, si graves inter sponsos, aut parentes illorum inimicitiæ oriantur, si sponsa dotem promissam offerre nequeat, si sponsus patrium solum mutare, vel vagari cum gravi sponsæ incommodo constituat: imo etiamsi aliqua ejusmodi causa extiterit tempore sponsaliorum, nec nisi post illa contracta deprehendatur. In his enim, & similibus casibus, qui judicio viri prudentis dignosci debent, sponsalia dissolvi possunt. Ita Petrus de Ledesm. Reginald. Riccius, & alii apud Bonacinam supra punct. 8.

 4. Quæ-

4. Quæres tertio, utrum ad solvenda sponsalia Judicis Ecclesiastici auctoritate opus sit. Respondetur ex Navarro, Sylvestro, & aliis apud Laymannum par. 2. de spons. cap. 2. si causa solvendi Matrimonii moraliter certa sit, nulla Judicis Ecclesiastici auctoritate opus esse, nisi ratione vitandi scandali, quando sponsalia publice contracta sunt. Unde etiam in multis Diœcesibus observatur, ut non liceat a sponsalibus publice notis resilire, nisi causa prius ad Ordinarium delata, & ab ipso approbata.

Atque hactenus de Sacramentis, ad majorem Auctoris illorum gloriam.

TRACTATUS II.

DE ACTIBUS HUMANIS

Juxta Divinæ legis normam dirigendis.

QUoniam Gratiarum cœlestium fontes in Sacramentis ea potissimum ratione per Christi merita nobis reclusi sunt, ut earum auxilio excitati, & subnixi ad propositum nobis finem, beatitudinem scilicet æternam perveniamus, nec aliter (ut docet S. Thom. 1. 2. in procem. q. 6.) quam per actus aliquos nobis proprios ad illam tendere queamus, eundumque sit de virtute in virtutem, & juxta propheticum dictum Ps. 83. ascensiones in corde nostro disponendæ, ut videatur Deus Deorum in Sion; idcirco doctrinæ Theologicæ ordo postulat, ut nunc ipsos humanos actus consideremus, perspiciamusque, quinam actus ad beatitudinem illam æternam consequendam apti sint, & idonei, & contra quibusnam actibus ab ipsa beatitudine consequenda præpediamur.

CAPUT PRIMUM.

De Actibus humanis in genere.

SECTIO I.

Quis sit actus humanus proprie dictus.

1. OBservandum est ex S. Thom. 1. 2. qu. 1. art. 1. actus illos, qui ab homine eliciuntur, dupliciter spectari posse, scilicet in genere naturæ, quoad suam entitatem præcise, & in genere moris, quoad libertatem, cum qua exercentur, & quoad ea, quæ fun-

dan-

dantur in ipsa libertate, ut esse capaces laudis, vel vituperii, meriti, vel demeriti. Priori modo dicuntur actus hominis, posteriori vero actus humani. Unde fit, ut per actum hominis intelligatur actus ille, qui ab homine fit, quocunque tandem modo fiat; actus vero humanus ille dicatur, qui fit ab homine, in quantum homo est, seu in quantum est dominus actuum suorum, quando scilicet per rationem, & voluntatem operatur. Ac proinde secundum S. Doct. & communem Theologorum doctrinam, ad propriam actus humani rationem duo requiruntur, primo ut sit voluntarius, secundo, ut sit liber. Illum hic considerabimus, prout voluntarius est, de eodem vero, prout liber est, in sequenti Sectione agemus.

Actus igitur voluntarius is est, ut ex Aristotele 3. Ethic. cap. 1. docet S. Damascenus lib. 2. de Fide c. 14. cujus principium est in ipso agente cognoscente singula. Unde sequitur, ad rationem voluntarii duo requiri. Primum est, ut procedat a principio intrinseco. Si enim quis invitus, ac renitens ab extrinseco moveatur, motus ille non est voluntarius. Secundum est, ut procedat a principio cognoscente singula, id est ut agens ea omnia cognoscat, ex quibus actionis suæ substantia tanquam ex objecto suo dependet. V. g. si Petrus patrem suum occidit, ut homicidium illud censeatur ipsi voluntarium, oportet primo, ut manus ejus ab alio non impellatur, ipso renitente, aut saltem nihil ad motum illum conferente, deinde requiritur, ut sciat, esse hominem, quem cædit, & non invincibiliter arbitretur, esse feram, sciat quoque, gladium, aut aliud instrumentum, quo utitur, posse vulnus lethale infligere: ut vero homicidium illud, in quantum est parricidium, voluntarium existat, necesse est insuper, ut patrem suum esse cognoscat hominem illum, quem cædit, & non invincibiliter, & inculpabiliter existimet, esse alium hominem.

Hujus conditionis defectu motus lapidis, quo fertur deorsum, quāvis sit naturalis, non est tamen voluntarius, quia licet sit a principio intrinseco, propria enim gravitate movetur, nō movetur tamen cum cognitione. Motus autem animalis, cum ex aliqua cognitione imperfecta procedat, non nisi imperfecte voluntarius, seu potius spōtaneus dicitur. Proinde ratio voluntarii solis actibus hominis proprie, & perfecte convenit, & a fortiori actibus Angelorum, & ipsius Dei.

2. Porro ipsius humanæ voluntatis actus duplicis sunt generis, alii siquidem sunt eliciti, alii imperati. Actus eliciti sunt illi, qui primo, & per se exercentur, seu eliciuntur ab ipsa voluntate, tanquam a proxima potentia. Actus vero imperati sunt illi, qui exercentur imperio ipsius voluntatis, & vi alicujus volitionis præcedentis, sive ab ipsa voluntate, quæ sibi aliquos actus imperat, sive ab aliis potentiis ab ipsa voluntate distinctis, quæ per illam ad agendum moventur, & applicantur.

Cum

Cum autem voluntas (ut communiter docent Theologi cum S. Th. quæst. 8. ar. 2.) sit tantum vel finis, vel mediorum, tres enumerantur actus illius eliciti circa finem, scilicet volitio, intentio, fruitio, qui actus sunt iidem cum amore, desiderio, & gaudio. Gaudium, seu fruitio versatur circa finem obtentum, seu circa bonum præsens, desiderium, seu intentio circa finem obtinendum, seu circa bonum absens, amor, & volitio circa finem, & bonum, abstrahendo ab ejus absentia, vel præsentia. Quibus ex adverso respondent odium, timor, & tristitia circa malum. Tres item sunt actus voluntatis eliciti circa media, scilicet electio, consensus, & usus. Electione voluntas præfert, & amplectitur unum medium præ aliis, consensu approbat judicium intellectus circa illud medium, usu applicat potentias ad executionem.

Quærunt Theologi, utrum electio, & intentio sint semper actus inter se realiter distincti, seu an voluntas uno, & eodem actu possit velle finem, & media. Respondetur juxta probabiliorem sententiam, quæ est etiam S. Doctoris 10. art. 4. quod, quamvis hi duo voluntatis actus ut plurimum inter se distinguantur; absolute tamen loquendo potest voluntas uno, & eodem actu velle finem, ac media, sicut potest intellectus principia, & conclusionem eodem actu cognoscere.

Quod vero spectat ad actus imperatos, tot sunt, & tam multiplices, & varii, quot, & quam multipliciter ab ipsa voluntate, aut aliis potentiis ad ejusdem voluntatis imperium exerceri possunt. De quibus omnibus plenius agunt Philosophi in Ethicis, & videri potest S. Doctor tota quæst. 17.

3. Cæterum docet idem S. Thomas q. 1. art. 3. omnes actus, qui a voluntate humana procedunt, sive elicitos, sive imperatos, essentialem suam differentiam, ac speciem desumere a fine proximo, quem agens spectat, & intendit, hoc est a ratione, seu motivo, quo movetur voluntas ad aliquid appetendum, & volendum, & contra; quod motivum vocatur etiam objectum formale ipsius voluntatis. Unde sequitur, actus illos, qui habent eundem finem proximum, seu idem objectum formale, esse ejusdem speciei, tametsi habeant diversa objecta materialia, v. gr. si quis jejunet, & eleemosynam largiatur pure ob amorem Dei, ut illi placeat, & gloriam illi deferat, jejunium illud, & eleemosyna erunt formaliter actus charitatis, quamvis materialiter ad virtutes specie diversas, abstinentiæ scilicet, & misericordiæ, pertineant: & contra illos actus distingui specie, qui, licet habeant idem objectum materiale, a motivis specie distinctis oriuntur, e. g. oratio, quæ materialiter considerata est actus virtutis religionis, si fiat ex motivo satisfaciendi Deo pro peccatis, erit actus Pœnitentiæ, si ex motivo alicujus alterius virtutis, ad virtutem illam pertinebit.

SECTIO II.

Quis actus vere, & proprie sit liber.

1. AD faciliorem eorum, quæ dicenda sunt, intelligentiam observandum est, libertatem actus humani aliam esse, quæ a Theologis vocatur *libertas contradictionis, quoad exercitium actus*, aliam, quæ *contrarietatis quoad specificationem*: aliam item esse a coactione, aliam a necessitate.

Libertas contradictionis, seu quoad exercitium actus, est potestas, seu indifferentia ad agendum.

Libertas contrarietatis, seu quoad specificationem est potestas, sive indifferentia ad hoc, vel illud agendum, seu ad actionem aliquam, aut aliam ipsi contrariam exercendam circa idem objectum, v. g. ad eliciendum assensum, vel dissensum circa articulum aliquem Divinæ Fidei.

Hac observatione præsupposita,

Dicendum est, actus humani libertatem in eo consistere, ut eliciatur, vel imperetur a libera voluntate ut sic, seu quatenus libera est, & libere operatur: illam vero voluntatem dici liberã, & libere operari, quæ nullã in agendo neque coactionem, neque necessitatem patitur, sed positis omnibus ad agendum prærequisitis, libera semper manet, & indifferens, sive quoad exercitium, sive quoad specificationem actus, seu ad agendum, vel non agendũ, & ad hoc, vel illud agendum.

Hæc assertio duas habet partes. In prima dicimus, actum illum liberum esse, qui elicitur, vel imperatur a libera voluntate. Libertas enim proprie, & primo ipsi voluntati competit, & ex illa in actum derivatur, quod per se patet.

2. In secunda parte dicimus, libertatem voluntatis in eo consistere, quod voluntas nullam neque coactionem, neque necessitatem patiatur, sed positis omnibus ad agendum prærequisitis, libera maneat, & indifferens ad agendum, vel non agendum, ad hoc, vel illud agendum. Hæc propositio (quam de Fide asserit Isambertus disp. 1. de liber. arbitrio, ar. 2.) probatur 1. ex Script. Deut. 30. *Testes invoco hodie cælum, & terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem*, &c. *Elige ergo vitam*. 2. Reg. 24. *Hæc dicit Dominus, trium tibi datur optio, elige unum, quod volueris*, &c.

Probatur 2. ex S. Athanasio orat. ad Gentes: *Anima*, inquit, *cognoscens liberum sui arbitrium, videt, se posse uti corporis partibus ad utraque, ad bona & ad mala*. S. Cyrill. Alexand. lib. 4. in S. Joannem: *Liberum est*, inquit, *& propriæ electionis in hominibus in utrunque deflectere, aut in dexteram, aut in sinistram, in virtutem dico, vel vitium*. S. Cypr. Ep. 55. *Homo*, inquit, *libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimetipsi vel mortem appetit, vel salutem*. Et

S. An-

S.Ansel. in priori parte lib. de concord.liberi arbitrii cum præscientia Dei, & prædestinatione, ubi expresse dicit, *Deum velle, hominis voluntatem nulla necessitate cogi, aut prohiberi ad volendum, vel non volendum*, ibidemque fuse explicat. & probat, necessitatem antecedentem, qua voluntas ad unum quid determinatur, libero arbitrio adversari, docetque, voluntatem indifferentem esse ad oppositorum alterum eligendum, quamvis, postquam unum re ipsa delegit, necessitatem quandam ipsa sibi faciat, quam consequentem vocant Theologi, quæ ex ipsa effectus positione sequitur.

3. Ad faciliorem vero intelligentiam eorum, quæ de libertate voluntatis humanæ in actibus suis dicta sunt, vel postea dicentur, duo sunt hic observanda. Primum est, ad hoc ut voluntas libere operetur, requiri prævi am rationis advertentiam, & deliberationem, id est, ut voluntas applicet intellectum ad considerationem convenientiæ, vel disconvenientiæ, quæ in quolibet objecto appetibili creato requiritur. Hæc enim consideratio, & deliberatio intellectus, quamvis non sit causa libertatis, quam voluntas humana ex se, & ex innata sibi indifferentia obtinet, est tamen conditio, sine qua voluntas libertate illa in actibus suis uti non potest. Per illam enim objectum proponitur voluntati cũ variarum rationum oppositione, & quadam veluti indifferentia. Nullum siquidem est objectũ creatum, in quo intellectus humanus varias, & oppositas rationes convenientiæ, & disconvenientiæ non deprehendat. Unde proposito sic quovis objecto creato, voluntas semper manet indifferens ad illud appetendum, vel repudiandum. Quod si advertentia illa, aut deliberatio intellectus secundũ quid impediatur, actus a voluntate elicitus, vel imperatus erit tantum secundũ quid liber: si omnino, & totaliter impediatur, ut cõtingere potest ex aliqua vehementi passione, aut distractione, actus ille omni prorsus libertate carebit, proindeque omni ratione meriti, vel demeriti. Quod fusius explicabitur infra, cum agetur de peccatis.

4. Secundum est, actum primum intellectus, seu primam cogitationem, quæ in quovis negotio deliberationem, & voluntatis imperium præcedit, esse quidem actum hominis, non vero actum humanum, cum non sit liber. Omnis enim actus liber a volũtate debet elici, aut imperari; sed primus ille actus intellectus, seu prima cogitatio non est a voluntate, quæ in incognitũ ferri non potest, sed vel ab objecto aliquo sensibus externis occurrente, vel immediate ab ipso Deo intellectum excitante, interdũ etiã ab Angelo bono, vel malo species imaginativas commovente. Unde tamen non sequitur, hominem ab ejusmodi prima cogitatione determinari, aut necessitari ad aliquid volendũ, quando advertit, se illud velle, licet nullam adhuc rationem disconvenientiæ deprehendat in objecto illo, quod per primam cogitationem proponitur. Potest enim tunc illius voluntas, ob summum, quod obtinet tam in se, quam in alias potẽtias dominium, posita qua-

cun-

cunque prævia cogitatione, & quocunque judicio practico ipsius intellectus, vel actum suum suspendere, vel intellectum applicare ad considerationem magis attentam ejusdem objecti, & circunstantiarum ejus, & sic cum pleniori deliberatione rationis ad illud appetendum, vel repudiandum se ipsam determinare.

* Tertium est, apud Patres, & sacros Theologos voluntarium sæpe sumi pro libero, ut apud S. Aug. lib. de vera Religione cap. 14. *Usque adeo*, inquit, *peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, nisi sit voluntarium*; & in lib. de duabus animabus cap. 11. *Si liberum non sit, non est voluntas*.

5. Quartum est, voluntarium sumptum pro libero multipliciter a Theologis dividi. Aliud enim est voluntarium expressum, aliud tacitum. Expressum illud est, quod verbis, nutibus, aut aliis signis significatur. Tacitum, quod absque verbis, &c. ex facto aliquo, aut omissione facti colligitur, ut ex silentio, cum quis loqui deberet: unde juxta regulam juris, *Qui tacet, consentire videtur*, in 6. reg. 44.

Quæ quidem regula locum habet, præsertim quando de alicujus commodo agitur, non item quando de incommodo, seu præjudicio, quod fusius explicatum videri potest apud Laymann. lib. 1. tract. 2. cap. 3.

Aliud item est voluntarium actu, aliud voluntarium virtute. Voluntarium actu est, quod vel elicitur, vel imperatur actualiter ab ipsa voluntate. Voluntarium virtute est id, quod initio imperatum fuit ab interno actu liberæ voluntatis; ejusque imperii, ac motionis virtute adhuc durat: Ut si quis proponat, & actu velit eleemosynam aliquam erogare, dum illam postea erogat, quamvis cessaverit actus ille voluntatis, censetur tamen voluntaria virtute illius.

Aliud denique est voluntarium directe, aliud voluntarium indirecte. Voluntarium directe est id, quod per se voluntarium est, ut quivis actus elicitus, vel imperatus voluntatis. Voluntarium indirecte est id, quod ex alio directe voluntario sequitur. V. g. si aliquis voluntarie exerceat actionem, ex qua scit, vel suspicatur, consecuturum aliquem effectum, quamvis per se, & directe non intendat effectum illum, effectus tamen censetur indirecte voluntarius.

SECTIO III.

Undenam actus humanus bonitatem suam, vel malitiam desumat.

1. Duplex bonitas in quolibet humano actu spectari potest, naturalis scilicet, & moralis. Bonitas naturalis ea est, quæ consistit in integritate, seu aggregatione eorum omnium, quæ naturaliter ad ipsius actus entitatem requiruntur: bonitas vero moralis in integritate, seu aggregatione eorum omnium, quæ cuilibet actui humano secundum rectam rationem conveniunt. Ex quo sequitur, moralem actus

actus humani malitiam in defectu illius integritatis, seu in privatione bonitatis illius moralis consistere. Et de hac bonitate, vel malitia morali quæstio proposita intelligi debet, undenam scilicet hæc bonitas, seu rectitudo moralis, vel malitia moralis illi opposita in quemlibet actum humanum derivetur. Pro cujus resolutione

Dicendum 1. bonitatem, vel malitiam actus humani ab illius objecto desumi. Ita S. Thom. & constat ex Scriptura. Oseæ 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt*: ex quibus verbis patet, malitiam humanorum actuum, ob quam fit homo Deo abominabilis, provenire ex objectis malis, quæ diligit, & quibus adhæret. Unde S. Aug. Ep. 52. ad Maced. dicit, quod *Mores nostri ex eo, quod unusquisque diligit, dijudicari solent*. Et probari præterea potest inductione Ideo enim velle orare censetur esse bonum, quia oratio, quæ est objectum illius volitionis, est ex se moraliter bona; & e contra velle furari est malum, quia furtum, quod est illius objectum, malum est.

2. * Porro ad clariorem hujus assertionis intelligentiam duo hic observanda sunt.

Primum est, bonitatem, vel malitiam moralem, quam objectum actui tribuit, esse in ipso objecto fundamentaliter, seu causaliter tantum, in actione vero formaliter, ad eum modum proportionalem, sicut veritas, & falsitas sunt formaliter in actu intellectus, fundamentaliter vero, seu causaliter in objecto cognito. Ideo enim cognitio vera est, quia res cognita se habet ut cognoscitur.

Secundum est, hanc esse differentiam inter bonitatem, & malitiam moralem, quæ ex objecto in actum humanum derivatur, quod, quamvis ad hoc, ut actus humanus malitiam ab objecto accipiat, satis sit, quod feratur in objectum malum, nec referat, sive sub ratione mali feratur in illud, sive sub ratione boni (ut expresse docet S. Th. 1. 2. q. 19. a. 7. ad 3.) ad hoc tamen, ut actus bonitatem moralem desumat ex objecto, non sufficit, ut simpliciter feratur in objectum bonum materialiter, sed requiritur, ut feratur in objectum bonum formaliter, quatenus bonum est, seu sub ratione boni, quia scilicet objectum, quamvis in se bonum, est tamen indifferens, ut bene, vel male appetatur, ex bono, vel malo motivo.

3. Dicendum 2. bonitatem, vel malitiam actus humani desumi ex illius circumstantiis. Ita S. Th. & satis constat ex eo, quod passim in Scripturis actiones plurimæ propter circumstantias aliquas bonas, vel malas laudantur, vel vituperantur, ut S. Matth. 6. laudatur eleemosyna, & oratio facta in abscondito, & S. Luc. 21. commendatur eleemosyna duorum minutorum, & aliis majoribus donis præfertur, ob circumstantiam personæ viduæ, & pauperis, & ejusdem S. Lucæ 16. omissio eleemosynæ ex variis circumstantiis in persona Divitis Epulonis culpabilior esse demonstratur.

Ut autem assertio hæc facilius intelligi possit, quædam hic observanda

vanda sunt. Primum est, circunstantiarum nomine a Theologis significari accidentia quædam actus humani, sic dicta, quod illum veluti circunstent, ipsique jam per objectum suum in aliqua specie boni, vel mali constituto adveniant.

* Secundum est, inter circunstantias, quasdam esse, quæ nihil conferunt ad bonitatem, vel malitiam moralem actus, ut si quis manu dextera, vel sinistra percutiat, alias vero, quæ ad illam bonitatem, vel malitiam conferunt, ut si quis percutiat hominem laicum, vel hominem in sacris Ordinibus constitutum.

Tertium est, ex circumstantiis, quæ ad bonitatem, vel malitiam moralem conferunt, alias augere, vel minuere bonitatem illam, vel malitiam intra eandem speciem, alias vero ipsam actus speciem mutare: quod dupliciter fieri potest. scilicet vel novam speciem bonitatis, vel malitiæ dando actui, seu, ut alii loquuntur, ipsum in novam speciem transferendo, ut si quis eleemosynam det ex motivo inanis gloriæ, mutatur actus virtutis misericordiæ in actum vitiosum inanis gloriæ, vel addendo novam speciem bonitatis, aut malitiæ actui retinenti propriam, quam habet ex objecto, ut si quis eleemosynam det ex motivo pœnitentiæ, aut alicujus virtutis, quæ ab ipsa misericordia, cujus eleemosyna opus est, differat.

4. Quartum est, septem præcipuas actus humani circunstantias a S. Doctore q. 7. a. 3. numerari, quæ hoc versiculo comprehenduntur,

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis personæ agentis qualitatē designat, *Quid* objecti conditionē, *Ubi* locum, *Quibus auxiliis* actionis adjumenta, *Cur* ejusdē actionis finem, *Quomodo* magnitudinem, seu intensionem affectus, & advertentiæ rationis, *Quando* tempus, quo actio peracta, & ejusdem actionis durationem. Quæ quidem circunstantiæ non omnes, & singulæ simul sed modo hæ, modo illæ quemlibet actum humanum afficiunt, ad illiusque proinde bonitatem, vel malitiam conferre possunt.

Quintum est, ex supra enumeratis circumstantiis quasdam augere, vel minuere bonitatem, vel malitiam actus intra eandem speciem, ut supra dictum est, e. g. malum est percutere injuste quemvis hominem, pejus est percutere benefactorem: alias vero addere actui bonitatem, vel malitiam specie distinctam, e. g. percutere Sacerdotem. In illa enim percussione præter malitiam, quę illi propria est, quatenus justitiæ repugnat, circunstantia personæ sacræ percussæ inducit in ipsum actum novam, & specie distinctam sacrilegii malitiam, & deformitatem.

Dicendum 3. bonitatem, vel malitiam actus humani desumi quoque ex fine, in quem actus dirigitur ab operante. Ita S. Th. a. 4. & constat ex his Christi Domini verbis S. Matth. 6. *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum.* Quę verba explicans S.

Am-

Ambrof. in cap. 1. S. Luc. *Bona eſt*, inquit, *miſericordia*, *bona eſt oratio, ſed poteſt injuſte fieri, ſi jactantiæ cauſa aliquis pauperi largiatur, ut videatur ab hominibus*. Et S. Aug. Pſ. 31. *Non valde*, inquit, *attendas, quid homo faciat, ſed quid, cum facit, aſpiciat*.

5.* Eſt autem obſervandum, duplicem a Theologis diſtingui actionis finem, unum ipſi intrinſecum, & veluti connaturalem, qui vocatur finis operis, a quo ipſe actus moralem ſpeciem, & eſſentiam deſumit, ut eleemoſynam facere indigentiæ ſublevandæ cauſa, alterum extrinſecum, qui dicitur finis operantis, quem nimirum ipſe operans ſuo arbitratu ſibi præſtituit, ut dare eleemoſynam ad ſatisfaciendum pro peccatis, & ex hoc etiam fine extrinſeco actus ſpeciem ſuam moralem deſumit. Unde Philoſophus 5. Ethicor. cap. 2. & ex eo S. Th. q. 18. a. 6. dicit, eum, qui furatur adulterandi cauſa, magis eſſe adulterum, quam furem.

Porro ſeptem potiſſimũ modis contingere poteſt, ut actus ex operantis arbitratu ad finem aliquem extrinſecum referatur. Vel enim actus ex objecto bonus refertur ad finem extrinſecum bonum, vel actus ex objecto bonus refertur ad finem malum, vel actus ex objecto bonus refertur ad finem indifferentẽ, vel actus ex objecto indifferens refertur ad finem bonum, vel actus ex objecto indifferens refertur ad finem malum, vel actus ex objecto malus refertur ad finem bonum, vel denique actus ex objecto malus refertur ad finem malum.

Primo caſu circunſtantia finis boni novam ſpeciem bonitatis addit actioni ex objecto bonæ. Secundo caſu circunſtantia finis mali deſtruit bonitatem, quam actus habet ex objecto, eumque ſimpliciter malum efficit. Tertio caſu totus actus indifferens eſt. Quarto caſu circunſtantia finis boni tribuit actui ex objecto indifferenti primam, & unicam eſſentialem bonitatis ſpeciem; ideoque in genere moris non tam circunſtantiæ, quam objecti rationem habet. Quinto caſu circunſtantia finis mali eadem ratione tribuit actui primam, & unicam eſſentialem ſpeciem malitiæ. Sexto caſu circunſtantia finis boni nihil confert actui ex objecto malo, ſed relinquit ſimpliciter malum. Septimo denique caſu circunſtantia finis mali confert actui malo novam malitiam, ſive ſpecie diſtinctam, ſive non, ut ex ante dictis ſatis intelligi poteſt.

Ex his colligitur, ſecundum mentem S. Doctoris, bonitatem, vel malitiam actus humani ex his tribus præſertim pendere, ſcilicet ex objecto, circunſtantiis, & fine, cum hac tamen differentia, quod, ut actus aliquis cenſeatur malus, ſufficiat quicunque defectus moralis, ſive ex parte objecti, ſive ex parte finis, aut circunſtantiæ alicujus; ut vero bonus ſit, requiratur objectum moraliter bonum, finis bonus, & honeſtus, & præterea ut ejuſmodi actus nulla prava circunſtantia vitietur. Bonum ſiquidem (ut docet S. Dionyſ. c. 4. de Div. nom.) pendet ex integra cauſa, malum ex quocunque defectu.

Di-

Dicet aliquis, frustra, & superflue dici, actum humanum bonitatem, vel malitiam sumere ex fine, cum ipse finis inter circumstantias numeretur.

Respondetur, ideo speciatim considerari bonitatem, vel malitiam, quæ ex fine in actum humanum derivatur, quia finis præ aliis circumstantiis hoc habet peculiare, quod non modo actum humanum circumstet, sed etiam in illum speciali modo influat, habeatque rationem non solum circumstantiæ, sed etiam causæ moralis.

6. Quæres, quænam relatio actus humani in finem sit necessaria, ut ex ipso fine bonitatem, vel malitiam recipiat. Respondetur, relationem illam esse debere vel actualem, vel saltem virtualem, id est necessarium esse, ut operans actualiter referat, aut saltem antea retulerit actionem suam in eum finem, ita ut virtute illius relationis actio ab eo exerceatur, quia necesse est, ut finis influat in actionem; influere autem non potest, nisi uno ex his duobus modis moveat operantem ad agendum. Quod ut clarius adhuc fiat, observandum est, quod jam supra dictum est, finem alium esse operis, alium operantis. Finis operis est ipsimet actioni intrinsecus, ideoque illi moralem essentiam, seu speciem tribuit. Ex. gr. ut quis ex misericordiæ motivo pauperi det eleemosynam, non est opus ulla explicita relatione ad talem finem. Sufficit enim, ut largiens eleemosynam cognoscat se misericordiæ opus exercere, illudque libere exercere velit. Alter est finis operantis, qui & extrinsecus dicitur, quem ipse operans arbitratu suo sibi præstituit, velut si detur eleemosyna, ut satisfiat pro peccatis. Ad hoc autem, ut ejusmodi finis bonitatem suam actui communicet, debet in illum influere: quod præstare non potest, nisi operans actualiter, aut saltem virtualiter actionem suam in illum referat.

SECTIO IV.

An detur aliquis actus indifferens, seu qui nec bonus, nec malus sit.

1. Duplex quæstionis propositæ sensus esse potest, primo an detur actus aliquis humanus indifferens secundũ speciem, seu qui ex parte objecti sui nec bonitatem habeat, nec malitiã moralem: secundo an detur etiam talis actus indifferens secundũ individuum, id est qui prout a nobis hic, & nũc advertente ratione libere exercetur, nullo ex capite bonus sit, vel malus moraliter. Pro cujus resolutione

Dicendum 1. dari aliquem actum humanum, qui sit indifferens secundum speciem. Ita S. Th q. 18. ar. 8. & cum eo communiter omnes Theologi. Id etiam expresse docet S. August. lib. 2. de serm. Domini in monte c. 28. ubi explicans illud Domini, *Nolite judicare, ut non judicemini*, & concilians cum aliis ejusdem Christi Domini verbis, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, ait, hoc posterius dictum intelli-

gendum esse de manifestis operibus, quæ non possunt bono animo fieri, cujusmodi sunt blasphemiæ, furta, &c. prius vero de operibus indifferentibus, cujusmodi est ciborum sumptio, &c. unde hoc modo concludit ibid. *Sunt ergo quædam facta media, quæ ignoramus, quo animo fiant, quia & bono, & malo fieri possunt, de quibus temerarium est judicare, maxime ut condemnemus.*

Dicendum 2. quamvis probabile sit, nullos dari actus humanos indifferentes in individuo. propter plurium Theologorum, præsertimque S. Doctoris art. 9. auctoritatem, qui ejusmodi actus negant, probabilius tamen videri, dari aliquos ejusmodi actus in individuo, qui nec boni sint, nec mali moraliter. Ita S. Bonav. in 2. dist. 41. ar. 2. qu. 4. & plures alii, quos citat. & sequitur Lessius in q. 11. ar. 9. dub. 30. Et probatur auctoritate S. Hieron. Ep. ad S. Augustinum, quæ est 15. inter Augustinianas, ubi sic loquitur: *Inter utrumque* (bonum scilicet, & malum) *indifferens est ambulare, naribus capitis purgamenta projicere, &c. hoc nec bonum, nec malum est. Sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam*. Item S. Greg. hom. 7. in Evang. ubi loquens de dilectione proximorum, quæ procedit non ex charitate, sed ex affectu cognationis. & carnis, ex una parte negat, talem dilectionem esse actum virtutis, ex altera vero affirmat malam non esse, nec ei sacræ eloquia contradicere; unde sequitur, esse indifferentem, cum nec bona, nec mala sit.

Probatur præterea ex eo, quod appetitio commodi, & fuga incommodi naturalis non est mala ex objecto, ut per se patet, neque etiam bona moraliter, cum non pertineat ad ullam virtutem moralem: ergo quando quis simpliciter appetit commodum, aut refugit incommodum aliquod naturale, ejus actio nec bona, nec mala est, ac proinde indifferens.

2. Dices, illam appetitionem esse malam, eo quod non referatur in finem aliquem bonum, & honestum; cum teneatur homo actiones suas semper in aliquem finem bonum, & honestum referre.

Respondetur 1. negando, teneri hominem ad actiones suas in finem bonum, & honestum referendas, ut sint bonæ, & honestæ moraliter. Quod etiam negant Sanctus Bonaventura supra, & plures alii graves Auctores, quos citat Isambertus disp. 7. in 12. ad q. 18. ar. 2 asseruntque, ad hoc ut actus humanus sit bonus moraliter, satis esse, ut ejus objectum, in quod voluntas libere fertur, sit moraliter bonum, & honestum, nec ulterius requiri, ut ab operante in bonum aliquem finem referatur.

Respondetur 2. quamvis concedatur, teneri hominem ad actiones suas in finem bonum, & honestum referendas ut sint bonæ, & honestæ moraliter, inde tamen non sequi, defectu ejusmodi relationis actiones illas esse malas, sed tantum non esse bonas, & honestas, quod ultro fatemur, ac proinde indifferentes.

In-

Instabis, actiones illas fore otiosas, ac proinde malas.

Respondetur negando, actiones illas, quæ in finem moraliter bonum non referuntur, esse otiosas, quia, ut docet S. Bonav. supra, possunt ipsi naturæ esse necessariæ, vel utiles, quod sufficit, ut otiosæ minime censeantur.

Quamvis autem hæc sententia, quæ asserit, dari posse actus aliquos in individuo indifferentes, probabilis sit, & tuta, & etiam in praxi conducere videatur ad evitanda multa peccata, quæ secundum oppositam sententiam frequentissime committi possent; hoc tamen obstare non debet, quin unusquisque peculiari studio curet omnes, & singulos actus suos in finem aliquem optimum, & Deo acceptissimum referre, juxta consilium Apostol. 1. Cor. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Quod explicans S. Basilius hom. in Sanctam Julittam martyrem, sic loquitur. *Accumbens mensæ, ora: esitans panem, largitori gratiam rependito: bibis vinum, memento ejus, qui illud tibi dedit ad lætitiam, & infirmitatum solamen: tunicam indueris, gratias agito benigno Datori: suspicis in cœlum, & siderum pulchritudinem intueris, procide Deo, & cole eum, qui omnia hæc in sapientia condidit*, &c.

SECTIO V.

Utrum ad hoc, ut quis bene operetur, teneatur sequi conscientiæ dictamen.

QUoniam ex hujus quæstionis recta intelligentia, tanquam ex certo aliquo principio, pendet resolutio plurimarum difficultatum ipsius Theologiæ Moralis; idcirco paulo fusiorem illius explicationem proponemus, eamque majoris facilitatis gratia in aliquot paragraphos distinguemus.

§. I.

Quid sit conscientia, & quotuplex.

1. OBservandum est juxta doctrinam S. Thomæ 1. par. qu. 79. ar. 12. & 13. hanc esse differentiam inter conscientiam, & synteresim, quod synteresis sit habitus naturaliter nobis insitus principiorum practicorum; principia autem practica sunt quædam regulæ universales per se notæ circa directionem actionum humanarum, & quasi *quædam lumina virtutum*, ut loquitur Sanctus Augustinus lib. 2. de lib. arb. cap. 10. cujusmodi sunt, *Juste esse vivendum, sua cuique esse reddenda*, &c.

Conscientia autē est actus illius synteresis, quo applicamus cognitionem illā universalem practicam actioni alicui singulari, & judicamus, hic & nunc aliquid agendum tanquam bonum, vel devitandum

tanquam malum. E. g. ex illo principio universali, quod malum, & peccatum omne devitandum sit, conscientia hanc deducit conclusionem: Ergo hoc furtum, quod est malum, & peccatum, devitandum est. Hinc S. Basil. hom. in principium Prov. dicit, in nobis esse *Judicium quoddam naturale, quo ab iniquis bona facile discernimus*.

2. Hæc vero conscientia judicat tum de actionibus præteritis, eas vel accusando tanquam male factas, vel tanquam recte factas commendando, juxta illud Apostol. Rom. 2. *Testimonium reddente illis conscientia eorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*: tum de actionibus futuris, dictando scilicet ea, quæ agenda sunt, tanquam bona, aut quæ fugienda sunt, tanquam mala. Unde idem S. Basilius supra dicit, intra cordis arcana tribunal quoddam esse constitutum, in quo quælibet agenda velut in trutina, & lance suspenduntur, & librantur.

Sicut autem judicium illud practicum multipliciter se habere potest circa actiones particulares, sic etiam a Theologis conscientia multiplex esse dicitur. Alia siquidem est conscientia recta, alia errans, alia scrupulosa, alia dubia.

Conscientia recta dicitur, quando judicium practicum intellectus verum est, ac rectæ rationi consentaneum: errans, quando falsum est: scrupulosa, quando inani, & frivola ratione suspicatur, aut formidat, illic malum, & peccatum esse, ubi re vera non est: dubia denique est, cum neutri parti determinatum assensum præbet, sed inter utranque fluctuat. De singulis breviter agendum est, & videndum, qua ratione quivis obligetur quocunque in casu conscientiæ dictamen sequi.

§. II.
Quæ sit obligatio conscientiæ rectæ.

1. QUæstionis sensus est, an semper quivis obligetur sequi dictamen conscientiæ aliquid recte præcipientis, aut prohibentis, seu judicantis, hic, & nunc incumbere obligationem ad aliquid faciendum, vel omittendum. Pro cujus resolutione

Dicendum est, judicium, & dictamen illud conscientiæ rectæ ita obligare hominem, ut delinquat, & peccet, nisi illud in operando sequatur. Ratio est, quia conscientia, seu judicium illud intellectus practici recte aliquid præcipientis, aut prohibentis est proxima regula voluntatis operantis, vel moventis alias potentias ad operandum, ut docet S. Th. 1. 2. q. 17. a. 3. & 9. per illud siquidem judicium voluntati innotescit, & quasi intimatur bonitas moralis, vel pravitas objecti, circumstantiarum, & finis: unde sequitur, voluntatem a regula sua deviare, ac proinde peccare, nisi conscientiam recte præcipientem in operando sequatur.

2. Di-

2. Diximus, conscientiam, seu judicium rationis esse proximam regulam humanæ voluntatis, & operationum ejus. Alia est enim regula remota, quæ tamen primaria est, & principalis: nempe Lex æterna, & Divina, seu judicium illud infallibile, quo Deus ab æterno vidit, & determinavit, quid in actibus humanis esset bonum, aut malum, justum, aut injustum, quidve in quocunque casu particulari faciendum esset, aut omittendum; quod quidem judicium Divinum unicuique hominum innotescit per ipsius rationis lumen, quod ab illo veluti quidam radius derivatur, juxta illud Psalmistæ Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine;* proindeque huic Divino judicio humanum judicium, seu ipsius conscientiæ dictamen, ut rectum sit, debet conformari.

§. III.

Quæ sit obligatio conscientiæ errantis.

1. Supponimus, duplicem esse ignorantiam, ex qua error conscientiæ provenire potest. Alia enim est ignorantia vincibilis, alia invincibilis. Ignorantia invincibilis illa est, quæ nulla morali diligentia vinci, aut superari potuit, vel quia nunquam venit in mentem dubitare, quod ignoratur, vel, licet in mentem venerit, adhibita tamen sufficienti inquisitione, ignorantia illa depelli non potuit, nec proinde debuit, cum nemo ad impossibile obligetur. Ignorantia vero vincibilis illa est, quæ adhibita diligentia vinci, ac superari potuit, ac proinde debuit. Hac distinctione supposita,

Dicendum primo, conscientiam errantem ex ignorantia invincibili obligare voluntatem, ita ut peccet, nisi dictamen illius in operando sequatur. Ita S. Th. q. 18. art. 5. Et probatur ex Apost. Rom. 14. *Scio, & confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi qui existimat, quid commune esse, illi commune est*, quibus verbis declarat Apostolus, quod per gratiam Christi Domini Fideles nullo cibo velut communi, hoc est immundo, inquinentur, nisi quis existimet, escam aliquam, v. g. carnem suillam, etiam nunc communem, id est immundam, & vetitam esse; quia tunc ejusmodi esca illi foret illicita, propter conscientiam errantem. Unde subjungit paulo post: *Qui autem discernit* (inter cibos scilicet, existimans aliquos secundum legem Moysis vetitos esse) *si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide* (id est quia non agit secundum persuasionem, seu dictamen conscientiæ) *omne autem, quod non est ex fide*, (id est, ut explicat S. Doctor art. 5. quod fit contra persuasionem, & dictamen conscientiæ) *peccatum est*.

Ratio autem hujus doctrinæ ex eodem S. Doct. est, quia, cum objectum voluntatis sit bonum, vel malum moraliter, prout ab operante tale judicatur, ideo si ex ignorantia invincibili judicet, illud esse

malum, quod tamen re vera malum non est, voluntas illi adhærendo consentiet in malum, & proinde in peccatum: e contra vero, si ex eadem ignorantia judicet, esse bonum, quod revera malum est, voluntas illud amplectendo non peccabit, imo poterit bene operari.

2. Dicendum 2. si error conscientiæ ex ignorantia vincibili procedat, tunc voluntatem neque ad operandum, neque ad non operandũ obligari, sed ad illum errorem deponendum. Ita S. Th. art. 6. & S. Bonaventura in 2. dist. 39. a. 1. q. 3. Ac in primis, quod neque ad operandum, neque ad non operandum obligetur, constat ex eo, quod utrobique peccaret, ad quod tamen nullus obligari potest: operando quidem secundum dictamen conscientiæ, quia ad malum impellit, nec illius mali ignorantia excusat, quia vincibilis, & proinde voluntaria est: non operando vero, quia si conscientiam illam non deponat, agit contra illam, quæ qualiscunque sit, est semper proxima voluntatis operantis regula, contra quam nullatenus agere licitum est. Unde Apost. ad Gal. 5. *Testificor*, inquit, *omni homini circumcidenti se, quia debitor est universæ legis faciendæ*, in quantum scilicet judicat ex conscientia erronea vincibli, Mosaicæ legis observationem esse necessariam. Quare sequitur, quod ad evitandum peccatum, conscientiam illam erroneam deponere teneatur, cum, ut supponimus, id possit, vel applicando intellectum ad id attentius considerandum, in quo se falli suspicatur, vel pii alicujus, & prudentis viri consilium exquirendo, propriumque judicium, quod sibi aliqualiter suspectum est, illius monitis humiliter submittendo.

§. IV.

Quid de conscientia scrupulosa sentiendum sit.

1. PEr conscientiam scrupulosam nihil aliud intelligimus, ut supra dictum est, nisi judicium quoddam imperfectum ex inani aliqua, & frivola ratione ortum, quo quis suspicatur, vel timet, ibi esse peccatũ, ubi re vera non est. Ex quo patet judicium illud falsum esse, & sic conscientiam scrupulosam esse quandã veluti speciem conscientiæ errantis, proindeque de ipsa conscientia scrupulosa idem dicendum esse, quod de conscientia erronea vincibili, scilicet illam esse deponendam, alias instaret periculum peccandi, si quis ea non deposita operaretur, vel non operaretur secundum dictamen illius.

Ut tamen conscientia illa scrupulosa deponatur, attendere quisq; debet, quæ sit præcipua, & magis ordinaria scrupulorũ sibi in animo suboriri solitorum causa. In quibusdam enim scrupuli ex ignorantia procedunt, in aliis ex quadam mentis incõstantia, & fluctuatione, in aliis ex ipsius cerebri debilitate, vel frigida, & timida complexione, aut etiã ex melancholia, seu atræ bilis redundantia, in aliis ex occulta superbia, quæ aliorum judicio subjici renuit, in aliis ex consortio

perso-

personarum scrupulosarum, aut lectione librorum, in quibus Theologiæ moralis axiomata quædam rigidiora proponuntur, in aliis denique ex ipsius Dæmonis suggestionibus, Deo ob causas æquissimas, licet minus notas, ita permittente.

2. Perspecta vero illorum scrupulorum causa, & origine, propria, & apta remedia adhibenda erunt; &, si quidem ex infirmitate aliqua corporis proveniant, ex Medici consilio solatia, & subsidia quærere oportebit, si ex ignorantia doctrinam sanam, & rectam opponere conveniet, si ex superbia, humilitas erit sectanda, maxime in deponendo proprio judicio, illudque piis & salutaribus monitis alterius, quantum expedit, submittendo, si ex Dæmonis suggestione, animi fluctuatione, aut alia simili causa oriantur, auxilium Divinum humili prece postulandum erit. Sed præcipuum, & saluberrimum contra omnia scrupulorum genera remedium est Confessario, aut alteri cuipiam viro pio, prudenti, docto scrupulos, statumque animi interiorem fideliter, ac sincere aperire, ejus consiliis humiliter acquiescere, illiusque judicium, reclamante licet conscientia scrupulosa, quæ nunquam audienda, sed semper deponenda est, constanter sequi. Ita S. Antoninus, Navarrus, Valentia, & alii apud Laymann. tract. 1. de conscientia cap. 6.

3. Quod si quis aliquando ita scrupulis urgeatur, ut nec apud se, quid facto opus sit, statuere, nec adire Confessarium, aut a quoquam consilium requirere possit, tunc vel ipsamet ad scrupulos inaniter concipiendos proclivitas sufficiens ratio esse, potest ipsam conscientiam scrupulosam deponendi, & penitus abjiciendi. Imo persona timoratæ conscientiæ, quæ citius mori eligeret, quam data opera Deo displicere, in his casibus, in quibus dignoscere non potest, an peccaverit, nec ne; v. g. an consensum plenum, & deliberatum tentationi alicui præbuerit, tuto sibi persuadere potest, se non consensisse deliberate, nec peccatum ullum saltem mortale commisisse, cum fieri non possit, quin consensum illum plene advertisset, si deliberate tentationi illi consensisset. Secus vero dicendum de iis, qui in varia peccata mortalia crebro incurrunt. Illis siquidem tutius est in scrupulis rigidiorem partem amplecti, seque peccati reos agnoscere, & confiteri, quam sibi periculose adulari, cum tales ut plurimum ob peccandi assuetudinem peccatorum stimulum vix præsentiant.

§. V.

Quid sit conscientia dubia, & in dubiis quid agendum.

1. OBservandum est, aliud esse dubium juris, aliud vero dubium facti. Dubium juris dicitur illud, quod est de obligatione, vel de legitima facultate agendi, aut de legitimo actus valore. Dividiturque in dubium speculativum, & dubium practicum. Dubium specu-

lativum illud est, quo dubitatur de re aliqua, utrum licita sit, an illicita, valida, an invalida, v. g. an talis contractus sit licitus, an Matrimonium tali modo contractum sit validum. Dubium practicum est, cum in particulari dubitatur, utrum hic, & nunc liceat talem contractum inire, tali cogitationi consentire.

Dubium vero facti est illud, quo ambigitur, utrum aliquid factum sit, necne, v. g. utrum votum emissum sit, aut si emissum est, utrum impletum fuerit. His observatis,

Dicendum 1. aliquid facere, vel omittere cum conscientia practice dubia, seu cum dubio juris practico, semper est peccatum. Id constat tum ex c. *Dominus* de secundis nuptiis, ubi Lucius III. Summus Pontifex declarat, illum, qui post secundum matrimonium bona fide contractum dubitare incipit de morte prioris conjugis, & utrum licite possit a secunda conjuge debitum exigere, quamdiu in illo dubio hæret, peccare, si debitum exigat: tum etiam ex eo, quod exponens se deliberate peccandi periculo peccat, ut docet S. Thomas quodl. 8. art. 13. atqui operans cum tali dubio practico exponit se periculo peccandi; ergo peccat.

2. Dicendum 2. non esse peccatum facere aliquid, vel omittere cũ dubio speculativo, dummodo practice judicet operans hic, & nunc tale opus sibi esse licitum. V. g. quamvis subditus speculative dubitet, an bellum illud, quod a Principe suo geritur, sit justum, tamen in particulari practice judicare potest, licitum sibi esse in tali bello pugnare, quandiu ipsi non constat, quod sit injustum, ut expresse docet S. Augustinus lib. 21. contr. Faust. cap. 7. Nihil enim obstat, quin cum dubio speculativo simul consistere possit judicium practicum verum, & certum; quia judicii speculativi, & practici veritas, & certitudo ex diversis principiis, & rationibus pendet. Aliæ siquidem sunt rationes, ob quas aliquis de justitia belli a Principe suscepti dubitare potest, aliæ vero, ob quas judicare potest, licitum sibi esse in tali bello pugnare.

Dicendum 3. in dubiis facti, quoties urget necessitas, in qua de salute animæ agitur, tutiorem partem esse semper eligendam. Id constat ex cap. *Si quis autem*, de pœnitentia, quæst. 7. & ex c. *Juvenis*, de sponsalibus. Unde sequitur, quod in collatione Sacramentorum, quæ ad salutem necessaria sunt, quando dubium aliquod emergit, sententia tutior, pro salute illius, cui conferuntur, amplectenda sit. E. g. si dubitetur, an puer Baptismum susceperit, necne, tutior pro illius salute sententia sumi debet, quæ est, Baptismum illi sub conditione esse conferendum. Quod etiam similiter dici debet, quando salus corporalis alicujus periclitatur. Tunc enim Medicus succurrere tenetur eo medicamento, quod tutius esse judicat, alias gravius peccaret, si eo posthabito, experiendi gratia, medicamentum minus certum adhiberet.

In aliis vero dubiis, in quibus non est adeo urgens necessitas, ne-

que

que etiam tam arcta intercedit obligatio ad tutiorem partem amplectendam, præsertim si grave aliquod incommodum inde sequatur: e. g. qui de natalibus suis dubitat, utrum legitimus sit an illegitimus, non tenetur semper sequi partem rigidiorem, & tutiorem, sed mitiorem, & benigniorem, dummodo probabilis, & tuta sit, amplecti potest. Ita Navarrus c. 27. n. 281. Sylvester verbo *Filii*, quæst. 12. ubi Panormitanum, & alios Doctores citat.

3. Dicendum 4. In dubio meliorem semper esse conditionem possidentis. Ita habetur regul. 63. in 6. Ex quo sequitur, quod, si quis dubitare incipiat, utrum res, quam hactenus bona fide possedit, sua sit, an aliena, nec diligenti inquisitione adhibita id cognoscere possit, tunc illam sibi tuto potest retinere. Ita Joannes Medina quæst. 17. de restitutione, Sylvester verbo *Præscriptio*, n. 3. ubi citat Glossam, & Panormitanum, qui hanc sententiam dicit esse communem.

Dicendum 5. in dubio factum non præsumi, sed monstrari debere. Ita Sotus, Suarez, Azorius. & plures alii, quos citat, & sequitur Laymannus tract. 1. de conscientia c. 5. parag. 3. & colligitur ex L. *In bello §. facta. ff* de captivis E. g. in dubio, utrum quis votum emiserit, non debet censeri obligatus. si autem constet illi de voto emisso, dubitet autem, num illud impleverit, tunc ad illud implendum tenebitur. Ita præter citatos Doctores Suarez l. 4. de voto c. 5. Item dubitans, an lex aliqua lata sit, vel promulgata, si post diligentem inquisitionem nihil certi deprehendere possit, sed semper æque dubius remaneat, tunc præsumere potest, non esse: si vero post legem latam, & promulgatam; dubitet, an sit revocata, vel usu contrario abrogata, tunc præsumptio stat pro lege, proindeque ad illam servandam obligatus est. Ita Lessius in prælect. Theolog. ad quæst. 19. dub 10.

Superest una difficultas circa conscientiam dubiam, nimirum quando quis in eas angustias redigitur, ut, quidquid faciat, peccatum devitare non posse videatur, & sic dubius, & anceps apud se est, quid potissimum agere debeat: V. g. interrogatus quis in privata conversatione de peccato occulto alterius sibi cognito dubitat, quid sibi agendum sit, & utrinq; peccandi periculum sibi imminere videt. Si enim negaverit, ab illo commissum esse, aut a se cognitum, mentietur; si vero illud declaraverit, vel aliis loquendi modis usus fuerit, unde adstantes veritatem facti conjicere possint, famam proximi lædet, & detractionis peccatum incurret.

Respondetur, quod in tali casu, & aliis similibus, si nullum aliud pateat effugium, neque ullo modo se quis ex ejusmodi angustiis liberare possit, tunc id eligere debet, quod minus malum sibi videtur, & illud agendo conscientiam peccati deponere, quia juxta regulam juris, *Ad impossibile nemo potest obligari. Quis enim*, ut dicit S. August. lib. 3. de lib. arb. c. 18. *peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* Neque refert, utrum quis seipsum sua culpâ in hanc perplexitatem con-

conjecerit, quia quidquid sit de præterito, quod in ejus potestate amplius non est, certe ad evitandum novum peccatum sufficit, ut quis tunc faciat id, quod in se est. *Nihil enim quovis tempore* (ut recte monet Gerson in regulis moralibus parte 2. tract. 1.) *amplius ab homine requirit Deus, qui*, (ut declarat Concilium Trident. sess. 6. c. 11.) *impossibilia non jubet*.

SECTIO IV.

* *De opinione probabili.*

QUoniam ea, quæ tractantur a Theologis circa probabilitatem opinionum, maxime conferre possunt ad rectam, & sanam dictorum, aut dicendorum intelligentiam, nec non ad quarumcunque actionum directionem, ideo utilissimum existimavimus de hoc subjecto paulo accuratius agere, ac præcipuis super eo difficultatibus, quantum poterimus, lucem afferre, servata in omnibus tamen brevitate, quam compendii ratio exigit.

§. I.

Quid opinionis probabilis nomine intelligendum sit.

1. DUo hic nobis explicanda sunt. 1. quid sit opinio. 2. quænam opinio censeri debeat probabilis.

Quod ad primum spectat, nomine opinionis nihil aliud a Theologis intelligitur, quam assensus rationis alteri ex duabus propositionibus contrariis, vel contradictoriis datus, cum aliqua formidine oppositi conjunctus.

Dicitur *assensus*, ut a dubitatione distinguatur, quæ animum veluti suspensum tenet, nec in alterutram partem inclinare sinit.

Rationis, quia ad opinionem non sufficit prima mentis operatio, seu simplex apprehensio, sed requiritur judicium aliquod, vel discursus rationis.

Datus alteri ex duabus propositionibus contrariis, quia opinio facit semper propendere animum in alterutram partem; alias si suspensus maneret inter utranque, jam non opinans, sed dubitãs diceretur,

Cum formidine oppositi conjunctus, quia, si nulla formido inesset, sed omnimoda certitudo, tunc nõ esset opinio, & si quidem certitudo illa oriretur ex principiis veris, ac certa, & evidenti demonstratione, tũc esset scientia, si ex principiis falsis, error, vel obstinatio diceretur.

2. Quod spectat ad secundum, duæ sunt præcipuæ conditiones, quæ ad conciliandam opinioni alicui probabilitatem requiruntur.

Prima est, ut non repugnet aut veritatibus ab Ecclesia receptis, aut evidenti rationi; neque etiam temere contradicat communi, & receptæ Theologorum doctrinæ.

secunda, ut firmo aliquo fundamento innitatur. Neque enim sufficit ad hoc, ut probabilis judicetur, quod veritati minime adversetur, sed præterea necessarium est, ut principiis quibusdam veritati consentaneis fulciatur, quod fiet, si solida aliqua ratione, aut auctoritate gravi, & fide digna innixa sit.

3. Quæres, quænam auctoritas ita gravis, & fide digna censeri debeat, ut opinionem aliquam efficere possit probabilem. Sunt, qui certum quendam Doctorum numerum exigunt, ut illorum auctoritas gravis queat existimari; & alii quidem plures requirunt, alii pauciores. Quod quidem definire quamvis sit difficillimum, nullus tamen inficiabitur, quin varii casus interdum occurrere possint, in quibus etiam unius Doctoris auctoritas sufficiens censebitur, ut quis probabiliter, & tuto possit operari. Exempli gratia, Laicus aliquis dubitans, an sibi licitum sit tale negotium aggredi, vel talem contractum inire, proprium consulit Parochum, aut proprii Episcopi Pœnitentiarium, vel etiam ipsummet Episcopum, & ab alterutro illorum edotur, ejusmodi negotium, vel contractum licitum esse: quis post hæc dicere auderet, talis consulentis (de cujus eruditione, vel pietate, supponimus, nulla subest ratio dubitandi) auctoritatem non sufficere, ut probabiliter, & tuto operetur, quamvis auctoritas illa, quam in operando sequitur, non sit nisi unius Doctoris? Neque pœnitentes arguuntur, qui in communibus conscientiæ difficultatibus, in quibus non satis exploratum habent, quid licitum sit, vel illicitum, unius Confessarii, quem virum pium, & eruditum existimant, consiliis acquiescunt, & illius solius auctoritatem sibi sufficere arbitrantur.

Ex quibus infertur, auctoritatem illam, de qua nunc quæstio est, ex variis circumstantiis æstimandam esse, videlicet vel ex conditione personarum, quarum consilium in agendo sequimur, nullus est enim, qui non fateatur, proprii Episcopi, aut Parochi auctoritatem maximi momenti apud unumquenq; esse debere; vel ex eorum, de quibus consilium exquiritur, majori, vel minori momento, vel difficultate, quia nulli dubium est, quin casuum illorum, qui majoris momenti censentur, & pluribus, ac majoribus difficultatibus impleti sunt, resolutio a pluribus Doctoribus petenda sit, nec unius, aut alterius Doctoris levioris notæ auctoritas sufficere existimetur. Nullus est etiam præterea, qui non fateatur, auctoritatem illam, quæ Doctorem aliquem, aut Pastorem, seu Confessarium permovere debet, ut rationabiliter opinionem aliquam probabilem existimet, majorem, & graviorem esse debere illa, quæ in simili casu laico alicui dubitanti, vel consulenti sufficiens esset.

4. Porro ut aliquis dicatur operari ex opinione probabili, nō est satis ut principia illa, per quæ probabilis efficitur, sint alteri cognita, sed etiam requiritur, ut ipsi innotescant, idest ut sciat se agere vel ex ali-

aliqua solida ratione, vel ex auctoritate gravi, & fide digna. Cum enim opinio illa sit directiva operationis, quæ ut recta sit, debet esse justa, & prudens, talis haud dubie non esset, si operans nulla ejusmodi ratione, aut auctoritate in operando duceretur.

Debet præterea ratio ejusmodi, vel auctoritas illi esse nota, cum operatur, vel antequam operetur, non autem solummodo, postquam operari desiit, alias ejusmodi ratio, vel auctoritas operationis illius directiva non esset. Unde falluntur, qui post actum aliquem commissum, vel omissum, evolvunt Doctorum libros, ut sibi faventem aliquem reperiant, quia ratio illa, vel auctoritas subsequens nihil confert ad rectitudinem actus, qui bonitatem suam, & malitiam desumit ex dispositione operantis, cum operatur, non vero ex cognitione, quam post operationem acquirere potest.

§. II.

An licitum sit operari ex quacunque opinione probabili.

SUpponimus 1. certum esse generaliter loquendo, & abstrahendo a quibuscunq; opinionibus probabilibus in particulari, non modo licitum, sed & aliquando necessarium esse operari ex opinione probabili, cum plerunque homines aliter operari non possint. Neque enim intellectu Angelico præditi sunt, quo intuitive, & infallibiliter omnia perspicere queant; & experientia compertum est, seclusis iis, quæ Fide Divina nobis perspecta sunt, perpaucas res esse, quæ certa, & evidenti demonstratione a nobis cognoscantur, præsertim in agibilibus, in quibus vix ulla ratio moralis agendorum afferri potest, quin aliqua alia in contrarium afferri queat.

Porro ad clariorem, & certiorem quæstionis propositæ resolutionem, observandum est, formidinem illam, quam paragrapho præcedenti diximus remanere simul cum assensu opinantis ex opinione probabili, aliam esse intrinsecam, & practicam, aliam extrinsecam, & veluti speculativam.

Per formidinem, quam vocamus intrinsecam, & practicam, eam intelligimus, quæ ipsum operantem reddit anxium, & irresolutum in judicio practico rationis, eo tempore, quo operatur, ita ut nequaquam apud se statuat, quod hic, & nunc, hoc, vel illud agere, vel omittere licite possit.

Per formidinem vero, quam dicimus extrinsecam, & speculativam, intelligimus eam, qua, etsi operans intrinsece, seu judicio practico sit sufficienter resolutus, quod hic, & nunc, hoc, vel illud agere, vel omittere licite possit, ab extrinseco tamen timet, ne judicio suo speculativo de tali re, vel actione subesse possit aliqua falsitas.

Hac observatione supposita, dicimus, licitum quidem esse operari

ex quacunque opinione probabili, cũ formidine extrinseca, & speculativa, nunquam vero cum formidine intrinseca, & practica. Ratio primæ partis hujus assertionis est, quia formido illa extrinseca, quæ cuicunque opinioni quantumvis probabili semper conjuncta est, alias non esset amplius opinio, sed scientia aliqua, vel alia species cognitionis, non impedit, quin operans ex opinione probabili secundum rectam rationem operetur, quia, ut ex dictis paragrapho præcedenti constat, sequitur in operando vel solidam aliquam rationem, vel auctoritatem gravem, & fide dignam, quod censetur sufficere, ut dicatur recte operari. Ratio secundæ partis ejusdem assertionis est, quia, ut quis recte operetur, debet esse moraliter certus, & apud se judicio intrinseco statuere, quod hic, & nunc hoc, vel illud agere, vel omittere sine peccato possit; quod quidem statuere potest, quamvis certus non sit, imo formidinem aliquam habeat, quod in judicio speculativo super tali re, vel actione falli possit. Quia judicium illud practicum est proxima regula actionum humanarum; judicium autem speculativum est tantum remota; est autem necessarium ad rectitudinem moralem cujuscunque actionis, ut proximæ regulæ dirigenti sit conformis; erit autem conformis, si operans certus sit moraliter, se recte operari, quamvis speculative non ita sit certus, sed formidinem aliquam habeat de opposito.

Dicet aliquis, esse certum, & non esse certum videri inter se contradictoria, nec proinde in eodem operante simul posse reperiri.

Respondetur, illa non esse contradictoria, quia licet de eodem, non tamen eodem modo dicuntur. Operans enim certus est, quod licite tunc operari potest, ex opinione probabili, quamvis aliunde non sit omnino certus de validitate rationis, vel. auctoritatis, qua opinio illa nititur, sed habeat formidinem aliquam de opposito. Quod enim certitudo practica moralis non excludat omnem formidinem speculativam, sed cum illa in eodem operante reperiri possit, clarum est ex Script. Prov. 28. *Beatus homo, qui semper est pavidus*. Philip. 2. *Cum timore, & tremore salutem vestram operamini.* Ex quibus, & similibus locis patet, quod, quamvis certa sit fiducia adipiscendæ salutis in quolibet Fideli per virtutem supernaturalem Spei, quæ Divina misericordia, & Christi meritis certo innititur; hoc tamen non obstat, quin simul in eodem Fideli reperiatur timor, & formido ejusdem salutis non adipiscendæ, propter voluntatis propriæ infirmitatem, & instabilitatem.

§. III.

§. III.
Utrum ex duabus opinionibus probabilibus licitum sit sequi minus tutam, & minus probabilem.

1. AD faciliorem, & certiorem propositæ quæstionis resolutionem observandum est primo, probabilioris opinionis nomine nos intelligere eam, quæ conditiones in paragrapho primo propositas perfectas possidet, seu quæ nullam habens cum veritatibus Fidei, aut cum communi, & recepta Doctorum sententia repugnantiam, validiori aliqua ratione, aut graviori auctoritate innixa est: tutioris vero opinionis nomine eam intelligere, quæ nos ab omni peccati specie longius removet. Quamobrem ex duabus opinionibus, quarum altera affirmat, altera negat, peccatum esse aliquid facere, aut omittere, illa quæ affirmat, semper est tutior, cum hominem se illi accommodantem, & ab eo, quod damnat, abstinentem, nulli plane, ac ne materialiter quidem peccandi periculo exponat. At vero ejusmodi opinio licet sit tutior, non est tamen semper probabilior, cum debilioribus plerunque fundamentis, seu rationibus innitatur. Jampridem istud animadvertit S. Antoninus 1. p. titul. 3. c. 10. §. 10. ubi explicatis opinionibus S. Th. negantis, & S. Bonaventuræ affirmantis, peccatorem post lapsum in peccatum mortale teneri ex præcepto Divino statim confiteri, si subsit copia Confessarii, declarat, opinionem S. Thomæ esse probabiliorem, & ideo magis communem in praxi.

Observandum 2. quæstionem hic non esse de consilio, sed de præcepto, hoc est non hic quæri, an melius sit, & magis expediat sequi opinionem tutiorem, vel probabiliorem: est enim in confesso apud omnes, melius esse per se loquendo sequi tutiorem opinionem, vel ex duabus opinionibus æque tutis sequi probabiliorem, sed quæri, an sit obligatio aliqua ex præcepto Divino sequi semper opinionem illam, quæ sit tutior, vel probabilior.

Observandum 3. cum quæritur inter Theologos, an liceat ex duabus opinionibus probabilibus sequi minus probabilem, intelligi etiam minus tutam. Nam si minus probabilis esset magis tuta, nullus in dubium revocaret, quin licitum foret eam amplecti; siquidem eo ipso, quo esset magis tuta, magis etiam ab omni specie peccati removeret, adeoque non modo licitum esset, sed etiam laudabile illam tanquam normam in operando sequi.

2. His observationibus præsuppositis, dicendum est, licitum esse ex duabus opinionibus probabilibus, relicta probabiliori, sequi minus probabilem, dummodo tamen illa sit vere probabilis eo sensu, quo in paragrapho primo explicatum est. Ita docent quamplurimi, & perinsignes Theologi, ac præ cæteris Joannes Malderus Episcopus Antuerpien-

piensis in 1.2. q. 19. disp. 86. Didacus Alvarez Episcopus Tranensis in comment. ad 1. 2. disp. 80. n.9. Bartholomæus Ledesma Episcopus Guaxavensis in tract. de Sacram. Pœnitentiæ, difficul. 14. Josephus Angles Episcopus Bozanus in floribus quæstionum Theologicar. qu. de confess. difficult. 8. Thomas Zerola Episcopus Minorensis in praxi pœnitentiæ c. 22. q. 3. Toletus l.3. c. 2. Dominicus Bannes in 1.2. q. 10. ar. 1. dub. 3. conclus. 4. Navarrus in manuali c. 27. n.228. Alexander Pesantius in 1. 2. q. 19. art. 6. disp. 2. n. 3. Franciscus Sylvius in 1.2. q.19. a.5. q.9. Philippus Gammachæus in 1. 2. q. 19. con. 2. Andreas Du-Valius in tractatu de actibus humanis qu. 4. ar. 12. Nicolaus Ilsambertus in 1.2. disp. 9. ar. 4.

Probatur 1. ex eo, quod dixit S. Leo Papa Ep.92. ad Rusticum Narbon. ubi sic loquitur: *In iis, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis, nec decretis Sanctorum Patrum invenitur adversum*. Ex quibus verbis sic argumentari possumus. Quælibet opinio, quæ vere est probabilis, quamvis minus sit probabilis, quam alia, quæ censetur probabilior, tamen nec præceptis Evangelicis contraria, nec decretis SS Patrum invenitur adversa; ergo secundum mentem illius Sancti Pontificis illam sequi licitum est. Consequentia clara est. Antecedens patet, quia si opinio illa præceptis Evangelicis, aut decretis Sanctorum Patrum adversaretur, jam non esset probabilis, ut constat ex iis, quæ §. 1. dicta sunt.

Probatur 2. Ille actus censetur bonus, & honestus, ac proinde licitus, qui rectæ rationi conformis est: atqui actus ille, qui fit ex opinione probabili, seu secundum dictamen conscientiæ, quæ opinionem probabilem sequitur, est conformis rectæ rationi, quæ non obligat præcise ad sequendam opinionem probabiliorem, sed ad sequendam opinionem, quæ vere sit probabilis. Neque vero ex eo, quod aliquis in operando sequitur probabilem opinionem, relicta probabiliori, inferri potest, quod male operetur, seu quod regulæ alicui falsæ, aut illicitæ adhæreat, sed tantum, quod in operando regulam perfectiorem non sequatur, quam sequi non tenetur. Alioquin si teneremur in omnibus sequi id, quod perfectius est, dicendum esset, illum, qui v.g. neglecto religioso statu, quem judicat perfectiorem, & tutiorem, statum conjugalem amplectitur, operari ex judicio pravo, & peccare, quod sine errore affirmari non potest.

3. Sunt tamen circa hanc nostram assertionem aliquæ limitationes necessariæ. Prima est in materia Sacramentorum. Quando enim de alicujus Sacramenti administratione agitur, tenetur semper is, qui administrat, sequi opinionem probabiliorem, & tutiorem in illius materia, & forma, quando illam sequi potest. V. g. quamvis aliqui Doctores existiment, probabile esse, quod validus sit Baptismus cum brodio, vel aliqua alia aqua minus pura, & simplici collatus, item quod valida sit consecratio in pane siligineo, vel spelta-

taceo,

taceo, ille tamen graviter peccaret, qui eo modo baptizaret, vel consecraret, neglecta aqua naturali pura, & simplici, quam ad manum haberet, & cum qua posset baptizare, vel neglecto pane triticeo azymo, cum quo posset consecrare. Ita Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 16. sect. 2. Vasq. ad 1. 2. disp. 64. cap. 3. Suarez lib. 1. in Decalog. cap. 9. & alii.

Secunda limitatio necessaria est respectu Judicum, & Medicorum. Illi enim in ferendis sententiis tenentur sequi partem probabiliorem, & litem adjudicare illi, cujus causa rationibus probabilioribus nixa est, isti vero in remediis assignandis debent sequi id, quod tutius est, & quod probabilius ad sanitatem conferre videtur, cum id justitia, & charitas ab utrisque exigat. Ita Suarez, Vasquez, Sanchez supra citati, & plures alii.

Addunt etiam aliqui tertiam limitationem, respectu Magistrorum, & Præceptorum, in iis præsertim, quæ Fidem, & mores spectant, asseruntque, illos teneri sententias illas Discipulos suos edocere, quas saniores, & probabiliores existimant; imo & moralem adhibere diligentiam, ut quantum poterunt, in doctrina, quam tradunt, veritatem assequantur; quia alioquin videntur Discipulis injuriam facere, & bono publico non leve præjudicium afferre. Ita Filliucius tract. 21. in Decalog. cap. 4 Bresserus lib. 3. de conscientia cap. 18. & alii.

4. Quæres, an Doctor, seu Confessarius aliquis dare possit consilium juxta sententiam probabilem, relicta probabiliori, quam ipse sequitur. Respondetur cum Isamberto sup. art. 5. cum distinctione. Vel enim per talem consultationem rogatur ejus mens, & sententia circa casum propositum, vel tantum quæritur, quid liceat, vel denique, quid expediat in tali casu. Si primo modo petatur consilium, debet consultus respondere juxta propriam sententiam, alias non aget bona fide, & videbitur mentiri, quod nunquam licet: si secundo modo, potest respondere, illud de quo consulitur, secundum aliquam probabilem opinionem esse licitum: si denique tertio modo petatur consilium, debet prudenter omnia considerare, personam ipsam, quæ consilium petit, & omnes circunstantias ipsius rei, de qua consilium petitur, & etiam temporis, quo ejusmodi consilium petitur, & omnibus prudenter perpensis, id quod expedire videbitur, consulere. Imo aliquando expedit, & oportet consulere id, quod est tantum probabile, relicto probabiliori, quia contingere potest, ut qui petit consilium, sit ita dispositus, ut non sit facturus, quod ei dictabitur secundum probabiliorem sententiam; unde sequitur, eum periculo peccandi expositum iri, quod evitari posset, si daretur ei consilium secundum sententiam probabilem, quæ ei fortasse magis arrideret, & cui se libentius submitteret. Debet tamen is, a quo consilium petitur, ita se gerere, ut alii non scandalizentur, videntes eum aliter consulere, quam vel opinetur, vel faciat.

C A-

CAPUT II.

De Peccatis.

SECTIO I.

Quid sit Peccatum.

1. QUæstio proposita intelligenda est, non de peccato originali, quod aliena culpa contrahitur, de quo in priori hujus Operis parte tr.4. actum est, sed de peccato actuali, quod propria voluntate incurritur. Hoc autem peccatum definitur a S Aug. lib.22. contr. Faust. *Factum, dictum, vel concupitum contra legem Dei æternam.* Et in hac definitione, cui subscribit S. Doct. 1.2. qu.7. ar.6. & cum eo communiter Theologi, duo verba subaudita intelligi debent, quæ si addantur, plenior erit definitio in hunc modum:

Peccatum est voluntarium factum, dictum, concupitum, aut omissio contra legem Dei æternam,

Dicitur 1. factum, dictum, vel concupitum, quia, ut docet S. Th. sup. omne opus malum vel est a voluntate elicitum, & sic est concupitum, vel est imperatum, & sic ad exteriores actus locutionis, aut operationis pertinet, & est factum, vel dictum.

Dicitur 2. voluntarium, quia necesse est ad rationem peccati, ut sit voluntarium, seu ut a libero voluntatis consensu procedat, ita ut (juxta doctrinam S. Augustini lib. de vera Relig. cap. 14. quæ etiam Theologorum omnium communis est) *nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.*

Dicitur 3. aut omissio, quia cum affirmatio, & negatio (ut docet S. Thomas sup. in resp. ad 1.) reducantur ad idem genus, æque peccat, qui non facit id, quod præcipitur, atque is, qui facit id, quod prohibetur.

Dicitur 4. contra legem Dei æternam, quia, ut supponimus ex dicendis cap. seq. cum lex æterna Dei sit prima, & summa regula rectitudinis omnis, quæ in actibus humanis reperiri potest, hinc sequitur, omnem actum, qui a rectitudine debita aberrat, etiam ab illa prima æternæ legis regula deflectere, & proinde æternæ legi Dei adversari. Quod quidem ita verum est, ut etiam transgressiones illæ, quæ contra leges Ecclesiasticas, aut Civiles committuntur, eatenus sint peccata, quatenus leges illæ a lege æterna derivantur, vel cum ea concordant, vel ex ea vim obligandi accipiunt, ut si transgressiones illæ contra legem Dei æternam fieri aliquo sensu intelligantur.

2. Porro ad faciliorem eorum, quæ dicta fuere, vel dicenda sunt, intelligentiam, observandū est, ad rationem peccati duo præsertim re-

quiri, nimirum primo ut talis actus sit humanus, ideſt voluntarius, & liber; deinde ut ſit malus, & pravus, ideſt, ut careat debita commenſuratione ad ſuam regulam. Regula autem actus humani proxima eſt recta ratio, ut ſupra dictum eſt, remota vero, & principalis, ac primaria eſt ipſa lex æterna, quæ per naturalis rationis lumen cuique manifeſtatur, dicente Apoſtolo Rom. 2. quoſvis homines geſtare *Opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum*. Atque ideo S. Aug. & S. Th. in ſupra dictis definitionibus primo poſuerunt id, quod pertinet ad ſubſtantiam actus humani, tanquam ipſius peccati materiale, deinde id, quod pertinet ad rationem mali, ut ejuſdem peccati formale. Ratio enim formalis peccati, ut communiter docent Theologi, nihil eſt aliud, quam privatio rectitudinis illius, quam homo ex præſcripto legis æternæ, & dictamine rectæ rationis inducere tenetur in actum ſuum. Unde idem S. Aug. tr. 1. in S. Joan. dicit, *Peccatum eſſe nihil, quia per verbum factum non eſt*. & lib. 12. de Civ. cap. 7. *Nemo*, inquit, *quærat cauſam efficientem humanæ pravitatis; non enim eſt efficiens, ſed deficiens, quia nec illa affectio eſt, ſed defectio*. S. Ambroſius de Iſaac, & anima cap. 7. *Quid eſt*, inquit, *malitia, niſi boni indigentia*? Et S. Anſelmus lib. de concordia præſcientiæ cum lib. arbit. cap. 1. *Non eſt*, inquit, *injuſtitia qualitas, aut actio, aut aliqua eſſentia, ſed tantum abſentia debitæ juſtitiæ*.

Obſervandum præterea ex eodem S. Doct. in reſp. ad 5. peccatum alia ratione conſiderari a Philoſophis, alia vero a Theologis. Philoſophi ſiquidem peccatum conſiderant ſolummodo, prout rectæ rationi adverſatur, Theologi vero ulterius progrediuntur, & in peccato attendunt, quod ſit contra Dei voluntatem, ac legem, adeoque ipſius Dei offenſa quædam, & injuria. Unde in peccati definitione S. Aug. recte dixit, illud eſſe contra legem Dei æternam, ut præcipuam, & maximam ipſius peccati deformitatem ob oculos poneret.

SECTIO II.

Utrum dentur peccata quædam mortalia, & quædam venialia.

1. MUltiplex diviſio peccati a Theologis fieri ſolet. In primis enim dividitur peccatum in actuale, & habituale. Actuale eſt illud, quod actu perpetratur, habituale vero, quod poſt actuale commiſſum per modum habitualis defectus permanet.

Rurſum ipſum peccatum actuale dividitur ex parte præcepti in peccatum commiſſionis, & omiſſionis, ex parte objecti in peccatum contra Deum, ſeipſum, & proximum, ex parte ſubjecti in peccatum carnale, & ſpirituale, ex parte modi in peccatum cordis, oris, & operis, ex parte cauſæ efficientis in peccatum ex paſſione, ex ignorantia, & ex malitia, denique ex parte malitiæ, in

pecca-

peccatum mortale, & veniale. De qua ultima divisione nunc agendum nobis est, de cæteris infra suo loco agetur.

Nomine peccati mortalis intelligitur illud, ratione cujus homo Gratia sanctificante privatur, & æterna damnatione puniri meretur; nomine vero venialis illud, quod quamvis peccatum sit, nihilominus neque Gratia sanctificante privat hominem, neque damnatione æterna dignum reddit.

Est autem certum ex Fide, dari quædam peccata mortalia, quædam item peccata venialia. Atq; in primis quod dentur peccata aliqua mortalia, in cõfesso est apud omnes, & manifeste cõstat ex Scriptura, quæ variis in locis testatur damnationem, seu mortem æternam pro quibusdam peccatis incurri, ut Eph. 5. *Omnis fornicator, aut immundus*, &c. *non habet hæreditatem in Regno Dei*. Apoc. 21. *Homicidis, & fornicatoribus*, &c. *pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure*.

Quod vero etiam quædam peccata sint tantum venialia, probatur 1. ex eadem Script. Prov. 24. *Septies in die cadet justus, & resurget*. 1. Joan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, quo loco S. Joan. loquitur de peccatis justorum, ob quæ justi esse non desinunt, & quæ proinde cum Gratia sanctificante stare possunt, ut asserit S. Aug. lib. de nat. & grat. c. 36.

Prob. 2. ex Concilio Milevitano can. 7. ubi dicitur, non solum peccatoribus, sed etiam justis hanc Orationis Dominicæ petitionem convenire, *Dimitte nobis debita nostra*: & ex Conc. Trid. sess. 6. ca. 11. ubi expresse declaratur, *Justos, & sanctos in levia, & quotidiana, quæ etiam dicuntur venialia, peccata quandoque cadere*.

2. Certum est præterea, discrimen peccati mortalis, & venialis desumendum esse, non ex eo, quod, ut asserunt Lutherani, & Calvinistæ, peccata omnia prædestinatorum, aut Fidelium venialia sint, reproborum vero, aut Infidelium mortalia, sed ex propria ratione, & natura ipsorummet peccatorum.

Id probari potest 1. ex Script. quæ, ut supra dictum est, declarat, peccata quædam æterna morte digna esse, ac proinde mortalia; quædam vero venialia, sine ulla relatione ad prædestinationem, aut reprobationem, vel ad Fidem, aut Infidelitatem peccantium; imo expresse testatur quosdam prædestinatos, & Fideles peccasse mortaliter, v. g. Davidem cum perpetravit adulterium, quod haud dubie peccatum mortale fuit, ut docet S. Ambrosius lib. 2. de Apolog. David c. 16. S. Petrum, cum ter Christum negavit, in quo peccavit mortaliter, teste S. Aug. tract. 66. in S. Joan. ubi dicit, illum in ista negatione timendo corporis mortem, animæ mortem incurrisse.

Prob. 2. ex Bulla Pii V. & Gregor. XIII. quæ per Urbanum VIII. renovata est, in qua damnata est hæc propositio Michaelis Baji: *Nullũ est peccatũ ex natura sua veniale, sed omne meretur pœnã æternam*.

Prob. 3. ex eo, quod si peccata omnia prædestinatorum essent venia-

nialia sequeretur, prædestinatũ Gratiam justificationis amittere non posse, cum per solum peccatum mortale amittatur: quod tanquam falsum, & hæreticum damnatum est a Concil. Trid. sess. 6. can. 23.

Quæres, quænam sit propria, & formalis ratio, per quam peccatum mortale a veniali differat. Respondetur, varias esse super hac quæstione Theologorum sententias. Quidam enim existimant, in eo differre, quod peccatum mortale sit contra præceptum, veniale vero contra consilium; alii, quod mortale sit contra legem, veniale vero præter legem: alii probabilius, quod peccatum mortale tollat ordinem ad ultimum finem, quia tollit charitatem, & gratiam, qua homo ad Deum ordinatur, & illi tanquam ultimo fini conjungitur; veniale vero non tollat ordinem ad finem, cum non tollat charitatem, sed tantum ad media, quia ponit inordinationem in actione humana, quæ ad Deum referri deberet tanquam ad ultimum finem, nec tamen potest, cum peccatum non possit in Deum referri: alii denique probabilissime asserunt, rationem formalem distinctivam peccati mortalis a veniali in eo consistere, quod in quolibet peccato mortali reperiatur contemptus Dei, vel expressus, vel tacitus, seu interpretativus, quod ex plerisque Scripturæ locis colligitur, in quibus conqueritur Deus, se a peccatoribus sperni, & contemni, ex quo sequitur dissolutio charitatis, & amicitiæ, quæ inter Deum, & hominem intercedit; in peccato autem veniali iste Dei contemptus non reperiatur, nec proinde ipsius charitatis, & amicitiæ Divinæ dissolutio; sicut in amicitia humana leves amici offensæ, licet ipsi displiceant, non tamen usque ad ejus contemptum procedunt, nec proinde amicitiæ vinculum, & unionem dissolvunt.

SECTIO III.

Qua ratione peccata mortalia, & venialia inter se dignosci possint.

1. QUamvis, ut Sectione præcedenti diximus, certissimum sit, & ex Scripturis apertissime constet, peccata mortalia, & venialia inter se differre; quænam tamen peccata in specie, aut individuo mortalia sint, & a regno Cœlorum per totam æternitatem excludant, quænam sint venialia, & perventionem ad illud pro determinato tantum tempore impediant, ex solo proprio, & particulari judicio *difficillimum est invenire*, ut cum S. Aug. lib. 21. de Civ. cap. 27. loquamur, *& periculosissimum definire*.

Quia tamen ad Sacerdotis officium spectat distinguere leprã a lepra, nec justam in Pœnitentiæ Tribunali sententiam ferre potest, nisi gravitatem, aut levitatem peccatorum dignoscat; idcirco, ut in re obscurissima lucem aliquam afferamus, quasdam hic observationes communiter a Doctoribus receptas, & a SS. Patribus approbatas proponemus, quibus in quolibet casu peccatum mortale a veniali digno-

dignoscere quivis probabiliter, & tuto poterit. Ad illam igitur distinctionem peccati mortalis, & venialis faciendam,

Observandū est 1. quædam peccata ex genere suo mortalia esse, & gravē habere cum recta ratione, & lege Dei repugnantiam, ut perjurium, homicidium, &c. quædā vero repugnantiam illam gravem cum recta ratione, & lege Dei non habere, proindeq; ex genere suo nō esse mortalia, sed tantū venialia, cujusmodi sunt illa, de quibus loquitur S. Aug. serm. 4. de anim. def. *quoties aliquis in cibo, & potu plus accipit, quā necesse sit, quoties plus loquitur, quā oporteat, aut plus tacet, quam expediat, quoties pauperem importune petentem exasperat*, & similia quam plurima, quæ ibidem enumerat. Quoniam vero in dignoscēdis hujusmodi peccatis, quæ ex genere suo mortalia, vel venialia sunt, quivis plerunq; proprio sensu falli, & decipi posset, duæ regulæ communiter a Doctoribus assignantur, secundum quas certum, & tutum judicium de qualitate cujuscunque peccati ferri potest.

2. Prima regula ex Scripturis habetur, quando scilicet sacræ Literæ tradunt, peccatum aliquod a Regno Dei excludere, æterna morte peccatorem dignum efficere; inimicum Dei constituere; ex his, & similibus loquendi modis recte infertur, peccatum ejusmodi ex genere suo esse mortale. Et hac regula utitur S. Aug. in Enchir. cap. 78. ubi dicit, quod quædam peccata *levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora*.

Secunda regula ex communi Ecclesiæ, & Doctorum consensu desumitur. Quando enim ex Scripturæ terminis nō satis liquet, utrū peccatum aliquod ex genere suo mortale vel veniale sit, videndum est, quid sentiant Ecclesiæ Doctores. Si enim unanimi consensu docent, peccatum aliquod ex genere suo esse mortale, pro mortali habendū est, si veniale, pro veniali. Quod si in aliquo inter se dissentiant, pars probabilior, & tutior, aut saltem probabilis, & tuta eligenda est.

Observandū secundo, peccata quædā ex genere suo mortalia, posse duobus modis fieri venialia, scilicet vel ob levitatem materiæ, vel ob imperfectionem actus. Ita ex communi Doctorum sententia Navarrus prælud. 9. n. 12. Utrumque hunc modum attingit S. Aug. l. de nat. & grat. cap. 38. ubi de justis venialiter peccantibus loquens dicit, *Sæpe in levissimis, & aliquando incautis ipsis obrepere peccatum*. Hinc infertur, furtum, v. g. quod ex genere suo mortale est, ratione levitatis materiæ fieri veniale, si res furto ablata sit vilissima, & perexigui pretii: similiter iram, quæ ex genere suo mortalis est, propter imperfectionem actus fieri venialem, si aliquis v. g. ex imperfecta rationis advertentia, & deliberatione vindictam aliquam gravem appetat. Quod ut clarius intelligatur,

3. Observandum 3. motus voluntatis, & aliarum potentiarum in triplici esse differentia. Alii enim sequuntur plenam, & perfectam rationis advertentiam, & deliberationem, cum scilicet homo plene ad-

vertit, se aliquid cogitare, appetere, aut exterius operari, quod est malum, atque illicitum, & nihilominus in illa cogitatione, appetitione, aut actione persistit. Tunc enim dubium non est, quin peccet mortaliter, si materia sit ad mortale peccatum sufficiens.

Alii ante omnem rationis advertentiã oriuntur, qui vocantur primo primi, cum scil. vel ex Dæmonis suggestione, vel ex re aliqua in sensus exteriores incurrente, vel ex alia quavis dispositione naturali exoritur, v.g. prava aliqua cogitatio, unde voluntas, vel appetitus sensitivus naturaliter in propositum objectum movetur. Et hi motus omni culpa carent, cum in hominis potestate non sint. *Quis enim*, ut loquitur S. Aug. lib. 3. de liber. arb. cap. 18. *peccat in eo, quod caveri nullo modo potest* ? Unde S. Gregor. Papa responsione decima ad Augustinum Anglorum Episcopum, & habetur cap. *Sed pensandum*, dist 6. expresse dicit. *Peccatum perfici, cum in delectationis motum ex deliberatione fit consensio*. Cum igitur in illis motibus primo primis nullus sit deliberationi locus, nullus etiam erit consensioni, ac proinde peccato. Et idem S. Aug. lib. 1. de Civ cap. 25. de motibus illicitis appetitus inferioris loquens dicit, illos absque culpa esse, quando nullus eis præbetur consensus. Atqui motibus ejusmodi primo primis nullus præbetur consensus, cum deliberationem omnem præcedant, quæ tamen juxta doctrinam S. Th. 1. 2. q. 74. ar. 7. ad 1. ad consensum necessario prærequiritur. Ergo secundum mentem S. Augustini ejusmodi motus omni culpa vacant.

4. Alii denique motus, quamvis perfectam rationis advertentiam, & deliberationem antecedant, sequuntur tamen advertentiã aliquã, & considerationem imperfectam, adeoq; fiunt cum consensu imperfecto (ut ita loquamur) semiplene deliberato, qualis cõsensus esse solet in semidormientibus, vel etiã in vigilantibus, sed animum passione aliqua iræ, timoris, &c. perturbatum, aut aliquibus aliis cogitationibus implicatum habentibus, ita ut illius motus, v.g. delectationis, qua afficiuntur, malitiam plene non advertant, & sic non nisi imperfecte, & leviter, idest venialiter, delinquant. Ita Major in 3. dist. 73. qu. 24. Navarrus prælud. 9. num. 11. & alii communiter. Quibus accedit auctoritas S. Aug lib. 6. cont. Julianum cap. 9. & 10 ubi loquens de motibus inordinatis concupiscentiæ, *Sine peccato*, inquit, *semper essemus, donec sanaretur hoc malum* (concupiscentiæ scilicet) *si ei nunquam consentiremus ad malum: sed in quibus ab ipso rebellante, etsi non lethaliter, sed venialiter tamen vincimur, in his contrahimus, unde quotidie dicamus, Dimitte nobis debita nostra*. Ex quibus verbis habetur, hominem ergà motus concupiscentiæ insurgentes tripliciter se habere posse, sine peccato, si nullo modo consentiat, cum peccato lethali, si deliberate consentiat, cum veniali, si consentiat quidem, sed imperfecte, & cum semiplena deliberatione.

5. Observandũ 4. peccatum ex genere suo veniale quinque præsertim

tim modis posse fieri mortale, ut ex iis, quæ capite præcedenti dicta sunt, colligi potest. Primo, si fiat ex conscientia erronea arbitrante, peccatum esse mortale, quamvis re vera non sit. Secundo, si ordinetur ad aliquod mortale, exempli gratia, si quis verbum otiosum dicat, ut alium inducat ad peccandum mortaliter. Tertio, si in ipso peccato veniali, verbi gratia, amore inordinato alcujus rei, finis ultimus constituatur, quod fit, ut docet Toletus l.3. c.12. cum quis ita venialem aliquem actum exequitur, ut paratus esset, etiamsi mortalis esset, illum exequi. Quarto, si ex commissione deliberata alicujus peccati venialis sequatur aliquod grave scandalum, quod peccator secuturum prævidit, aut prævidere potuit, & debuit. Quinto denique, si transgressio aliqua, vel inobedientia ex se venialis committatur ex formali contemptu legis, vel Legislatoris.

Quæres, an ex pluribus peccatis venialibus conflari possit unum mortale. Respondetur cum S.Doct. qu.83.ar.4. id fieri non posse, alias inde sequeretur contra expressam Conc.Trid.doctrinam sess.14. c.5. nos per venialia peccata excludi posse a Gratia sanctificante.

6. Objicies, ex multis venialibus furtis posse constitui furtum mortale. E. g. ponamus furtum viginti assium esse quantitatem ad peccatum mortale sufficientem, si quis singulis diebus unum assem accipiat, prima, & secunda vice, aliisque sequentibus, peccabit solum venialiter, vigesima autem mortaliter peccabit.

Respondetur, furtum illud ultimum esse peccatum mortale, non quod ex illo, & aliis præcedentibus coalescat, & confletur mortale illud peccatum, sed quia in hoc ultimo furto continetur expressa, vel tacita volitio simul injuste retinendi hunc ultimum assem cum novemdecim præcedentibus, quæ quantitas cum ex hypothesi sufficiat ad mortale, hinc fit, ut ultimum furtum censeatur esse mortale.

Cæterum, quamvis peccata venialia quantumlibet unico peccato mortali æquiponderare nunquam possint, est tamen verissimum, quod docet S. Thomas art.3. venialia peccata, illa præsertim, quæ ex deliberata voluntate committuntur, eatenus disponere ad peccatum mortale, quatenus assuescit humana voluntas illa committendo Divinæ Legi in minoribus non subjici, unde paulatim ad ipsius Divinæ Legis jugum in majoribus, & gravioribus excutiendum propensior fit, juxta illud Eccli.19. *Qui spernit modica, paulatim decidet*. Quo sensu recte dixit S. August. serm. 244. de temp. *Noli despicere peccata tua, quia parva sunt. Nam & pluviarum guttæ parva flumina implent, & arbores cum suis radicibus tollunt. Tu, qui dicis, quia parvum peccatum est, velim scire quoties tale peccatum admittis, si tot parvulas plagas in corpore, & maculas, aut scissuras in vestibus tuis fieri velis? cum ergo nec in corpore plagas, nec in veste scissuras, vel maculas fieri acquiescas, qua conscientia hoc facere in anima tua non metuis?*

SECTIO IV.

Undenam specifica, vel numerica peccatorum distinctio petenda sit.

1. QUoniam in Conc. Trid. sess. 14. c. 5. & can. 7. definitum est, omnia, & singula peccata mortalia post Baptismum commissa, quorum memoria post diligentem sui discussionem haberi potest, esse in Confessione declaranda, simul etiam circunstantias, quæ peccatorum speciem mutant, ut pœnitens hoc præstare, vel illum ad id præstandum Confessarius juvare possit, necessarium est inquirere, undenam specifica, vel numerica peccatorum distinctio oriatur.

Atque in primis quod spectat ad specificam peccatorum distinctionem, dicendum est, illam præsertim ex objecto formali cujusque peccati desumendam esse, ut docet S. Thomas q. 72. art. 1. ita ut peccata illa spetie inter se distincta censeantur, quorum objecta formalia oppositionem habent cum perfectionibus moralibus specie diversis, quibus ipsa peccata privant. Cum enim peccatum formaliter consistat in privatione rectitudinis, seu perfectionis alicujus moralis, ut Sect. 1. dictum est; sequitur cujusque peccati formalem, & specificam ab altero distinctionem desumendam esse ex ratione specifica rectitudinis illius, & perfectionis, qua privat. Privationum enim specifica distinctio, ut docent Philosophi, non aliunde petitur, quam ex distinctione specifica formarum, quibus privant.

2. Hinc colliges 1. peccata illa esse inter se specie diversa, non modo quæ virtutibus specie diversis adversantur, sed etiam quæ eidem virtuti sub diversa tamen formali ratione repugnant. E. gr. perjurium, & voti prævaricatio specie inter se differunt, quia eidem virtuti Religionis, sub diversa tamen formali ratione, opponuntur, ut plenius intelligetur ex iis, quæ in explicatione primi, & secundi præcepti Decalogi dicenda sunt.

Colliges 2. circunstantias illas speciem peccati mutare, aut peccata specie distincta multiplicare, quæ novam, & specie distinctam deformitatem in actum peccati inducunt. Ex. gr. ille, qui vovit, se singulis diebus Veneris jejunaturum, si jejunium illud tempore Quadragesimæ infringat, duplex specie peccatum, licet numero unicum committit, quia in illius actu duplex deformitas specie distincta reperitur, una quidem contra obedientiam Ecclesiæ legibus debitam, altera vero contra virtutem Religionis, cujus est vota edere, ac edita fideliter adimplere. Ideoque circunstantia illa voti in Confessione declaranda est.

3. Quod spectat ad distinctionem numericam ipsorum peccatorum, dicendum est, tot esse numero distincta peccata, quot sunt actus voluntatis moraliter interrupti, & repetiti. Ita S. Thomas in 2. dist. 41. q. 1. art. 1. & post illũ Suarez part. 2. tract. 4. disp. 22. sect. 5. Navarr c. 6.

num.

num. 16. Azor. Tabiena, & alii. Cum enim voluntas sit principium actuum voluntariorum bonorum, & malorum, nec ullum sit peccatum, nisi in quantum ab ipsa voluntate deliberate procedit, hinc sequitur, peccatorum numerum in tantum multiplicari, in quantum ipsius voluntatis actus moraliter interrupti repetuntur.

Quæres, quandonam voluntatis actus censeantur moraliter interrumpi, ita ut per illorum repetitionem peccata numero multiplicentur. Respondetur, actus voluntatis tunc moraliter interrumpi, quoties nec formaliter, nec virtualiter perseverant. Unde qui proficiscitur ad furandum, vel occidendum inimicum, quamvis in via furandi, vel occidendi propositum sæpius repetat, non censetur nisi unum numero peccatum committere; secus vero, si hæc prior voluntas furandi somno interrumpatur, & postea renovetur, & repetatur, tunc enim aliud peccatum numero distinctum committitur, ut docent supra citati Auctores. Quod si numerus actuum illorum voluntatis interruptorum, & repetitorum tantus sit, ut illum definire moraliter impossibile sit; tunc satis erit in Confessione temporis moram declarare, eo modo, quo dictum est Tract. 1. hujus posterioris partis cap. 5. Sect. 14.

SECTIO V.

De peccatis commissionis, & omissionis, eorumque variis gradibus.

1. DOcet S. Thom. q. 72. art. *6.* & ante illum docuerat S. Aug. l. de perfectione justitiæ c. 11. peccatum omne duobus modis admitti, si nimirum aut illa fiant, quæ prohibentur, & hoc est peccatum commissionis, aut non fiant, quæ jubentur, & istud omissionis. Hæc est autem præcipua inter utrunque differentia, quod peccatum commissionis opponatur præcepto negativo, cujus est ea conditio, juxta doctrinam Sancti Tho. 1. 2. quæst. 33. art. 2. ut omni tempore obliget, peccatum vero omissionis opponatur præcepto affirmativo, quod nō omni, sed certo tantum, & determinato tempore obligat, ut plenius, & distinctius infra in explicatione Decalogi declarabitur.

Jam circa peccatum omissionis observandum est, illud incurri non solum, quando quis advertenter vult omittere id, ad quod faciendum obligatur, juxta illud S. Jacobi 4. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi*, sed etiam quando vult aliquid facere, ex quo secuturam esse omissionem advertit, aut advertere potest, & debet; quæ quidem actio, quatenus est causa peccati omissionis, est peccatum, nō tamen ab omissionis peccato distinctum, juxta probabiliorem sentētiā Theologorum, quam fuse probat Isambertus ad quæst. 71. disp. 3. a. 4. & 5 Unde sequitur, in Confessione satis esse, ut quis v. g. declaret, se die festo Missam omisisse, nec ulterius teneri ad explicandum, quænam actio illius omissionis causa fuerit, si actio illa ex se mala non sit.

2. Quod

2. Quod vero ſpectat ad peccatum commiſſionis, tres ſunt præcipui illius gradus. Aliud enim committitur corde, aliud ore, aliud opere, ut docet S. Thom. art. 7. & aperte conſtat ex Scriptura. S. Matth 15. *De corde exeunt cogitationes malæ*, &c. *quæ coinquinant hominem*. Pſ. 14. *Qui non egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum*. Rurſus peccata cordis, ſeu pure interna tribus præſertim modis committuntur, cogitatione ſcilicet, delectatione, & conſenſu in opus malum. Quod enim ſola cogitatione peccari poſſit, v. g. cum quis advertenter, & libere opinioni alicui ab Eccleſia proſcriptæ, & damnatæ adhæret, per ſe patet, juxta illud Sap. 1. *Perverſæ cogitationes ſeparant a Deo*. Quod item non modo conſenſus in opus aliquod malum, de quo nullus ambigit, ſed etiam ſola delectatio de ipſo opere malo, quam Theologi moroſam vocant, ſit peccatum, docet S. Thom. quæſt. 74. art. 8. & cum illo Theologi omnes, & olim expreſſe S. Auguſtinus l. 12. de Trinitate cap. 12. ubi ſic loquitur: *Totus homo damnabitur, niſi hæc, quæ ſine voluntate operandi, ſed cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata, per Mediatoris Gratiam remittantur*.

Ratio, qua S. Doctor id probat, hæc eſt, quod talis eſt delectatio, quale eſt ejus objectum; atqui quando quis delectatur de opere aliquo malo, prout malum eſt, objectum delectationis illius eſt malum; ergo delectatio illa erit mala, mortaliter quidem, ſi de re aliqua mortaliter mala delectetur, ut cum quis cogitat de fornicatione, & ratione advertente de illa ſic cogitata delectatur; venialiter autem, ſi res illa ſolum venialiter mala ſit, ut cum quis cogitat, & cogitando delectatur de re aliqua otioſa.

Ex quo ſequitur, quod ſi quis non de opere malo, ut malum eſt, ſed de aliqua illius circunſtantia, quæ per ſe mala non eſt, delectaretur, v. g. ſi cogitans de homicidio alicujus hominis, delectaretur, non quidem de morte illius, ſed de modo, quo mors ei illata eſt, ſeu de dexteritate homicidæ in homicidio perpetrando, non peccaret mortaliter, ut docet S. Thomas ſupra.

3. Eſt autem hic obſervandum, 1. ad hoc ut delectatio de re aliqua mala ſit peccatū mortale, duo requiri, quod recte docet, & probat Iſambertus ad quæſt. 74. diſp. 5. Primum eſt, ut homo advertat, non ſolum ſe de tali re delectari, ſed etiam delectationē illam malam eſſe, & illicitam; vel ſaltem id adverterit, quādo delectationi cauſam culpabiliter dedit. Secundum eſt, ut illam rationis advertentiā ſequatur conſenſus vel expreſſus, vel tacitus. Ut enim recte docet Sanctus Auguſtinus ſupra, illicitæ delectationes nō ſolum per conſenſum expreſſum admittendæ non ſunt, ſed etiam, *ut attigerunt animum, reſpui debent*. Unde ſecundum illius mentem peccat is non modo qui delectationi alicui de re mala poſitive, ſeu expreſſe conſentit, ſed etiam is, qui tacite, id eſt qui delectationem illam cum poſſit reprimere, negligit;

git; quod etiam docent Sanctus Antoninus, & plures alii, quos citat, & sequitur Vasquez disputatione 10. capite secundo.

4. Observandum 2. delectationes illas de opere aliquo malo, si conjungantur cum voluntate operis illius perpetrandi, ejusdem esse speciei cum ipsomet opere, si perpetraretur, juxta dictum Christi Domini S. Matth. cap 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*; proindeque in tali casu declarandas esse in Confessione circumstantias illas, quæ speciem peccati mutarent, si actu commissum fuisset: verbi gratia, an de simplici fornicatione, aut adulterio, &c. delectatus fuerit. Quod si nulla omnino subsit voluntas committendi tale peccatum, sed in solam delectationem feratur consensus, tunc probabile est, quod docent Vasquez, Azorius, & alii apud Laymannum lib. 3 tract. 3. c. 7. omnes ejusmodi delectationes ejusdem esse speciei, quando ex eodem, & simili motivo oriuntur; proindeque illum, qui sola cogitatione delectaretur turpiter, verbi gratia, de fornicatione, adulterio, &c. ex solo delectationis ejusmodi percipiendæ motivo, ac sine ullo consensu in actionem ipsius peccati, non teneri ad declarandas in Confessione circumstantias personarum, & alias similes, quæ peccati illius, si actu committeretur, speciem mutarent, sed satis esse, si tantummodo ipsum in turpem cogitationem consensum explicet.

SECTIO VI.

Quænam sint causæ peccatorum.

1. Certum est, causam primam, & præcipuam peccati esse voluntatem, quæ a Divinæ Legis regula libere deficit. Ut enim recte dixit S. August. l. de duab. anim. cont. Manich. cap. 11. *Peccatum sine voluntate esse non posse, omnis mens apud se divinitus conscriptum legit*. Sed præter ipsam voluntatem sunt etiam aliæ quædam causæ ad peccatum moventes, & inducentes, tum externæ, tum internæ; de quibus quæritur, quænam illæ sint. Pro cujus quæstionis resolutione

Dicendum 1. duas esse causas externas ad peccatum moventes, & inducentes, Diabolum scilicet, & mundum. Atque in primis, quod Diabolus per suggestiones suas, & tentationes ad peccandũ moveat, & inducat, ex Scriptura manifestũ est. Sap. 2. *Invidia Diaboli mors intravit in orbem terrarum*. 1. S. Petr. 5 *Adversarius vester Diabolus tanquã leo rugiens circuit quærens quẽ devoret.* Ex qua tamen Diaboli tentatione nulla sequitur in volũtate peccandi necessitas; sed remanet semper libertas, & potestas illi resistendi, ut docet S. Thom. q. 75. ar. 3. juxta illud S. Jacobi 4. *Resistite Diabolo, & fugiet a vobis*.

Quod spectat ad mundum, si illius nomine juxta mentem S. Augustini in Ps. 54. intelligamus homines impios, & iniquos, certum est,

et-

etiam illos sive pravo exemplo, sive suasionibus nefariis aliquando ad peccandum alios inducere. Eccli. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicaverit superbo, induet superbiam.*

2. Dicendum 2. repudiandam, imo execrandam esse blasphemiam Calvinistarum dicentium, Deum esse causam, & auctorem peccati. Præter ea, quę contra hanc impietatem diximus in priori hujus Operis parte tract. 2. c. 4. Sect. 2. illam denuo refellimus ex Scriptura. Ps. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* S. Jacobi 1. *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat:* item ex S. Basilio, qui hanc hæresim refutavit homilia integra, cui titulus est: *Quod Deus non sit auctor malorum*, ubi probat, æque impium esse dicere Deum esse auctorem peccati, ac Deum non esse.

Objiciunt 1. Hæretici illud Ephes. 1. *Deum operari omnia secundum consilium voluntatis suæ*, ergo etiam peccata.

Respondet S. Hieronymus super illum locum, id intelligendum esse: *Non quod omnia, quæ in mundo fiunt, Dei voluntate, & consilio peragantur, alioquin & mala Deo possent imputari, sed quod universa, quæ facit, consilio faciat, & voluntate.*

Objiciunt 2. in pluribus Scripturæ locis dici, Deum peccatores indurare, excæcare, &c.

Respondet S. August. l. 1. ad Simplic. Deum indurare, & excæcare, *non impertiendo malitiam, sed non impertiendo Gratiam*, specialem scilicet, & efficacem, ut constat ex dictis in tract. de Gratia.

Objiciunt 3. Scripturam variis in locis affirmare, quædam peccata committi ex Dei voluntate, ordinatione, præcepto, &c.

Respond. his, & similibus loquendi modis solummodo intelligi, Deum permittere peccata, & pravis impiorum voluntatibus tanquã instrumentis uti ad exercendos Justos, vel ad infligendas pęnas, quas ab æterno infligere decrevit. Ita enim S. August. & plures alii SS. Patres, quos fuse citat Bellarminus, loca illa Scripturę interpretãtur.

3. Objiciunt 4. Deum positive concurrere ad actum peccati simul cum peccatore; unde sequitur simul cum eo esse causam illius.

Respondetur, Deum positive concurrere ad actum, non vero ad ipsius actus defectum, seu ad privationem rectitudinis, quæ in ipso actu reperitur, in quã sola privatione consistit ratio formalis ipsius peccati, ut ex ante dictis constat; ac proinde licet sit causa ipsius actus, non esse tamen causam defectus, qui in illo reperitur: sicut facultas motrix est quidem causa ambulationis, non vero claudicationis, quæ ex solo tibiæ defectu provenit. Unde S. Thomas quæst. 79. art. 2. dicit, peccatum tribuendum esse causæ non efficienti, sed deficienti, qualis est solus homo peccans.

4. Quod spectat ad internas causas peccati, tres a Theologis communiter numerantur, scilic. ex parte appetitus inferioris, infirmitas, seu passio, ex parte vero appetitus superioris, seu volũtatis, malitia, ex par-

parte denique intellectus, ignorantia. Ita S.Doctor qu. 76.77. & 78. De duabus prioribus hic aliquid dicemus, de tertia, de qua graviores aliquot difficultates occurrunt, in sequenti Sectione agemus.

Ac in primis, quod peccatum aliquando causetur ex motibus, & passionibus appetitus inferioris, testatur Scriptura. Dan.13. *Concupiscentia subvertit cor tuum*. Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.*

Causatur autem peccatum ab ipsa concupiscentia, seu passione appetitus sensitivi duobus præsertim modis, ut docet S. Th. q. 77. primo in quantum divertit ipsius rationis advertentiam, secundo, in quantum voluntatem ipsam allicit, facitque, ut objectum magis conveniens, & appetibile videatur. Utrunque modum expressit S. Jacobus, cum dixit cap. 1. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus*. Et tale peccatum, quod ex passione oritur, dicitur etiam ex infirmitate procedere, eo quod passiones, ut asserit S. Doctor a.3. sint quædam veluti animæ ægritudines, & infirmitates. Quæ quidem duplici modo, ut idem docet art.6. se habere possunt. Primo antecedenter ad ipsum rationis judicium, cum scilicet homo, antequam attendat ad malitiam actus sui, passione aliqua præoccupatur, & tunc, si adeo vehemens illa sit, ut ipsius rationis judicium prorsus obnubilet, ita ut homo ad malitiam sui actus propter vehementiam passionis attendere non possit, nullum erit peccatum, cum nulla sit rationis deliberatio, sine qua consensus liber esse non potest. Unde S.Aug. Ep.100. *Quamvis insint* (inquit) *dum sumus in corpore mortis hujus, desideria peccati, si nulli eorum adhiberemus assensum, nõ esset, unde diceremus Patri nostro, qui est in cælis, Dimitte nobis debita nostra.* & lib.de Civ. Dei c.25. *Illa concupiscentiæ inobedientia quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absq; culpa est in corpore dormientis?* Si vero passio non tollat judicium rationis, sed illud tantum ex parte distrahat, aut impediat, ita ut ratio sufficienter advertat malitiam ipsius actus, tunc non excusat a peccato, illius tamen gravitatem minuit. Unde S. Aug. l. 14. de Civ. c. 2. asserit, peccatum primorum Parentum ideo gravius fuisse, *quia nondum voluntati cupiditas resistebat*, quasi diceret, peccatum illud futurum fuisse minus grave, si ex antecedenti cupiditate commissum fuisset.

Secundo passiones habere se possunt consequenter, idest quando homo deliberate se ipsum ad malum aliquod excitat, unde sequitur passio aliqua in appetitu inferiori. Tunc enim passio illa neque excusat a peccato, neque illius gravitatem minuit, sed potius auget, ut asserit S.Th. supra, estque signum maximæ propensionis, quæ est in ipsa voluntate, ad actum peccati perpetrandum.

Jam quod peccatum causetur etiam ab ipsa malitia, seu pravitate voluntatis, ita ut homo aliquando ex certa, & deliberata malitia peccet, constat ex Scriptura. Job. 34. *Quasi de industria recesserunt a Deo,*

a Deo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt. Docet autem S Th. qu. 78. art.7. peccatum illud, quod ex certa, & deliberata malitia committitur, illo gravius esse, quod oritur ex infirmitate, & passione, quia scilicet ex majore voluntatis libertate procedit.

SECTIO VII.

Qua ratione ignorantia sit causa peccati, vel ab illo excuset.

1. UT quæstioni propositæ satisfiat, supponimus ex communi Theologorum doctrina, ignorantiam aliam esse juris, aliam facti. Ignorantia juris est, cum ignoratur, legem vel consuetudinem vim legis obtinentem aliquid præcipere, vel prohibere: v. g. si quis nesciat, legem Ecclesiasticam prohibere carnium comestionem die Veneris. Ignorantia facti est, cum ignoratur res aliqua particularis, quæ præcepta, vel prohibita est,& ex qua velut ex objecto dependet actio aliqua moralis, v. g. si quis nesciat, carnem esse, quam comedit, vel non advertat, esse diem Veneris. Ut enim recte monet Isambertus ad qu. 76. disp. unic. art. 9. ea, quæ de ignorantia dicuntur, de inadvertentia quoque, & oblivione intelligi debent.

Rursus alia est ignorantia antecedens, alia concomitans, alia subsequens. Ignorantia antecedens ea est, quæ nec directe, nec indirecte voluntaria est, ideoque antecedens appellatur, quia omnem voluntatis actum antecedit. Et eadem dicitur invincibilis, & probabilis, seu justa: invincibilis, quando nulla diligentia vinci potuit, probabilis vero, seu justa, quando etsi absolute loquendo, omni adhibita diligentia, quæ adhiberi potest, vinci potuerit, non tamen debuit, quia nulla fuit obligatio adhibendi majorem diligentiam ea, quæ adhibita est, cum qua tamen superari non potuit, ideoque dicitur moraliter invincibilis.

2. Ignorantia concomitans est, quando ignoratur aliquid, quod tamen si sciretur, nihilominus ageretur, ut quando quis existimans, se occidere feram, inimicum occidit, ita dispositus tamen, ut, si inin. um esse cognovisset, nihilominus occidisset.

Ignorantia denique consequens ea est, quæ aliquo modo voluntaria est,& voluntatem directe, vel indirecte consequitur. Quæ etiam dicitur vincibilis, quia, diligentia aliqua adhibita, vinci potuit, ac debuit. Dividiturque in affectatam, & in eam, quæ affectata non est. Affectata est directe volita, v. g. cum quis expresse vult aliquid ignorare, ut liberius peccet. Ea vero, quæ non est affectata, indirecte tantum volita est, v. g. quando quis refugit laborem alicujus studii, unde ignorantia rei alicujus sequitur. Hac distinctione supposita,

Dicendum 1. ignorantiam aliquando esse causam peccati. Id patet ex Scriptura. Act. 3. *Scio, fratres, quia per ignorantiam fecistis*. 1.Tim.1. *Ignorans feci in incredulitate*. Quod etiam docet S.Th.q 76. art.

art. 1. ubi docet, non quamlibet ignorantiam esse causam peccati, sed illam tantummodo, quæ vincibilis est, & nihilominus tollit notitiam aliquam, quæ si adesset, factum peccati prohiberet, juxta quod dicit Apostolus loquens de Judæis, 1. Corinth. 2. *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*.

Dicendum 2. ignorantiam vincibilem non solum esse causam peccati, sed etiam esse peccatum, ratione negligentiæ adjunctæ, qua quis negligit ea scire, quæ scire tenetur, & potest. Ita S. Doctor a. 2. Et constat ex Script. Ps. 24. *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris*, &c. & ex S. Aug. l. 1. de lib. arb. c. 19. *Non tibi imputatur ad culpã, quòd invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras*.

3. Dicendum 3. ignorantiam antecedentem, seu invincibilem tam juris, quam facti omnino a peccato excusare. Ita S. Th. art. 1. & cum illo communiter omnes. Et probatur primo ex his Christi Domini verbis S. Jo. 15. *Si non venissem, & eis locutus non fuissem, peccatum non haberent*. Super quæ verba S. Aug. tract. 89. in S. Jo. dicit: *Illos, ad quos Christus non venit, & quibus non est locutus, excusationem habere, non de omni peccato suo, sed de peccato illo, quo in Christum non crediderint*. Et S. Bernard. Epist. 77. ad Hugonem de Sancto Victore eadem Christi verba explicans: *Si*, inquit, *locutus fuisset, sed non eis, inobedientiæ culpam ignorantia excusaret*.

Probatur 2. hac ratione: Ignorantia illa a peccato excusat, quæ ab actione peccati, quatenus talis est, tollit rationem voluntarii, peccatum enim nullum est, quin sit voluntarium: atqui ignorantia antecedens tollit rationem voluntarii ab actione peccati, redditque illam simpliciter involuntariam, ut docet S. Th. 1. 2. qu. 9. art. 8. & cum illo Theologi omnes; ergo a peccato excusat.

Dicendum 4. ignorantiam concomitantem, quando invincibilis est, a peccato excusare. Ita Isambertus ad quæst. 76. disp. unic. a. 8. & plures alii, quos ibidem citat. Ratio est, quia ignorantia illa, ut docet S. Th. cit. art. 8. etsi non facit actum involuntarium, facit tamen non voluntarium; & sic in ejusmodi actu non reperitur ratio voluntarii, sine qua peccatum nullum esse potest.

Dicendum 5. ignorantiam consequentem, sive affectatam, sive minime affectatam, nunquam excusare a peccato opus malum, quod ex illa fit, quia scilicet non impedit, quin tale opus sit voluntarium. Hæc est tamen inter utranque differentia, quod ignorantia illa, quæ non est affectata, minuit peccatum, quia minus voluntarium reddit, ea vero, quæ affectata est, peccatum non minuit, sed potius auget, ut observat S. Doctor qu. 76. art. 4.

4. Quæres, an possit esse ignorantia aliqua invincibilis juris naturalis. Respondetur 1. universalissima ipsius juris naturalis principia a quovis homine adulto neque invincibiliter, neque vincibiliter ignorari posse, cujusmodi sunt hæc, *Bonum esse faciendum, malum fugien-*

giendum; nemini injuriam esse inferendam. Ita S. Th. q.94. a.6. Sunt enim hæ universales, & per se notæ humanarum actionum regulæ, unicuique hominum naturaliter insitæ. Unde S. August. l.2. de lib. arb. c.10. *Juste*, inquit, *esse vivendum*, *propria suis quibusque esse reddenda*, &c. *nonne fateberis esse verissimum*, *& tam mihi*, *quam tibi*, *atque omnibus id videntibus præsto esse communiter?*

Respondetur 2. juris naturalis, quoad alia quædam principia minus universalia, ignorantiam invincibilem esse posse in quibusdam hominibus, etiam toto vitæ tempore. Manifestum est enim, multa esse juri naturali repugnantia, quæ non solum ab indoctis, & rudibus, sed etiam a doctis, & ingenii acumine præcellentibus viris talia esse ignorantur. Nam & Cassianus olim, aliique sancti viri, ut in ejus Collationibus habetur, existimaverunt, mendacium aliquando esse licitum ad bonum aliquod promovendum, aut malum impediendum: multique nunc etiam doctissimi viri, & in Theologia versatissimi dissentiunt inter se de re aliqua ad jus naturæ pertinente, v.g. de contractu aliquo, utrum sit usurarius, aut alias injustus, necne, abeuntque in partes contradictorie oppositas, aliis negantibus, aliis e contrario affirmantibus, unde sequitur, quosdam illorum ignorantia aliqua invincibili juris naturalis laborare.

SECTIO VIII.

Quinam sint effectus peccati.

1. TRes præcipui communiter a Theologis numerantur. Primus est, quod lædat hominis naturam, ejusque bonum imminuat. Ita S. Th. q.85. a.1. & 2. Ubi docet, bonum naturæ in homine triplex esse. Primum bonum consistit in iis, quæ ad ipsius naturæ humanæ essentiam spectant, ut sunt principia, quibus ipsa natura constituitur, & proprietas, quæ ab illis oritur; ut sunt esse rationale, esse liberum, &c. Secundum bonum est inclinatio illa, & propensio, quam homo ex natura sua, quatenus rationalis est, habet ad virtutem. Tertium denique bonum est donum originalis justitiæ, quod in persona primi hominis universæ humanæ naturæ collatum fuit, & eo sensu bonum ipsius naturæ vocatur. Ex his autem tribus naturæ bonis, docet S. Doctor, primum nec tolli, nec minui per ullum peccatum, tertium per peccatum originale penitus ablatum fuisse, secundum vero, inclinationem scilicet illam naturæ humanæ ad virtutem, imminui quidem per peccatum, cum ejus actus virtuti opponatur, nunquam tamen penitus auferri.

2. Secundus effectus peccati est macula quædam, & deformitas, quã anima per peccatum contrahit, & quę transacto ipsius peccati actu in ea remanet. Ita S.Th. qu. 86. art.1. & 2. & constat ex Scriptura. Josue 22. *Peccastis in Beelphegor, & usq; in præsentem diem macula hujus sce-*

sceleris in vobis permanet. Jerem. 2. *Maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus*, item ex aliis Scripturæ locis, in quibus peccatores dicuntur inquinati, immundi, &c.

Hæc autem peccati macula, secundum probabiliorem Theologorum sententiam, nihil est aliud, quam ipsamet peccati malitia, quatenus, etiam transacto actu peccati, censetur durare, ac perseverare, quandiu per pœnitentiam non deletur; quæ quidem macula vocatur etiam peccatum habituale, eo quod veluti habitualiter post peccatum actu commissum remaneat in anima.

3. Est tamen hic observandũ, peccatum illud habituale distinguendũ esse a vitioso habitu, seu a prava illa inclinatione, & propensione, quæ per repetitos peccati actus ingeneratur in anima, in eaq; remanet, etiam postquam ipsa peccati macula per Gratiæ infusionẽ deleta est, nec nisi per contrarios, & sæpe repetitos virtutis actus tollitur.

Tertius denique peccati effectus est reatus pœnæ. Certũ est enim, pœnam aliquam peccatis hominum divinitus esse decretam. S. Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis*. Rom. 2. *Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum*. Hæc autem pœna, cum juste a Deo decernatur, supponit, peccatorem illa dignum esse, illiusque reatum per peccatum incurrere.

Porro circa hunc tertium peccati effectum observandum est, non omnem pœnam esse propter aliquod peccatum, cum constet quasdam interdum hujus vitæ pœnalitates justis, & sanctis a Deo infligi, non in punitionem peccatorum, sed ad probationem, & exercitamentum virtutis, quod de Sanctissima Virgine Deipara nullus negare potest, & de plurimis aliis Sanctis pietas facile suadebit.

Observandum 2. quod quamvis peccatum per se, & formaliter consideratum non possit esse pœna alterius peccati, ut docet S. Th. q. 87. potest tamen esse per accidens, eo modo, quem ibidem explicat, ratione scilicet subtractionis Gratiarum aliquarũ actualium, quarum auxilio Deus interdum peccatorem privat in punitionem præcedentis peccati, unde sequitur lapsus in aliud peccatum.

4. Quæres, quanta pœna cuique peccato actuali divinitus decreta sit. Respondetur cum distinctione. Si enim id quæratur de peccato mortali, certum est ex Fide, pœnam æternam sive damni, sive sensus unicuique peccato mortali esse constitutam. De pœna damni, quæ consistit in privatione visionis beatificæ, constat ex S. Matth. 8. ubi dicitur, quod reprobi *ejicientur in tenebras exteriores*: de pœna vero sensus ex eodem S. Matth. c. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*. Cum autem dicitur pœna æterna cuique peccato mortali constituta, id intelligendum est, ut recte docet Isambertus ad qu. 87. disp. 2. a. 3. non solum de perpetuitate ipsarum pœnarum quantum ad durationem, sed etiam de earum pœnarum immutabilitate, ita ut nullam earum imminutionem, nullumve in suppliciis solatium unquam

experturi sint damnati. Unde etiam Isa. ult. dicitur, quod *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.*

5. Quam vero juste Deus ob unicum peccatum mortale, quod aliquando brevissimum, & quasi momentaneum est, pœnam æternam decreverit, jam a nobis dictum est 1.p. tr.4.c 3.Sect. 4. Quod insuper etiam hac ratione demonstrari potest; quia scil. actio peccati, quamvis secundum se spectata brevissimo tempore duret, nihilominus secundum affectum peccati quasi in totam æternitatem protenditur. Qui enim, ut recte dicit S. Doct. l.3. cont. gent. c. 144. propter fruitionem temporalem boni alicujus temporalis relinquit æternam summi, & æterni boni fruitionem, quod facit, quicunque mortaliter peccat, recte, ac juste censetur bono illo temporali in æternum frui velle; proindeque peccatum suum, quod in boni illius temporalis inordinata fruitione consistit, in totam æternitatem velle prorogare. Ex quo fit, ut, cum illud peccatum sit in affectu æternum, justo Dei judicio pœna æterna dignum censeatur.

Si vero quæstio intelligatur de peccato veniali, certum est ex Fide, peccata venialia in omnibus justis, sive in hac vita, sive in futura, non esse punienda pœna æterna, sed solummodo temporali, sicut ex eadē Fide certum est, homines justos in accepta justitia usque ad mortem perseverantes æterna beatitudine in æternum non esse privandos.

Est tamen difficultas de peccatis illis venialibus, cum quibus peccatores, & reprobi ex hac vita decedunt. Sotus enim in 4. dist. 11. & quidam alii Theologi existimant, pœnam illis venialibus peccatis debitam futuram esse tantummodo temporalem. Probabilius tamen alii cum S. Doct. q. 87. a. 2. ad 3. asserunt, pœnam illam fore æternam, non tam ratione gravitatis, quam irremissibilitatis ipsius peccati venialis, cum in Inferno nullus neque remissioni, neque redemptioni locus sit.

DIGRESSIO

De loco Inferni, & damnatorum suppliciis.

1. CUm inter cæteros effectus peccati acerbissimus, & maxime formidandus sit æternæ pœnæ reatus, ut hæc illius acerbitas melius perspiciatur, non erit abs re de loco, & qualitate pœnarum illatum æternarum hic paucis agere, ac quid de illis secundum Fidei Catholicæ regulam sentiendum sit, declarare.

Dicendum igitur 1. Infernum, seu carcerem damnatorum pœnis deputatum, esse locum aliquem realem, & corporeum in ipsis terræ visceribus situm. Ita S. Thom. 1. 2. qu. 87. art. 7.

Hæc veritas constat ex Script. Num. 16. *Dirupta est terra sub pedibus eorum*, &c. *descenderunt vivi in Infernum operti humo*. Job. 10. Infernus vocatur *terra tenebrosa, & operta mortis caligine.*

Constat etiā eadē veritas ex antiquis Patribus, qui id asseruerunt, ut

ut Tertull. l. de anim. c. 55. *Nobis*, inquit, *Inferi, non nuda cavositas, nec subdivalis aliqua mundi sentina creduntur, sed in fossa terræ. & in alto vastitas, & in ipsis visceribus ejus abstrusa profunditas.* S. Athanasius in quæstionibus, *Peccatorum*, inquit, *animæ in Inferno positæ sunt subter omnem terram, & mare, ut Psalmista dicit: Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in umbra mortis.* Et S. Cyrillus Alex. de exitu animæ, *Tunc*, inquit, *animam invadunt Dæmones, eamque in terrarum opaca deducunt, & solidissimis compedibus revinctam in infimas infernorum carcerum partes, ac Erebi custodias dejiciunt.*

2. Porro quantæ; & quam amplæ regiones, quam vasti recessus in ipsius terræ sinu reperiantur, ex Cosmographorum demonstrationibus satis aperte dignosci potest, cum secundum communem, & probabiliorem illorum sententiam, ab extima terræ superficie ad illius centrum mille, ac quingentæ, & amplius leucæ numerentur, quæ totius ambitus illius semidiametrum efficiunt. Unde secundum Arithmeticorum numerorum rationem colligitur, immensa prope esse spatia quaquaversum in terræ visceribus protensa, in quibus proinde varia receptacula, eaque amplissima constitui possunt, sive pro Justis ad tempus determinatum purgandis, sive pro Reprobis in æternum puniendis, sive pro Limbo puerorum ex hac vita cum solo originali peccato decedentium.

Dicendū 2. ignem verum corporeum in Inferno reperiri, eoq; tum corpora, tum animas ipsorum reproborum in æternum cruciari. Ita S.Th. in supp. p. 97. ar. 5. & constat ex Script. Isa. 33. *Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cū ardoribus sempiternis?* & Apoc. 21. vocatur Infernus *stagnum ardens igne, & sulphure.* Idipsum docent SS. Patres, ut Cyprianus serm. de Ascensione Christi: *Immortales*, inquit, *miseri vivent inter incendia, & inconsumptibiles flammæ nudum corpus allambent, ardebit purpuratus Dives, non erit qui æstuanti linguæ stillam aquæ infundat, in proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur.* S. Gregorius Magnus lib. 4. dialog. cap. 28. *Sicut*, inquit, *electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat.*

3. Dicendum 3. præter ipsius ignis sensibile tormentum, plures alias varias pœnas ipsis damnatis infligi. Ps. 10. *Ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Job. 24. *Ad nimium calorem transibit ab aquis nivium*, id est (ut explicat Hugo Cardinalis) impii in Inferno de pœna in pœnam transibunt. Apoc. 18. *In una die venient plagæ ejus, mors, & luctus, fames, &c.*

Idipsum quoque affirmant SS. Patres, ut S. Basil. in Psalm. 33. ubi dicit, in Inferno post Judiciū ultimum fore *vermium innumerabilium genus venenosum, ac carnivorum, edens quidem semper, nec tamen se*

2. Quod vero spectat ad peccatum commissionis, tres sunt præcipui illius gradus. Aliud enim committitur corde, aliud ore, aliud opere, ut docet S. Thom. art. 7. & aperte constat ex Scriptura. S. Matth 15. *De corde exeunt cogitationes malæ*, &c. *quæ coinquinant hominem.* Ps. 14. *Qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum.* Rursus peccata cordis, seu pure interna tribus præsertim modis committuntur, cogitatione scilicet, delectatione, & consensu in opus malum. Quod enim sola cogitatione peccari possit, v.g. cum quis advertenter, & libere opinioni alicui ab Ecclesia proscriptæ, & damnatæ adhæret, per se patet, juxta illud Sap. 1. *Perversæ cogitationes separant a Deo.* Quod item non modo consensus in opus aliquod malum, de quo nullus ambigit, sed etiam sola delectatio de ipso opere malo, quam Theologi morosam vocant, sit peccatum, docet S. Thom. quæst. 74. art. 8. & cum illo Theologi omnes, & olim expresse S. Augustinus l. 12. de Trinitate cap. 12. ubi sic loquitur: *Totus homo damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris Gratiam remittantur.*

Ratio, qua S. Doctor id probat, hæc est, quod talis est delectatio, quale est ejus objectum; atqui quando quis delectatur de opere aliquo malo, prout malum est, objectum delectationis illius est malum; ergo delectatio illa erit mala, mortaliter quidem, si de re aliqua mortaliter mala delectetur, ut cum quis cogitat de fornicatione, & ratione advertente de illa sic cogitata delectatur; venialiter autem, si res illa solum venialiter mala sit, ut cum quis cogitat, & cogitando delectatur de re aliqua otiosa.

Ex quo sequitur, quod si quis non de opere malo, ut malum est, sed de aliqua illius circumstantia, quæ per se mala non est, delectaretur, v.g. si cogitans de homicidio alicujus hominis, delectaretur, non quidem de morte illius, sed de modo, quo mors ei illata est, seu de dexteritate homicidæ in homicidio perpetrando, non peccaret mortaliter, ut docet S. Thomas supra.

3. Est autem hic observandum, 1. ad hoc ut delectatio de re aliqua mala sit peccatū mortale, duo requiri, quod recte docet, & probat Isambertus ad quæst. 74. disp. 5. Primum est, ut homo advertat, non solum se de tali re delectari, sed etiam delectationē illam malam esse, & illicitam; vel saltem id adverterit, quādo delectationi causam culpabiliter dedit. Secundum est, ut illam rationis advertentiā sequatur consensus vel expressus, vel tacitus. Ut enim recte docet Sanctus Augustinus supra, illicitæ delectationes nō solum per consensum expressum admittendæ non sunt, sed etiam, *ut attigerunt animum, respui debent.* Unde secundum illius mentem peccat is non modo qui delectationi alicui de re mala positive, seu expresse consentit, sed etiam is, qui tacite, id est qui delectationem illam cum possit reprimere, negligit;

git; quod etiam docent Sanctus Antoninus, & plures alii, quos citat, & sequitur Vasquez disputatione 10. capite secundo.

4. Observandum 2. delectationes illas de opere aliquo malo, si conjungantur cum voluntate operis illius perpetrandi, ejusdem esse speciei cum ipsomet opere, si perpetraretur, juxta dictum Christi Domini S. Matth. cap 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*; proindeque in tali casu declarandas esse in Confessione circumstantias illas, quæ speciem peccati mutarent, si actu commissum fuisset: verbi gratia, an de simplici fornicatione, aut adulterio, &c. delectatus fuerit. Quod si nulla omnino subsit voluntas committendi tale peccatum, sed in solam delectationem feratur consensus, tunc probabile est, quod docent Vasquez, Azorius, & alii apud Laymannum lib. 3 tract. 3. c. 7. omnes ejusmodi delectationes ejusdem esse speciei, quando ex eodem, & simili motivo oriuntur; proindeque illum, qui sola cogitatione delectaretur turpiter, verbi gratia, de fornicatione, adulterio, &c. ex solo delectationis ejusmodi percipiendæ motivo, ac sine ullo consensu in actionem ipsius peccati, non teneri ad declarandas in Confessione circumstantias personarum, & alias similes, quæ peccati illius, si actu committeretur, speciem mutarent, sed satis esse, si tantummodo ipsum in turpem cogitationem consensum explicet.

SECTIO VI.

Quænam sint causæ peccatorum.

1. Certum est, causam primam, & præcipuam peccati esse voluntatem, quæ a Divinæ Legis regula libere deflectit. Ut enim recte dixit S. August. l. de duab. anim. cont. Manich. cap. 11. *Peccatum sine voluntate esse non posse, omnis mens apud se divinitus conscriptum legit*. Sed præter ipsam voluntatem sunt etiam aliæ quædam causæ ad peccatum moventes, & inducentes, tum externæ, tum internæ; de quibus quæritur, quænam illæ sint. Pro cujus quæstionis resolutione

Dicendum 1. duas esse causas externas ad peccatum moventes, & inducentes, Diabolum scilicet, & mundum. Atque in primis, quod Diabolus per suggestiones suas, & tentationes ad peccandū moveat, & inducat, ex Scriptura manifestū est. Sap. 2. *Invidia Diaboli mors intravit in orbem terrarum*. 1. S. Petr. 5 *Adversarius vester Diabolus tanquā leo rugiens circuit quærens quē devoret*. Ex qua tamen Diaboli tentatione nulla sequitur in volūtate peccandi necessitas; sed remanet semper libertas, & potestas illi resistendi, ut docet S. Thom. q. 75. ar. 3. juxta illud S. Jacobi 4. *Resistite Diabolo, & fugiet a vobis*.

Quod spectat ad mundum, si illius nomine juxta mentem S. Augustini in Ps. 54. intelligamus homines impios, & iniquos, certum est, et-

etiam illos sive pravo exemplo, sive suasionibus nefariis aliquando ad peccandum alios inducere. Eccli. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicaverit superbo, induet superbiam.*

2. Dicendum 2. repudiandam, imo execrandam esse blasphemiam Calvinistarum dicentium, Deum esse causam, & auctorem peccati. Præter ea, quę contra hanc impietatem diximus in priori hujus Operis parte tract.2. c.4. Sect.2. illam denuo refellimus ex Scriptura. Ps. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* S. Jacobi 1. *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat:* item ex S. Basilio, qui hanc hæresim refutavit homilia integra, cui titulus est: *Quod Deus non sit auctor malorum*, ubi probat, æque impium esse dicere Deum esse auctorem peccati, ac Deum non esse.

Objiciunt 1. Hæretici illud Ephes. 1. *Deum operari omnia secundum consilium voluntatis suæ*, ergo etiam peccata.

Respondet S. Hieronymus super illum locum, id intelligendum esse: *Non quod omnia, quæ in mundo fiunt, Dei voluntate, & consilio peragantur, alioquin & mala Deo possent imputari, sed quod universa, quæ facit, consilio faciat, & voluntate.*

Objiciunt 2. in pluribus Scripturæ locis dici, Deum peccatores indurare, excæcare, &c.

Respondet S. August. l. 1. ad Simplic. Deum indurare, & excæcare, *non impertiendo malitiam, sed non impertiendo Gratiam*, specialem scilicet, & efficacem, ut constat ex dictis in tract. de Gratia.

Objiciunt 3. Scripturam variis in locis affirmare, quædam peccata committi ex Dei voluntate, ordinatione, præcepto, &c.

Respond. his, & similibus loquendi modis solummodo intelligi, Deum permittere peccata, & pravis impiorum voluntatibus tanquã instrumentis uti ad exercendos Justos, vel ad infligendas pęnas, quas ab æterno infligere decrevit. Ita enim S. August. & plures alii SS. Patres, quos fuse citat Bellarminus, loca illa Scripturę interpretãtur.

3. Objiciunt 4. Deum positive concurrere ad actum peccati simul cum peccatore; unde sequitur simul cum eo esse causam illius.

Respondetur, Deum positive concurrere ad actum, non vero ad ipsius actus defectum, seu ad privationem rectitudinis, quæ in ipso actu reperitur, in qua sola privatione consistit ratio formalis ipsius peccati, ut ex ante dictis constat; ac proinde licet sit causa ipsius actus, non esse tamen causam defectus, qui in illo reperitur: sicut facultas motrix est quidem causa ambulationis, non vero claudicationis, quæ ex solo tibiæ defectu provenit. Unde S. Thomas quæst. 79. art. 2. dicit, peccatum tribuendum esse causæ non efficienti, sed deficienti, qualis est solus homo peccans.

4. Quod spectat ad internas causas peccati, tres a Theologis communiter numerantur, scilic. ex parte appetitus inferioris, infirmitas, seu passio, ex parte vero appetitus superioris, seu volũtatis, malitia, ex par-

parte denique intellectus, ignorantia. Ita S. Doctor qu. 76. 77. & 78. De duabus prioribus hic aliquid dicemus, de tertia, de qua graviores aliquot difficultates occurrunt, in sequenti Sectione agemus.

Ac in primis, quod peccatum aliquando causetur ex motibus, & passionibus appetitus inferioris, testatur Scriptura. Dan. 13. *Concupiscentia subvertit cor tuum*. Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.*

Causatur autem peccatum ab ipsa concupiscentia, seu passione appetitus sensitivi duobus præsertim modis, ut docet S. Th. q. 77. primo in quantum divertit ipsius rationis advertentiam, secundo, in quantum voluntatem ipsam allicit, facitque, ut objectum magis conveniens, & appetibile videatur. Utrunque modum expressit S. Jacobus, cum dixit cap. 1. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus*. Et tale peccatum, quod ex passione oritur, dicitur etiam ex infirmitate procedere, eo quod passiones, ut asserit S. Doctor a. 3. sint quædam veluti animæ ægritudines, & infirmitates. Quæ quidem duplici modo, ut idem docet art. 6. se habere possunt. Primo antecedenter ad ipsum rationis judicium, cum scilicet homo, antequam attendat ad malitiam actus sui, passione aliqua præoccupatur, & tunc, si adeo vehemens illa sit, ut ipsius rationis judicium prorsus obnubilet, ita ut homo ad malitiam sui actus propter vehementiam passionis attendere non possit, nullum erit peccatum, cum nulla sit rationis deliberatio, sine qua consensus liber esse non potest. Unde S. Aug. Ep. 100. *Quamvis insint* (inquit) *dum sumus in corpore mortis hujus, desideria peccati, si nulli eorum adhiberemus assensum, nō esset, ūde diceremus Patri nostro, qui est in cœlis, Dimitte nobis debita nostra.* & lib. de Civ. Dei c. 25. *Illa concupiscentiæ inobedientia quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absq; culpa est in corpore dormientis?* Si vero passio non tollat judicium rationis, sed illud tantum ex parte distrahat, aut impediat, ita ut ratio sufficienter advertat malitiam ipsius actus, tunc non excusat a peccato, illius tamen gravitatem minuit. Unde S. Aug. l. 14. de Civ. c. 2. asserit, peccatum primorum Parentum ideo gravius fuisse, *quia nondum voluntati cupiditas resistebat*, quasi diceret, peccatum illud futurum fuisse minus grave, si ex antecedenti cupiditate commissum fuisset.

Secundo passiones habere se possunt consequenter, idest quando homo deliberate se ipsum ad malum aliquod excitat, unde sequitur passio aliqua in appetitu inferiori. Tunc enim passio illa neque excusat a peccato, neque illius gravitatem minuit, sed potius auget, ut asserit S. Th. supra, estque signum maximæ propensionis, quæ est in ipsa voluntate, ad actum peccati perpetrandum.

Jam quod peccatum causetur etiam ab ipsa malitia, seu pravitate voluntatis, ita ut homo aliquando ex certa, & deliberata malitia peccet, constat ex Scriptura. Job. 34. *Quasi de industria recesserunt a Deo,*

a Deo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt. Docet autem S Th. qu. 78. art. 7. peccatum illud, quod ex certa, & deliberata malitia committitur, illo gravius esse, quod oritur ex infirmitate, & passione, quia scilicet ex majore voluntatis libertate procedit.

SECTIO VII.

Qua ratione ignorantia sit causa peccati, vel ab illo excuset.

1. UT quæstioni propositæ satisfiat, supponimus ex communi Theologorum doctrina, ignorantiam aliam esse juris, aliam facti. Ignorantia juris est, cum ignoratur, legem vel consuetudinem vim legis obtinentem aliquid præcipere, vel prohibere: v. g. si quis nesciat, legem Ecclesiasticam prohibere carnium comestionem die Veneris. Ignorantia facti est, cum ignoratur res aliqua particularis, quæ præcepta, vel prohibita est, & ex qua velut ex objecto dependet actio aliqua moralis, v. g. si quis nesciat, carnem esse, quam comedit, vel non advertat, esse diem Veneris. Ut enim recte monet Isambertus ad qu. 76. disp. unic. art. 9. ea, quæ de ignorantia dicuntur, de inadvertentia quoque, & oblivione intelligi debent.

Rursus alia est ignorantia antecedens, alia concomitans, alia subsequens. Ignorantia antecedens ea est, quæ nec directe, nec indirecte voluntaria est, ideoque antecedens appellatur, quia omnem voluntatis actum antecedit. Et eadem dicitur invincibilis, & probabilis, seu justa: invincibilis, quando nulla diligentia vinci potuit, probabilis vero, seu justa, quando etsi absolute loquendo, omni adhibita diligentia, quæ adhiberi potest, vinci potuerit, non tamen debuit, quia nulla fuit obligatio adhibendi majorem diligentiam ea, quæ adhibita est, cum qua tamen superari non potuit, ideoque dicitur moraliter invincibilis.

2. Ignorantia concomitans est, quando ignoratur aliquid, quod tamen si sciretur, nihilominus ageretur, ut quando quis existimans, se occidere feram, inimicum occidit, ita dispositus tamen, ut, si inin. um esse cognovisset, nihilominus occidisset.

Ignorantia denique consequens ea est, quæ aliquo modo voluntaria est, & voluntatem directe, vel indirecte consequitur. Quæ etiam dicitur vincibilis, quia, diligentia aliqua adhibita, vinci potuit, ac debuit. Dividiturque in affectatam, & in eam, quæ affectata non est. Affectata est directe volita, v. g. cum quis expresse vult aliquid ignorare, ut liberius peccet. Ea vero, quæ non est affectata, indirecte tantum volita est, v. g. quando quis refugit laborem alicujus studii, unde ignorantia rei alicujus sequitur. Hac distinctione supposita,

Dicendum 1. ignorantiam aliquando esse causam peccati. Id patet ex Scriptura. Act. 3. *Scio, fratres, quia per ignorantiam fecistis*. 1. Tim. 1. *Ignorans feci in incredulitate*. Quod etiam docet S. Th. q. 76. art.

art. 1. ubi docet, non quamlibet ignorantiam esse causam peccati, sed illam tantummodo, quæ vincibilis est, & nihilominus tollit notitiam aliquam, quæ si adesset, factum peccati prohiberet, juxta quod dicit Apostolus loquens de Judæis, 1. Corinth. 2. *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Dicendum 2. ignorantiam vincibilem non solum esse causam peccati, sed etiam esse peccatum, ratione negligentiæ adjunctæ, qua quis negligit ea scire, quæ scire tenetur, & potest. Ita S. Doctor a. 2. Et constat ex Script. Ps. 24. *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris*, &c. & ex S. Aug. l. 1. de lib. arb. c. 19. *Non tibi imputatur ad culpã, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras.*

3. Dicendum 3. ignorantiam antecedentem, seu invincibilem tam juris, quam facti omnino a peccato excusare. Ita S. Th. art. 1. & cum illo communiter omnes. Et probatur primo ex his Christi Domini verbis S. Jo. 15. *Si non venissem, & eis locutus non fuissem, peccatum non haberent.* Super quæ verba S. Aug. tract. 89. in S. Jo. dicit: *Illos, ad quos Christus non venit, & quibus non est locutus, excusationem habere, non de omni peccato suo, sed de peccato illo, quo in Christum non crediderint.* Et S. Bernard. Epist. 77. ad Hugonem de Sancto Victore eadem Christi verba explicans: *Si*, inquit, *locutus fuisset, sed non eis, inobedientiæ culpam ignorantia excusaret.*

Probatur 2. hac ratione: Ignorantia illa a peccato excusat, quæ ab actione peccati, quatenus talis est, tollit rationem voluntarii, peccatum enim nullum est, quin sit voluntarium: atqui ignorantia antecedens tollit rationem voluntarii ab actione peccati, redditque illam simpliciter involuntariam, ut docet S. Th. 1. 2. qu. 9. art. 8. & cum illo Theologi omnes; ergo a peccato excusat.

Dicendum 4. ignorantiam concomitantem, quando invincibilis est, a peccato excusare. Ita Isambertus ad quæst. 76. disp. unic. a. 8. & plures alii, quos ibidem citat. Ratio est, quia ignorantia illa, ut docet S. Th. cit. art. 8. etsi non facit actum involuntarium, facit tamen non voluntarium; & sic in ejusmodi actu non reperitur ratio voluntarii, sine qua peccatum nullum esse potest.

Dicendum 5. ignorantiam consequentem, sive affectatam, sive minime affectatam, nunquam excusare a peccato opus malum, quod ex illa fit, quia scilicet non impedit, quin tale opus sit voluntarium. Hæc est tamen inter utranque differentia, quod ignorantia illa, quæ non est affectata, minuit peccatum, quia minus voluntarium reddit, ea vero, quæ affectata est, peccatum non minuit, sed potius auget, ut observat S. Doctor qu. 76. art. 4.

4. Quæres, an possit esse ignorantia aliqua invincibilis juris naturalis. Respondetur 1. universalissima ipsius juris naturalis principia a quovis homine adulto neque invincibiliter, neque vincibiliter ignorari posse, cujusmodi sunt hæc, *Bonum esse faciendum, malum fugien-*

giendum; nemini injuriam esse inferendam. Ita S. Th. q. 94. a. 6. Sunt enim hæ universales, & per se notæ humanarum actionum regulæ, unicuique hominum naturaliter insitæ. Unde S. August. l. 2. de lib. arb. c. 10. *Juste*, inquit, *esse vivendum*, *propria suis quibusque esse reddenda*, &c. *nonne fateberis esse verissimum*, *& tam mihi*, *quam tibi*, *atque omnibus id videntibus præsto esse communiter?*

Respondetur 2. juris naturalis, quoad alia quædam principia minus universalia, ignorantiam invincibilem esse posse in quibusdam hominibus, etiam toto vitæ tempore. Manifestum est enim, multa esse juri naturali repugnantia, quæ non solum ab indoctis, & rudibus, sed etiam a doctis, & ingenii acumine præcellentibus viris talia esse ignorantur. Nam & Cassianus olim, aliique sancti viri, ut in ejus Collationibus habetur, existimaverunt, mendacium aliquando esse licitum ad bonum aliquod promovendum, aut malum impediendum: multique nunc etiam doctissimi viri, & in Theologia versatissimi dissentiunt inter se de re aliqua ad jus naturæ pertinente, v. g. de contractu aliquo, utrum sit usurarius, aut alias injustus, necne; abeuntque in partes contradictorie oppositas, aliis negantibus, aliis e contrario affirmantibus, unde sequitur, quosdam illorum ignorantia aliqua invincibili juris naturalis laborare.

SECTIO VIII.

Quinam sint effectus peccati.

1. TRes præcipui communiter a Theologis numerantur. Primus est, quod lædat hominis naturam, ejusque bonum imminuat. Ita S. Th. q. 85. a. 1. & 2. Ubi docet, bonum naturæ in homine triplex esse. Primum bonum consistit in iis, quæ ad ipsius naturæ humanæ essentiam spectant, ut sunt principia, quibus ipsa natura constituitur, & proprietas, quæ ab illis oritur; ut sunt esse rationale, esse liberum, &c. Secundum bonum est inclinatio illa, & propensio, quam homo ex natura sua, quatenus rationalis est, habet ad virtutem. Tertium denique bonum est donum originalis justitiæ, quod in persona primi hominis universæ humanæ naturæ collatum fuit, & eo sensu bonum ipsius naturæ vocatur. Ex his autem tribus naturæ bonis, docet S. Doctor, primum nec tolli, nec minui per ullum peccatum, tertium per peccatum originale penitus ablatum fuisse, secundum vero, inclinationem scilicet illam naturæ humanæ ad virtutem, imminui quidem per peccatum, cum ejus actus virtuti opponatur, nunquam tamen penitus auferri.

2. Secundus effectus peccati est macula quædam, & deformitas, quā anima per peccatum contrahit, & quę transacto ipsius peccati actu in ea remanet. Ita S. Th. qu. 86. art. 1. & 2. & constat ex Scriptura. Josue 22. *Peccastis in Beelphegor, & usq; in præsentem diem macula hujus*

sce-

sceleris in vobis permanet. Jerem. 2. *Maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus*, item ex aliis Scripturæ locis, in quibus peccatores dicuntur inquinati, immundi, &c.

Hæc autem peccati macula, secundum probabiliorem Theologorum sententiam, nihil est aliud, quam ipsamet peccati malitia, quatenus, etiam transacto actu peccati, censetur durare, ac perseverare, quandiu per pœnitentiam non deletur; quæ quidem macula vocatur etiam peccatum habituale, eo quod veluti habitualiter post peccatum actu commissum remaneat in anima.

3. Est tamen hic observandũ, peccatum illud habituale distinguendũ esse a vitioso habitu, seu a prava illa inclinatione, & propensione, quæ per repetitos peccati actus ingeneratur in anima, in eaq; remanet, etiam postquam ipsa peccati macula per Gratiæ infusionẽ deleta est, nec nisi per contrarios, & sæpe repetitos virtutis actus tollitur.

Tertius denique peccati effectus est reatus pœnæ. Certũ est enim, pœnam aliquam peccatis hominum divinitus esse decretam. S. Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis*. Rom. 2. *Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum*. Hæc autem pœna, cum juste a Deo decernatur, supponit, peccatorem illa dignum esse, illiusque reatum per peccatum incurrere.

Porro circa hunc tertium peccati effectum observandum est, non omnem pœnam esse propter aliquod peccatum, cum constet quasdam interdum hujus vitæ pœnalitates justis, & sanctis a Deo infligi, non in punitionem peccatorum, sed ad probationem, & exercitamentum virtutis, quod de Sanctissima Virgine Deipara nullus negare potest, & de plurimis aliis Sanctis pietas facile suadebit.

Observandum 2. quod quamvis peccatum per se, & formaliter consideratum non possit esse pœna alterius peccati, ut docet S. Th. q. 87. potest tamen esse per accidens, eo modo, quem ibidem explicat, ratione scilicet subtractionis Gratiarum aliquarũ actualium, quarum auxilio Deus interdum peccatorem privat in punitionem præcedentis peccati, unde sequitur lapsus in aliud peccatum.

4. Quæres, quanta pœna cuique peccato actuali divinitus decreta sit. Respondetur cum distinctione. Si enim id quæratur de peccato mortali, certum est ex Fide, pœnam æternam sive damni, sive sensus unicuique peccato mortali esse constitutam. De pœna damni, quæ consistit in privatione visionis beatificæ, constat ex S. Matth. 8. ubi dicitur, quod reprobi *ejicientur in tenebras exteriores*: de pœna vero sensus ex eodem S. Matth. c. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*. Cum autem dicitur pœna æterna cuique peccato mortali constituta, id intelligendum est, ut recte docet Isambertus ad qu. 87. disp. 2. a. 3. non solum de perpetuitate ipsarum pœnarum quantum ad durationem, sed etiam de earum pœnarum immutabilitate, ita ut nullam earum imminutionem, nullumve in suppliciis solatium unquam

experturi sint damnati. Unde etiam Isa. ult. dicitur, quod *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.*

5. Quam vero juste Deus ob unicum peccatum mortale, quod aliquando brevissimum, & quasi momentaneum est, pœnam æternam decreverit, jam a nobis dictum est 1.p. tr.4.c 3.Sect. 4. Quod insuper etiam hac ratione demonstrari potest; quia scil. actio peccati, quamvis secundum se spectata brevissimo tempore duret, nihilominus secundum affectum peccati quasi in totam æternitatem protenditur. Qui enim, ut recte dicit S. Doct. l.3. cont. gent. c. 144. propter fruitionem temporalem boni alicujus temporalis relinquit æternam summi, & æterni boni fruitionem, quod facit, quicunque mortaliter peccat, recte, ac juste censetur bono illo temporali in æternum frui velle; proindeque peccatum suum, quod in boni illius temporalis inordinata fruitione consistit, in totam æternitatem velle prorogare. Ex quo fit, ut, cum illud peccatum sit in affectu æternum, justo Dei judicio pœna æterna dignum censeatur.

Si vero quæstio intelligatur de peccato veniali, certum est ex Fide, peccata venialia in omnibus justis, sive in hac vita, sive in futura, non esse punienda pœna æterna, sed solummodo temporali, sicut ex eadē Fide certum est, homines justos in accepta justitia usque ad mortem perseverantes æterna beatitudine in æternum non esse privandos.

Est tamen difficultas de peccatis illis venialibus, cum quibus peccatores, & reprobi ex hac vita decedunt. Sotus enim in 4. dist. 11. & quidam alii Theologi existimant, pœnam illis venialibus peccatis debitam futuram esse tantummodo temporalem. Probabilius tamen alii cum S. Doct. q. 87. a. 2. ad 3. asserunt, pœnam illam fore æternam, non tam ratione gravitatis, quam irremissibilitatis ipsius peccati venialis, cum in Inferno nullus neque remissioni, neque redemptioni locus sit.

DIGRESSIO

De loco Inferni, & damnatorum suppliciis.

1. Cum inter cæteros effectus peccati acerbissimus, & maxime formidandus sit æternæ pœnæ reatus, ut hæc illius acerbitas melius perspiciatur, non erit abs re de loco, & qualitate pœnarum illatum æternarum hic paucis agere, ac quid de illis secundum Fidei Catholicæ regulam sentiendum sit, declarare.

Dicendum igitur 1. Infernum, seu carcerem damnatorum pœnis deputatum, esse locum aliquem realem, & corporeum in ipsis terræ visceribus situm. Ita S. Thom. 1. 2. qu. 87. art. 7.

Hæc veritas constat ex Script. Num. 16. *Dirupta est terra sub pedibus eorum*, &c. *descenderunt vivi in Infernum operti humo*. Job. 10. Infernus vocatur *terra tenebrosa, & operta mortis caligine.*

Constat etiā eadē veritas ex antiquis Patribus, qui id asseruerunt,

ut Tertull. l. de anim. c. 55. *Nobis*, inquit, *Inferi, non nuda cavositas, nec subdivalis aliqua mundi sentina creduntur, sed in fossa terræ. & in alto vastitas, & in ipsis visceribus ejus abstrusa profunditas.* S. Athanasius in quæstionibus, *Peccatorum*, inquit, *animæ in Inferno positæ sunt subter omnem terram, & mare, ut Psalmista dicit: Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in umbra mortis.* Et S. Cyrillus Alex. de exitu animæ, *Tunc*, inquit, *animam invadunt Dæmones, eamque in terrarum opaca deducunt, & solidissimis compedibus revinctam in infimas infernorum carcerum partes, ac Erebi custodias dejiciunt.*

2. Porro quantæ, & quam amplæ regiones, quam valli recessus in ipsius terræ sinu reperiantur, ex Cosmographorum demonstrationibus satis aperte dignosci potest, cum secundum communem, & probabiliorem illorum sententiam, ab extima terræ superficie ad illius centrum mille, ac quingentæ, & amplius leucæ numerentur, quæ totius ambitus illius semidiametrum efficiunt. Unde secundum Arithmeticorum numerorum rationem colligitur, immensa prope esse spatia quaquaversum in terræ visceribus protensa, in quibus proinde varia receptacula, eaque amplissima constitui possunt, sive pro Justis ad tempus determinatum purgandis, sive pro Reprobis in æternum puniendis, sive pro Limbo puerorum ex hac vita cum solo originali peccato decedentium.

Dicendũ 2. ignem verum corporeum in Inferno reperiri, eoq; tum corpora, tum animas ipsorum reproborum in æternum cruciari. Ita S.Th. in supp. p. 97. ar. 5. & constat ex Script. Isa. 33. *Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cũ ardoribus sempiternis?* & Apoc. 21. vocatur Infernus *stagnum ardens igne, & sulphure.*

Idipsum docent SS. Patres, ut Cyprianus serm. de Ascensione Christi: *Immortales*, inquit, *miseri vivent inter incendia, & inconsumptibiles flammæ nudum corpus allambent, ardebit purpuratus Dives, non erit qui æstuanti linguæ stillam aquæ infundat, in proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur.* S. Gregorius Magnus lib. 4. dialog. cap. 28. *Sicut*, inquit, *electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat.*

3. Dicendum 3. præter ipsius ignis sensibile tormentum, plures alias varias pœnas ipsis damnatis infligi. Ps. 10. *Ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Job. 24. *Ad nimium calorem transibit ab aquis nivium*, id est (ut explicat Hugo Cardinalis) impii in Inferno de pœna in pœnam transibunt. Apoc. 18. *In una die venient plagæ ejus, mors, & luctus, fames*, &c.

Idipsum quoque affirmant SS. Patres, ut S. Basil. in Psalm. 33. ubi dicit, in Inferno post Judiciũ ultimum fore *vermium innumerabilium genus venenosum, ac carnivorum, edens quidem semper, nec tamen se*

exstiant, intolerabiles dolores morsibus infigens. S. Cyrillus cit. orat. de exitu animæ. *Illic*, in Inferno scilicet, *inhumani ergastuli tenebricosus carcer, insolubilia vincula, vi nulla refringendæ catenæ, feri, & inexorabiles ministri, graves illæ, quæ ad supplicium adhibentur, scuticæ, firmi ungues, & infracti, · adura flagella, pix nebulosa, & strepitans, sulphur graveolens, atra cubilia, pyra semper ardens, fœdus, & olens vermis*, &c. S. August. Epist. 211. ad Julianum: *Væ iis, quibus præparatur dolor vermium, ardor flammæ, sitis inextinguibilis, fletus, ac stridor dentium, oculorum lacrymæ, tenebræ exteriores*, &c.

Quare eundem S. Patrem audiamus serm. 81. de temp. in Vigil. Pentec. cap. 18. sic concludentem: *Hæc recordare, & ignem illum gehennæ his, quæ te nunc exagitant, flammis libidinis, & cupiditatis oppone. Ignis hic, qui in præsenti est vita, absumit cuncta, quæ recipit, ille vero, quos susceperit, semper integros servat. Propterea enim & inextinguibilis dicitur, non solum quia ipse non extinguitur, sed quia nec eos, quos susceperit, extinguet, aut perimet.*

CAPUT TERTIUM.
De Legibus.

Quoniam, ut dictum est capite præcedenti, peccatum nihil aliud est, quam legis transgressio, idcirco ad perfectam ipsius peccati notitiam requiritur etiam cognitio legis. Unde dixit Apostolus Roman. 3. *Per legem cognitio peccati.*

SECTIO I.
Quid nomine legis intelligatur, & quotuplex sit lex.

1. Legem a ligando dictam esse, docet S. Th. 1. 2. q. 90. ar. 1. quod ad sui observationem Legislatoris subditos liget. Isidorus vero l. 5. Etymol. c. 3. a legendo derivatam esse arbitratur, quod lex scribi & publice proponi soleat, ut ab omnibus legatur. Verum quicquid sit de etymologia, legis nomen late, & improprie sumptum regulam quamcunque, sive normam agendorum significat. Quo sensu Grammaticæ, aliarumque artium regulæ leges vocantur: & Tyranni leges, quamvis injustas, ferre dicuntur, juxta illud Isa 10. *Væ qui condunt leges iniquas*. Si vero proprie, & stricte sumatur, secundum mentem S. Doct. q. 98. a. 1. nihil est aliud, quam recta regula, seu mensura humanorum actuum, secundum quam vel ad bene agendum dirigimur, vel a male agendo retrahimur.

Lex autem eo sensu intellecta dividitur a S. Doctore q. 91. art. 1. & seq. in legem æternam, naturalem, & positivam, & hæc lex positiva subdividitur in legem positivam Divinam, & legem positivam humanam; quæ quidem lex positiva humana rursus duplex est. Ecle-

clesiastica scilicet, & Civilis; sicut etiam lex positiva Divina alia est vetus, seu Mosaica, alia nova, quæ lex Evangelica, seu Christi vocatur, quoniam ab illo tanquam supremo Legislatore in Evangelio lata est, & promulgata. De lege æterna, & naturali agendum nobis est in hac Sectione, de positiva vero tum Divina, tum humana in sequentibus.

2. Lex æterna, ut docet S. Th. qu. 91. art. 1. nihil est aliud, quam ratio Divinæ sapientiæ, quatenus omnium actionum, & motuum directiva est. Sicut enim in quolibet artifice præexistit ratio eorum, quæ per artem fiunt, ita etiam in quolibet gubernante præexistere debet ratio directiva eorum, quæ ab iis, qui ejus gubernationi subduntur, agenda vel omittenda sunt; Deus autem sicut per suam sapientiam rerum omnium conditor est, sic est etiam gubernator; unde sapientia illa, in quantum per eam cuncta creata sunt, rationem habet exemplaris, & ideæ, inquantum vero per eandem cuncta diriguntur in finem debitum, legis æternæ rationem obtinet.

Cum vero hæc æterna lex creaturas quascunque secundũ modum illis convenientem dirigat, idcirco aliter ratione carentibus, aliter ratione præditis intimatur,& proponitur: illis quidem per executionem, &, ut ita loquamur, per impressionem ordinis ipsius, qui ab æterna lege dimanat;istis vero per quandam velut irradiationem Divinæ sapientiæ, quæ mentem rationalem illustrat, & in operationibus suis dirigit, juxta illud Ps. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Unde S. August. dicit l. 1. de lib. arb. c. 6. *Notionem legis æternæ quibuscumque hominibus impressam esse*.

Quanta autem sit vis, & potestas illius æternæ legis, vel hinc patet, quod omnes, & quæcunque creaturæ, nulla prorsus excepta, illi omnimode subdantur. Et de illis quidem, quæ ratione carent, constat ex Psal. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*. Ps. 118. *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi*. De creaturis autem ratione præditis similiter constat. Vel enim secundum rectam rationem agunt, & tunc æternæ legis ductum sequuntur, vel a recta ratione aberrant,& tunc *quantum deficiunt a lege æterna ex parte actionis*, ut loquitur S. Th. q. 93. art. 1. *tantum suppletur ex parte passionis, prout scilicet in tantum patiuntur, quod lex æterna dictat de eis, in quantum deficiunt facere, quod ipsi legi æternæ convenit*. Quo sensu recte dixit S. Aug. l. 1. Conf. c. 12. *Jussisti, Domine, & sic est, ut pœna sua sibi sit omnis animus inordinatus*.

3. Lex naturalis, ut docet idem S. Th. q. 91. ar. 2. est ipsummet naturale judicium, seu rationis dictamen, quo per lumen nobis a Deo, tanquam auctore naturæ, inditum, & ab æterna ejus lege derivatum cognoscimus, ea esse facienda, quæ recta, & justa sunt, & contra vitanda esse ea, quæ a justitia, & rectitudine deflectunt.

Ad pleniorem vero hujus legis naturalis notitiam, observandum primo, naturale illud judicium rationem legis habere, non prout a nobis est, sed quatenus est in nobis ex Divinæ legis impressione. Unde patet ratio, cur ejusmodi lex naturalis a Regio Psalte vocetur Ps. 4. *lumen Divini vultus*, id est Divinæ sapientiæ, *signatum super nos*, quia scilicet vim omnem suam, & lucem ab ipsis Divinæ sapientiæ, seu legis æternæ veluti radiis accipit.

Observandum secundo, legem naturalem (ut docet S. Th. q.94.a.4.) unam, & eandem esse apud omnes homines quoad prima, & generalia principia, tam secundum notitiam, quam secundum rectitudinem, id est omnes homines eo ipso, quod ratione præditi sunt, generalia illa legis naturalis principia cognoscere, & tanquam justa, & recta approbare, v.g. bonum esse faciendum, malum fugiendum, rationi obtemperandum, &c. Quoad conclusiones vero, quæ ex illis deducuntur, sæpe contingit, multos a recta ratione deficere, propter pravam peccandi consuetudinem, & inde exortam intellectus obscurationem, & sic ab ipsa lege naturali aberrare. Unde videmus, apud multas gentes olim idololatriam, & alia flagitia legi naturali contraria, approbata tamen, & usu recepta fuisse, de quibus loquens Apostolus dicit Rom. 1. quod *obscuratum est insipiens cor eorum, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & serpentium*, &c.

4. Observandum tertio, legem naturalem omnes homines obligare ab eo tempore, quo rationis usum accipiunt, & per illam inter bonum, & malum discernere incipiunt. Hic enim rationis usus est veluti ipsius legis naturalis notificatio. Et eo sensu intelligenda sunt hæc Apostoli verba Rom. 7. *Ego autem vivebam sine lege aliquando; sed cum venisset mandatum, peccatum revixit*. Ita enim verba illa explicat S. Basilius in Psalm. 1. & S. Hieronymus Ep. ad Algasiam q. 8. ubi sic loquitur: *Cum mandatum venerit, hoc est tempus intelligentiæ appetentis bona, & vitantis mala, tunc peccatum reviviscere incipit, & homo reus esse peccati.*

Observandum quarto, legem naturalem ita omnes homines obligare, ut in nullo casu ab illius servandæ obligatione possint eximi. Atque in primis certum est, exemptionem illam humana auctoritate dari non posse, cum ipsa lex naturalis ab æterna Dei lege derivetur, vimq; suam omnem accipiat, ut supra dictum est. Unde Lactantius l.6.de div. inst. c.8. *Huic*, inquit, *legi* (naturali scilicet) *nec prærogari fas est, nec derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest; nec vero aut per Senatum, aut per populum hac lege liberari possumus*.

5. Quod vero spectat ad auctoritatem Divinam, licet quidā Theologi existiment, per illā posse in lege naturali dispensari; probabilior tamen est eorum sententia, qui asserunt, id sapientiæ Divinæ omnino repugnare, proindeq; fieri non posse. Ita S. Th. q. 100. a.8 Et ratio est, quia

quia lex naturalis nihil est aliud, ut docet S. August. l. 83. qq. q. 55. quam *ipsius æternæ legis, atque adeo summæ incommutabilis rationis ipsius Divinæ sapientiæ in mentibus hominum facta transcriptio*; atqui *Deus*, ut ait Apostolus 2. Tim. 2. *negare seipsum non potest*.

Dices, Deum Exod. 12. Israelitis præcepisse, ut res aliquas ab Ægyptiis mutuo acceptas invitis illis retinerent, ac secum auferrent, ac proinde in lege naturali, quæ furtum prohibet, dispensasse.

Respondetur, in illo casu Deum nihil contra legem naturalē præcepisse. Illa siquidem lex prohibet injustam rei alienæ ablationem; res autem illæ ab Israelitis ablatæ, eo ipso, quo id ab illis (Deo jubente) fiebat, non erant amplius alienæ, sed ipsorum, Deo scilicet, ratione supremi dominii, quod in omnes creaturas obtinet, proprietatem, & possessionem rerum illarum in Israelitas transferente. Sicque dicendum est, Deum in præcepto legis naturalis non dispensasse, sed actionis illius, quam imperavit, objectum mutasse; & ea ratione licitam, & honestam reddidisse.

SECTIO II.

Quid sit lex humana, & circa quam materiam versari possit.

1. LEx humana, secundum doctrinam S. Thom. q. 90. art. 8. nihil est aliud, quam quædam rationis ordinatio ad commune bonum, ab eo, qui communitati præest, promulgata, cum intentione obligandi.

2. Dicitur primo *Rationis ordinatio*, quia lex positiva fertur per modum imperii; at imperare, ut docet idem S. Th. q. 100. art. 1. est actus rationis, præsupposito tamen actu voluntatis.

Dicitur secundo *ad commune bonum*, quia ad rationem legis requiritur, ut non uni tantum, aut alteri personæ, sed toti communitati imponatur. *Lex enim*, ut habetur distinct. 4. cap. 4. *nullo privato commodo, sed pro communi utilitate conscripta esse debet*. Unde, ut ait idem S. Th. q. 90. art. 3. ad 3. Paterfamilias potest quidem præcepta vel statuta facere, non vero leges condere.

Dicitur tertio, *legem humanam ferendam esse ab eo, qui communitati præest*, juxta id, quod dicit Apostolus Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi a Deo*. Ex quibus verbis sicut constat subditos ad obedientiam Superioribus præstandam obligari, sic etiam ex iisdem recte colligitur, penes ipsos Superiores inesse ferendarum legum potestatem.

Dicitur quarto, *legem humanam promulgari debere*. *Tunc enim*, ut dicitur in decret. cap. *In istis* dist. 4. *leges instituuntur, cum promulgantur*. Quod confirmari potest ex cap. *Ad hæc*, extra. de postulatione Prælatorum, & ex cap. *Cognoscentes*, de Constitutionibus. Cujus quidem conditionis rationem hanc affert Sanctus Doct. q. 90. ar. 4. quia

Lex imponitur per modum regulæ, & mensuræ, regula autem, & mensura imponitur per hoc, quod applicatur his, quæ regulantur, & mensurantur; unde ad hoc, quod ea virtutē obligandi habeat, oportet, quod applicetur hominibus, qui secundū eam regulari debent; talis autē applicatio fit per hoc, quod in notitiā eorū deducitur ex ipsa promulgatione.

Dicitur quinto, *legem ferendā esse cum intentione obligandi*. Atque in primis, quod communitatis Superiores potestatem habeant sibi subditos obligandi, constat tum ex ante dictis, tum ex Concil. Constant. sess. ult. in qua opinio contraria, quæ fuit Uvicleffi, & Joannis Hus, tāquā hæretica, damnata est. Quod vero etiā requiratur ex parte Legislatoris intētio obligandi, inde infertur, quod si lex non obligaret, lex dici non posset, sed potius consiliū. Lex enim a ligando dicta est, ut docet S.Th.ar.1.& in eo præsertim a consilio differt, quod consiliū liberam relinquat potestatem faciendi id, quod consulitur; lex vero ad id, quod per illam præscribitur, exequendum obliget. Unde S. Hieronymus lib. 1. contr. Jovin. *Res*, inquit, *quæ consulitur, est in arbitrio offerētis, res, quæ præcipitur, in necessitate servientis.*

Addit S. Th. q. 95. ar. 3. ex Isi. lib 5. etymol. c. 21. alias quasdam legis humanæ conditiones, scilicet ut sit justa, honesta, possibilis, loco, & tempori conveniens, pro communitatis utilitate scripta, &c. quæ ex infra dicendis plenius intelligentur.

2. Quod spectat ad materiam ipsius legis, certum est in primis, humanam legem nullum præcipere actum, qui sit lege naturali, vel positiva Divina prohibitus; nullum item posse prohibere, qui sit hac, vel illa præceptus. Lex enim humana legi naturali contradicere non debet, nec prævalere potest, cum ipsa lex naturalis sit indispensabilis, ut ex ante dictis constat; & multo minus legi Divinæ, quia, sicut Princeps Apostolorum dixit, Actor. 5. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*. Unde S. Augustinus dicit lib. 2. de lib. arbitrio cap. 6. *In ista temporali lege nihil esse justum, atque legitimum, quod non ex hac æterna lege sibi homines derivarint.*

Certum est deinde, lege humana prohiberi posse actum externum quemcunque lege Divina, vel naturali minime præceptum; posse item præcipi actum externum quemcunque hac, vel illa lege minime prohibitum. Unde Christus Dominus S. Matth. 23. *Omnia*, inquit, *quæcunque dixerint vobis, servate, & facite*. Quod tamen sic intelligi debet, dummodo prohibitio illa, vel præceptio sit honesta, justa, possibilis, bono communi utilis, aliasque habeat conditiones supra relatas. Potestas enim legislativa hominibus a Deo concessa est, 2. Cor. 10. *ad ædificationem, non vero ad destructionem.*

3. Cum hæc duo certa sint, unum est, de quo apud Theologos controvertitur, an scilicet lex humana possit actus quoq; internos præcipere, vel prohibere. Quidam Doctores id simpliciter affirmant, alii probabilius cum S.Th.q.91.ar.4. negant, asseruntque, nulla humana

lege,

lege, etiam Ecclesiastica, prohiberi posse, vel præcipi actus pure internos. nisi quatenus exterioribus quibusdam actibus præceptis, vel prohibitis necessario conjunguntur. Ratio est, quia (ut ibidem dicit S. Doctor) *De his potest homo legem facere, de quibus potest judicare, judicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus, qui latent, sed solum de exterioribus actibus, qui apparent*. Unde Innocentius III. cap. 33. de simonia versus finem, *Nobis*, inquit, *datum est de manifestis tantummodo judicare*.

Diximus, actus internos lege humana præcipi, aut prohiberi non posse, nisi quatenus exterioribus actibus necessario conjunguntur, ita ut sine illis humana lex moraliter loquendo impleri non possit. Tunc enim actus illi interni simul cum externis præcepti, vel prohibiti esse censentur. E. g. Ecclesiastica lex de Officii Divini recitatione a Clericis Beneficiatis, aut in majoribus Ordinibus constitutis facienda, non tantum præcipit externam ipsius Officii recitationem ore tenus factam, sed etiam interiorem mentis attentionem, ut habetur cap. *Dolentes*, extra. de celebr. Missarum, in quo Innocentius III. præcipit, ut Officium Divinum *studiose, & devote a Clericis persolvatur*; quia, si attentio illa desit ex deliberata recitantis voluntate, oratio vocalis, quæ lege illa præcipitur, jam non erit oratio, & sic lex non implebitur.

Quod si actus internus non sit absolute necessarius ad hoc, ut lex servetur, sed tantum ut perfectius, & melius servetur, tunc sub legem cadere non censetur. Unde S. Th. q. 100. ar. 9. dicit, modum præcepti non cadere sub præceptum, e. g. quod quis jejunet in Quadragesima ex motivo temperantiæ, quod Missam diebus festis audiat ex motivo Religionis, vel obedientiæ. Quocunque enim ex motivo humana lex impleatur, dummodo motivum illud sit honestum, & bonum, lex ipsa sufficienter impleri censetur.

4. Porro circa materiam legis humanæ observandum est, illam posse pro variis hominum, temporumque conditionibus subinde mutari. Unde S. August. lib. 1. de lib. arbit. cap. 6. *Lex temporalis*, inquit, *quamvis justa sit, commutari tamē tempore juste potest*. & Innoc. III. in Concil. Lateran. (ut refertur Cap. *non debet*, extr. de consanguinit. & affinit.) *Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum instituta quoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit*.

SECTIO III.

Utrum lex humana in conscientia obliget.

1. PRoposita quæstio tam de lege Civili, quam de Canonica, seu Ecclesiastica intelligi debet. Et quamvis quidam Theologi inter utranq; illam legem distinguendum esse existiment; communis

tamen, & verior sententia est, quæ universim affirmat, legem humanam, sive Canonicam, sive Civilem, in conscientia obligare, ita ut huic, vel illi legi repugnando, peccati etiam mortalis reatus incurri possit. Ita S. Th. q. 95. art. 4. Et de lege quidem Civili probatur ex Apostolo Rom 13. ubi loquens de Regibus, Ducibus, & aliis Superioribus Laicis, inquit: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*: & aliquibus interjectis concludit: *Ideo subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*. In quem locum S. Ambr. *Recte*, inquit, *Apostolus dicit, subjectos esse debere, non solum propter iram, idest ultionem præsentem, parit enim ira vindictam, sed & propter futurum judicium, ubi accusante conscientia ipsa punientur*.

Quod si superioribus Laicis, etiam Infidelibus, cum justa decernunt, obediendum est, juxta id, quod docet Apostolus, longe potiori jure de Superioribus Ecclesiasticis idem dici debet. Unde etiam Christus Dominus S. Matth. 23. de illis loquens: *Quæ dixerint vobis*, inquit, *servate, & facite*. & Apostolus Heb. 13. *Obedite*, inquit, *Præpositis vestris, & subjacete eis*, &c.

2. Est autem hic observanda doctrina S. Thomæ cit. ar. 4. ubi dicit, leges humanas vim illam obligandi in foro conscientiæ habere, non a se, sed a lege æterna, a qua derivantur. Unde infert, eatenus eas obligare, quatenus ipsi legi æternæ conformes sunt. Quod quidem ex triplici capite dignoscendum esse docet, primo ex fine ipsarum legum, quando scilicet ad bonum commune ordinantur, secundo ex illarum auctore, quando Legislatoris potestatem non excedunt, tertio ex earundē forma, quando secundū justam proportionem imponuntur subditis onera in ordine ad bonum commune. Et his tribus conditionibus concurrentibus, dicit, leges humanas obligare in foro conscientiæ. Contra vero, quando leges illæ injustæ sunt, ut quando ad utilitatē communem minime pertinent, aut quando ab eo feruntur, qui legitimam non habet auctoritatem, vel cum per illas onera multitudini, proportione debita minime servata, dispensantur: tales asserit non leges, sed violentias dici debere, nec proinde in foro conscientiæ obligare, nisi forte propter vitandum scandalū, vel turbationem aliquam, qua ratione quisq; particularis juri suo cedere debet. Si tamen leges illæ injustæ essent, ac legi Divinæ contrariæ, tunc non modo in conscientia non obligarent, sed ne illas quidem observare ullo modo liceret, ut per se satis manifestum est.

3. Cum igitur ex dictis constet, legem humanā in foro conscientiæ obligare, quæritur 1. quasnam personas obliget. Respondetur cum S. Doctore q. 91. ar. 5. legem humanā eos omnes obligare, qui subduntur potestati, a qua lex illa dimanat, juxta illud Apostoli Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Ex quibus verbis refellitur error Begardorū, & Beguinarū, qui asserebāt, eos, qui perfe-

ctio-

ctionem justitiæ consecuti essent, humanæ obedientiæ nō esse subjectos,nec ad observationem ullius legis Ecclesiasticæ,aut Civilis obligari quorum error damnatus est in Cōcilio Viennensi, ut refertur in Clementina *Ad nostram*.de Hæreticis,& in Conc.Trid.sess.6.can.20.

Neque Hæreticis illis favet illud 1. ad Tim. 1. *Justo non est lex posita*. Sensus enim verborum illorum est,ut recte observat S.Th. art. 5. ad 1.justos non esse subjectos legi quoad vim coactivā, cum sponte illi subdātur, quamvis quoad vim directivam illi absolute subditi sint.

4.Quæritur 2 an Clerici legibus Civilibus teneantur.Respondetur teneri,dūmodo Ecclesiasticis Canonibus,vel officio Clericali non repugnent,ut fuse docet Bellarminus l.1.de Cler. c.28. probatque præsertim ex eo,quod Clerici,præterquam quod Clerici sunt,sunt etiam cives,& partes quædam Communitatis,ac Reipublicæ, proindeq;ut tales civilibus legibus subdi debent. Unde etiam,ut idem observat, in publicis precibus Clerici pro Regibus orantes dicunt se orare *Pro rege nostro*, &c. quibus verbis se illius subditos esse profitentur.

Quæritur 3. utrum pueri ante usum rationis legibus teneantur. Communis, & certa Theologorum sententia est, non teneri, ut docent Paludanus, Sotus, Azorius, & alii apud Laymann. tract. 4. de legib. c. 10. Eademque est ratio de perpetuo amentibus, ut ibidem dicitur. Lex enim est præceptum rationale, cujus proinde capaces non sunt, qui ratione carent.

Quæritur 4. utrum Legislator propria lege teneatur. Respondet S. Thomas sup.ar.5.ad 3.Legislatorem non obligari lege sua quoad vim coactivam,cū nullus proprie a seipso cogatur: lex autem non habet vim coactivam,nisi ex potestate Legislatoris, & eo sensu Princeps in Jure Civili dicitur solutus a lege, eo quod nullus in ipsum possit condemnationis sententiam ferre, si contra legem agat; obligari tamen lege a se lata quoad vim directivam.unde S.Matth. 23. reprehenduntur a Christo Domino *illi,qui dicunt,& non faciūt, & imponunt aliis onera gravia,& importabilia,digito autē suo nolunt ea movere*. Quod tamen intelligi debet, ut recte observat Gammachæus ad quæst. 96. c. 5. de legibus illis, quæ nihil continent Legislatoris, seu Principis dignitati contrarium, aut repugnans. Alioqui enim, si versetur lex in tali materia, quæ sit contra dignitatem Principis, certum est, illum ejusmodi lege nullateuus obligari. E. g. si feratur lex, ne quis Palatium ingrediatur cum ense, manifestum est, hanc legem non obstringere Principem, cujus proprium est *gladium portare*, ut dicit Apostolus Rom. 13. Quod similiter etiam dici debet, si lege aliqua prohibeatur, ne quis audeat venari cervos in sylva; ne quis aurum, vel sericum in vestibus habeat, &c. ut per se patet.

5.Quæritur 5.quandonam lex obligare incipiat. Respondetur cum distinctione. Vel enim quæstio est de obligatione generali, quam secū lex humana semper invehit,eo ipso quo lex est,ut ex ante dictis con-

stat,

stat, vel de obligatione particulari, qua subditus quisque ad illius legis observationem tenetur, ita ut si contra illam faciat, peccet. Si primum, dicendum est, legem obligare incipere, cum sufficienter, ac debite promulgata est. Tunc autem sufficienter, ac debite promulgata censetur, secundum probabiliorem Theologorum sententiam, cũ in ipsius Principis Curia promulgata est, ut docent Sylvester, Sotus, Navarrus, Azor. Suarez, & alii apud Laymann. tract. 4. de leg. c. 2. quod tamen intelligendum est, salvis Regnorum, ac Provinciarum consuetudinibus, seu juribus, aut privilegiis specialibus, quæ interdum requirunt, non in uno solo, sed in multis & variis locis legum promulgationem fieri, ut recte monet Sotus lib. 1. de just. & jur. q. 1. a. 4.

Si vero secundum, id est si quæstio sit de obligatione cujusque particularis ad legem servandam, dicendum est, ad hoc requiri, ut lex ad illius notitiam venerit, aut venire potuerit; alioqui quandiu talem legem latam esse invincibiliter ignoraverit, ad illam servandam minime tenebitur, neque eam transgrediendo peccabit, ut docent Navarrus, Sotus, Vasquez, & plures alii apud Layman. supra, quod etiam declaratur in Sexto, cap. 1. de concess. præbend. ubi dicitur, quod *Lex, seu constitutio, & mandatum nullos astringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut nisi post tempus, infra quod ignorare minime debuissent.*

6. Quæritur 6. an præter ipsius legis promulgationem, necessaria sit ejusdem acceptatio a subditis facta, ad hoc ut obligandi vim habeat. Duæ sunt super hac quæstione Theologorum sententiæ. Quidam enim, ut Major, Navar. & alii apud Laym. sup. c. 3. affirmativam partem amplectuntur, asseruntque, ad hoc ut lex vim, & robur suum habeat, requiri, ut a majori parte communitatis acceptetur, vel saltem ut non improbetur, vel repudietur. Alii contra negant, legem a populi acceptatione pendere, sed vim, & robur suum accipere a legitima auctoritate Legislatoris. Ita Joan. Medina, Valentia, Suarez, & alii apud Laymann. supra, quorum sententia probabilior videtur esse, & in praxi tenenda. Et quamvis priori sententiæ tanquã probabili vellet quis adhærere, fateri nihilominus deberet, peccare subditos legem Principis justam acceptare nolentes, eamque ausu temerario improbantes, & abjicientes, quando præsertim nulla ratione legitima ad id inducuntur, cum lex Divina obedientiam subditorum erga Principes aperte præscribat.

SECTIO IV.

Undenam dignosci possit, utrum lex humana sub mortali culpa obliget.

1. TRia sunt præcipua capita, ex quibus communiter Doctores inferunt, legem aliquam humanã sub mortali culpa obligare. Primum petitur, ut docet Navarrus c. 21. Man. num. 50. ex ipsius legis

legis verbis, quibus plerũque obligatio sub gravi peccato diserte exprimitur, ut cũ aliquid præcipitur, vel prohibetur *sub interminatione Divini judicii, vel maledictionis æternæ, aut sub indignatione omnipotentis Dei*, aliave simili formula. Observat tamen idẽ Navarrus supra, non omnia verba præceptiva, qualia sunt ista, *teneatur, obligetur*, itẽ *præcipimus, mãdamus, prohibemus*, & similia satis exprimere, an lex obliget sub mortali, cũ interdũ reperiantur adhibita in legibus illis, quæ tantum sub veniali obligant, proindeque id dignoscendum esse vel ex aliis verbis adjũctis, vel ex materia ipsius legis, ut mox dicetur.

Secundum petitur, ut docet Azorius tom. 1. l. 5. c. 6. q. 5. ex gravitate pœnæ, quam lex comminatur, & transgressoribus infligit, cujusmodi est in legibus Ecclesiasticis excommunicatio major, degradatio, &c. in legibus item civilibus pœna capitis, aut perpetui carceris, vel publicationis bonorum, &c. Hæ siquidem pœnæ cum juste infligi non possint, nisi ob grave aliquod delictum, hinc sequitur, quotiescunque lex humana, quam justam esse supponimus, ejusmodi pœnas comminatur, & transgressoribus infligit, transgressionem illius esse peccatum mortale.

Tertium desumitur, ut tradit idem Azorius supra, ex qualitate materiæ, circa quam lex versatur. Si enim materia legis gravis sit, censebitur obligare sub peccato mortali, si levis, sub veniali. Materia autem illa censetur esse gravis, non modo quæ per se, & absolute spectata semper, & in omni eventu talis est, sed etiam illa, quæ licet secundum se præcise considerata levis sit, ratione tamen circumstantiarum temporis, loci, &c. judicio viri prudentis gravis esse censetur, quia scilicet in talibus circumstantiis plurimum conducit ad commune bonum. E. g. urgente fame, & penuria publica, legis illius materia gravis esse censetur, qua vetitum foret, ne quis triticum in alienas Provincias exportaret.

2. Cum igitur de his tribus conveniat inter Doctores, controversum est inter illos, utrum sola Legislatoris intentio sufficiat ad hoc, ut lex ab eo lata sub mortali obliget, quamvis ejus materia levis sit. Omissis variis Theologorum sententiis, probabilissime loqui videntur ii, qui docent, legem in materia levi non posse obligare ad mortale peccatum, quantumvis Legislator hoc intendat, intentionemque suam verbis disertis exprimat. Ita Dominicus Sotus l. 1. de lege pœnali c. 5. Bellarminus l. 3. de membris Ecclesiæ c. 11. & plures alii. Quorum præcipua ratio est, quod lex injusta nullam inducat obligationem ex ea parte, qua injusta est: unde S. Aug. l. 1. de lib. arb. c. 5. *Lex illa*, inquit, *quæ justa non fuerit, lex non sit*; atqui lex illa, in qua, licet ejus materia levis esset, Legislator intenderet obligare ad peccatum mortale, proindeque ad pœnam æternam, ex illa parte non esset justa; sicut lex illa justa non censeretur, quæ pœnam mortis temporalis ob leve aliquod delictum decerneret; ergo

ad

ad peccatum mortale non obligaret, quantumvis Legislator obligare intenderet.

3. Quæres, an, sicut lex in materia levi sub peccato mortali nō obligat, licet Legislator obligare intendat, sic e contra in materia gravi obliget sub mortali, quamvis Legislator intendat solum obligare sub veniali. Navarrus c.23. num. 49. Joannes Medina cod. de jejunio, qu. 7. & quidam alii existimant obligare tunc solummodo sub veniali. Quorum sententia quamvis probabilis sit, probabilior tamen, & magis in praxi tuta est contraria, quæ asserit, legem in materia gravi obligare sub mortali peccato quantumvis Legislator intendat solum obligare sub veniali. Ita Driedo de liber. Christiana c. 3. ad 1. Franciscus a Victoria relectione de potestate civili, num. 19. Bartholomæus Medina ad q. 96. a 4. & Bellarm. supra. Ubi recte observat in resp. ad 7. argumentum, ex intentione quidē Legislatoris pendere, an velit re ipsa imperare, & veram legem condere, an vero solum ostendere, quid agendum sit sine alio imperio; sed si velit serio imperare, & veram legem condere, non esse in ejus potestate impedire, quin lex obliget ad mortale, vel veniale, pro rei magnitudine, vel parvitate.

4. Supersunt adhuc duæ circa præsentem materiam difficultates. Prima est, an lex humana sub peccato mortali obligans obliget etiam cum periculo vitæ. Quidam Theologi absolute negant, sed alii longe probabilius distinctione utendum esse existimant. Vel enim lex humana talis est, ut illius observatio bono communi tuendo sit necessaria, ita ut ex illius transgressione grave aliquod detrimentum in totam communitatem derivetur. E. g. legem fert Episcopus tempore pestis grassantis, ne Sacerdotes ex locis peste infectis discedant, in quibus, Pastoribus defunctis, nulli aderunt, qui pereuntibus Sacramenta ministrent: item Imperator in lege lata prohibet, ne milites in excubiis stationes suas deserant, ne scilicet ex desertione stationis strages, & profligatio totius exercitus sequatur. In illis enim casibus Sacerdotes, ac milites etiam cum periculo vitæ obedire tenentur, cum bonum privatum secundum rectam rationem bono communi postponi debeat.

Vel talis est illa lex, ut illius observatio solum particulare bonum respiciat, ut jejunium, auditio Missæ, &c. Tunc enim, quamvis lex illa sub mortali obliget, non tamen obligat cum vitæ, aut etiam sanitatis amittendæ, vel gravis alicujus damni, aut incommodi subeundi periculo, cum nulla tunc suppetat ratio, cur Legislator cum tanto damno, vel periculo ad legum suarum observationem obliget. Ita Sotus in 4. dist. 22. q. 1. a. 4. Valentia dis. 7. de lege humana, Vasquez, Suarez, & alii apud Laym. c. 14. de legibus. Qui tamen id limitat, dummodo nullus legis, vel Legislatoris contemptus, nullum item ex violatione legis immineat grave scandalum. Unde S. Aug. dicit, lib. de bono conjug. c. 16. *Satius esse fame mori, quam idolothytis vesci*,

sci, cum scandalo scilicet, vel Religionis contemptu.

5. Secunda difficultas est, an sint aliquæ leges pure pœnales, id est quæ ad solam pœnam obligent, & ex quarum transgressione nullus peccati reatus incurratur. Quidam Theologi affirmant, alii tamen probabilius negant, quorum plures citat, & sequitur Bellarm. l. 3. de memb. Eccl. c. 11. dicitque implicare contradictionem, Legislatorem obligare ad pœnam, & non ad culpam, cũ culpa, & pœna sint correlativa, nec illa lex justa videatur, quæ pœnam adversus insontes decerneret: unde asserit, regulas illas quorundam Religiosorum, quæ ad solam pœnam obligant, non per modum legis obligare, sed per modum cujusdam conventionis, & pacti. S. Doctor recte observat 2. 2. q. 186. a. 9 ad 1. *non omnia, quæ in lege humana continentur, tradi per modum præcepti, sed quædam proponi per modum ordinationis cujusdã obligantis ad solam pœnam*; quod in quibusdam legibus locum habere censet Navarrus c. 23. Man. ut quando neque ex Legislatoris declaratione, neque ex qualitate pœnæ, neque ex detrimenti publici gravitate dignosci clare potest, an lex aliqua civilis pœnalis obliget sub culpa. Tunc enim, ut ibidem docet, quivis poterit id in favorabiliorem partem interpretari, ac sibi persuadere, hanc non tam legem esse, quam ordinationem quandam, quæ proinde ad nullam culpam obliget, sed pœnam tantum veluti conditionem quandam proponat, ut diligentius, & fidelius observetur.

SECTIO V.

In quibus personis resideat legum ferendarum potestas.

1. CUm leges humanæ duplicis sint generis, Ecclesiasticæ scilicet, & Civiles, duplex etiam est Legislatrix potestas, Ecclesiastica nimirum, & Civilis. De utraque breviter hic agendum est.

Ac in primis observandum est, primam, & præcipuam conditionem in Legislatore, sive Ecclesiastico, sive Laico requisitam, esse legitimam in foro exteriori jurisdictionem, id est legitimam auctoritatem, ac potestatem publicam ad regimen, & gubernationem Communitatis alicujus. Hæc autem jurisdictio duplex est, alia ordinaria, quam quis ratione proprii muneris, & officii obtinet; alia delegata, quam non ex munere, vel officio, sed ex commissione, & facultate sibi concessa exercet.

Rursus alia est jurisdictio contentiosa, alia voluntaria. Ad illam pertinet leges condere, prohibere, punire, causas, seu lites tũ civiles, tum criminales dirimere, &c. Quamobrem proprium tribunal postulat, quod contentiosum dicitur a partium contentione. Voluntaria autem jurisdictio versatur circa alios publicę potestatis actus, quales sunt legitimare, dispensare, conferre Beneficia, &c. Differunt vero inter se, quod illa etiam in invitos exerceri possit, hæc non nisi in volentes,

lentes, unde etiam nomen accepit. Deinde jurisdictio contentiosa extra proprium territorium non extenditur. Ut enim dicitur c.2.de constitut.5. *Extra territorium jus dicenti impune non paretur.* Ex quo fit,ut nec Synodales Constitutiones, nec aliæ leges alicujus Diœcesis particulares extra illius territorium obligent, nec Diœcesani, quando illinc absunt, ad earum observationem, v.g. ad celebrationem Festorum illius Diœcesis particularium teneantur: sicut e contra peregrini,& advenæ, dum in illa Diœcesi commorantur, vel per illam iter faciunt, leges illius, & consuetudines particulares servare tenentur. Voluntaria autem jurisdictio extra proprium territorium valide, & plerunque licite potest exerceri,quando scilicet nulla inde oritur cujusquam offensio, nullumve scandalum. Ita Suarez, Navarrus,Sylvester, & alii plures apud Laymann. tract.4. de legib. cap.5. & 11.

2.Observandum 2. hanc utranque potestatem legislativam inter se differre ratione originis. Ecclesiastica enim potestas immediate a Deo instituta est: Civilis vero, quamvis a Deo sit, *non enim est potestas, nisi a Deo*, inquit Apostolus Rom. 13. non tamen est immediate ex institutione illius, sed ex ipsorum hominum institutione. Ratio enim naturalis ipsis hominibus divinitus indita, sicut homines ad vitæ societatem adigit, sic etiam dictat, societatem humanam diu constare non posse, nisi publica aliqua potestate gubernetur. juxta illud Sapientis: *Ubi non est Gubernator, populus corruet*. Unde providentiæ Divinæ suavi moderamine factum est, ut homines ubique terrarum aliquam regiminis formam inter se constituerent, & alii quidem communi consilio seipsos regerent, alii vero penes aliquos Optimates, vel penes unum Principem, seu Regem, aut Imperatorem auctoritatem omnem, ac jurisdictionem transferrent. Hinc Rerumpublicarum, Regnorumque, ac Imperiorum variæ formæ exortæ sunt, factumque est, ut ad regimen communitatis alii Democratiam, alii Aristocratiam, alii vero Monarchiam amplecterentur. Quæ quidem Monarchia, ut id obiter dicamus, hoc præ cæteris habet, quod proxime ad totius mundi summi moderatoris Dei regimen accedat, primamque illam, & æternam Divini imperii formam perfectius imitetur.

Differt præterea hæc utraque potestas ratione objecti. Potestas enim Ecclesiastica per se, ac directe versatur circa res spirituales ad cultum Divinum, & salutem animarum pertinentes; potestas vero Civilis per se, ac directe temporalem solum commoditatem, ac pacem spectat, ut colligitur ex 1. ad Timoth. 2. ubi Apostolus orare jubet *pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus*.

His prænotatis,videndũ est,in quibus personis resideat potestas ferendarum legum,præsertim Ecclesiasticarum, quæ nostrum institutũ magis spectant. Quod in sequentibus paragraphis investigabimus.

§. I.

§. I.
De Romano Pontifice.

1. DIcendum 1. inter Legislatores Ecclesiasticos Romanum Pontificem, tanquam S. Petri successorem, ipsiusque Christi Domini Vicarium, ac summum totius Ecclesiæ Pastorem, primum, ac præcipuum locum tenere.

Prob. 1. ex Script. S.Matth.16. ubi Christus Dom. S. Petrum alloquens, *Tu es Petrus*, inquit, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Et S. Jo. 21. eidem dicit, *Pasce agnos meos, pasce oves meas*. Quæ verba expendens S. Bernard. l.1.de consid. *Non modo*, inquit, *ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor. Unde id probem, quæris? ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed Apostolorum, sic absolute, & indiscrete totæ commissæ sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas; quas? illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certe regni? oves meas*, inquit. *Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

Probatur 2. ex Concilio Chalced. act. 2. & 3. ubi passim S. Leo Papa vocatur *Universalis Ecclesiæ Pontifex*: & in Synodo VII. generali, act. 2. in Epist. Adriani ibidem lecta, & recepta dicitur, *Romanam Sedem per totum terrarum orbem primatum obtinere, omniumque Ecclesiarum Dei caput existere.*

Prob.3.ex S.Ambrosio in c.3.1.ad Timoth. *Cum totus* (inquit) *mundus Dei sit, tamen domus ejus Ecclesia dicitur, cujus hodie rector Damasus*. & S. Hieron. Ep. ad eundem Damasum, *Ego*, inquit, *nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio*, &c. *Quicunq; tecum non colligit, dispergit*. & Sancto Prospero carmine de ingratis, *Sed Roma Petri, quæ pastoralis honoris facta caput mundo*, &c.

2. Dicendum 2. in materia Fidei, aliisque rebus, quæ ad mores, ac disciplinam Ecclesiasticam pertinent, Romanum Pontificem esse summum Legislatorem, & Judicem.

Hæc veritas, quæ indubitanter ab omnibus tenenda est, evidentius, ac melius demonstrari non potest, quam ex continua praxi totius Ecclesiæ, in qua id constanter, & religiose servatū est, ut quoties oriretur controversia aliqua, vel difficultas in materia Fidei, aut in rebus ad mores, & disciplinam Ecclesiasticam spectantibus, toties Apostolica Sedes consuleretur: cujus rei fidem faciunt innumera prope responsa, statuta, decreta Romanorum Pontificum, ex quibus totum ferme Juris Canonici corpus conflatum est. Unde summa cum ratione Innocentius Papa in Epist. ad Patres Concilii Carthag. quæ inter Augustinianas numeratur 4. dicit, *Non humana, sed Divina decretum esse sententia, ut quidquid de disjunctis, remotisque provinciis*

ageretur, non prius (alii Episcopi, & Ecclesiæ Præsules) ducerent esse finiendum, quã ad Romanæ Sedis notitiam perveniret, cujus auctoritate justa quæ fuerit pronũciatio firmaretur. & Ep. 93. ad Patres Concilii Milevitani: *Diligenter, inquit, & congrue Apostolico consulitis honori, honori, inquam, illius, quem præter illa, quæ sunt extrinsecus, solicitudo maneat omniũ Ecclesiarum, super anxiis rebus, quæ sit tenenda sententia antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper orbe mecum nostis esse servatam*, &c. *scientes, quod per omnes provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanẽt, præsertim quoties Fidei ratio ventilatur.* Quod etiam optime explicavit Bernardus Ep. 90. ad Innoc. II. ubi sic Pontificem alloquitur: *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in Regno Dei, & præsertim quæ de Fide contingunt. Dignũ namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna Fidei, ubi non possit Fides sentire defectum. Hæc quippe est hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est, Ego pro te rogavi, ut non deficiat Fides tua?* Quare merito unusquisque Fidelium S. Petri Chrysologi monitum in Ep. ad Eutychem auscultare, illudque animo inscribere deberet: *Hortamur te, inquit, frater, ut his, quæ a beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, præstat quærentibus Fidei veritatem.*

§. II.
De Conciliis.

1. Concilia, quæ in Ecclesia celebrari solent, alia sunt Oecumenica, seu generalia, quæ Summi Pontificis auctoritate, convocatis ex orbe universo Episcopis, congregata sunt, alia non Oecumenica, seu particularia, quæ inferiorum Prælatorum auctoritate, ex aliqua provincia particulari, vel natione convocantur. De utrisque breviter hic agendum est. Atque in primis, quod spectat ad Concilia generalia,

Dicendum 1. Concilia generalia plenissimam habere potestatem condendi leges pro totius Ecclesiæ regimine ad earumq; observationẽ omnes, & quoscunque Fideles obligandi. Hæc veritas in confesso est apud omnes, cum generalia Concilia legitime congregata universalem Ecclesiam repræsentent, Christusq; Dominus expressis verbis dixerit S. Matth. 18. ut, *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tanquam ethnicus, & publicanus.* Sed difficultas est, quænam sint illa Concilia generalia, quæ pro legitimis haberi debeant. Pro cujus resolutione

2. Dicendum 2. Concilia generalia legitima illa esse, quæ Romani Pontificis auctoritate congregantur, & in quibus vel per se, vel per Legatos præsidet. Prior hujus assertionis pars probatur ex antiquissimo canone, in quo statuitur. *Præter sententiã Romani Pontificis Concilia*

tilia celebrari non posse: quem Canonem Apostolicum esse, testatur S. Marcellus Papa in Ep. ad Episcopos Antiochenæ provinciæ, illumque renovavit Concilium Nicænum I. ut habetur in Ep Synodi Alexandrinæ ad Felicem, & in Epist. Julii I. ad Episcopos orientales. Probatur item ex Concilio Chalced. act. 1. ubi Dioscorus Patriarcha Alexandrinus prohibetur sedere inter Episcopos, eo quod Synodum generalem convocare ausus fuisset sine auctoritate Apostolicæ Sedis, *Quod*, ut ibi dicitur, *nunquam licuit, nunquam factum est*: & ex Concil. VII. generali act. 6. ubi reprobatur Concilium quoddam Constantinopolitanum, eo quod sine consensu Romani Pontificis ab Imperatore convocatum fuisset.

3. Secunda pars assertionis, nimirum Concilia illa generalia solummodo pro legitimis habenda esse, in quibus Summus Pontifex per se, vel per Legatos præsidet, melius probari non potest, quam inductione breviter facta per antiquissima Concilia generalia (de recentioribus enim Conciliis id planum, & evidens est) in quibus Romanus Pontifex per se, vel per Legatos suos præsedisse refertur. In Concilio enim Apostolico, de quo mentio fit Act. 15. præsedit S. Petrus, ut docet, & probat S. Hieronymus Ep. ad S. Aug quæ est inter Augustinianas 11. In Conc. Nicæno I. anno 327. Hosius Episcopus nomine S. Sylvestri Romani Pontificis præfuit, ut patet ex illius subscriptione, quæ omnium Prælatorum, etiam Patriarcharum, qui Synodo interfuerunt, subscriptiones præcedit, ideoque a S. Athanasio Ep. ad solit. vit. agentes. princeps illius Concilii vocatur. In Conc. Ephesino anno 431. præsedit S. Cyrillus Alexand. nomine Cœlestini Romani Pontificis, ut testatur Evagrius l. 1. dist. cap. 4. & S. Prosper in Chronico, & aperte constat ex Epist. ipsius Cœlestini ad præfatum S. Cyrillum, in qua vices suas illi demandat. In Concil. etiam Chalcedonensi an. 451. Paschasius, & Lucensius Episcopi præfuerunt nomine S. Leonis Papæ, ut constat ex actis ipsius Synodi, præsertimque ex Epist. illius ad S. Leonem, quæ habetur act. 3. ubi idem S. Leo dicitur Episcopis ipsius Synodi tanquam membris caput præfuisse, in his, qui ejus tenebant ordinem.

4 Dicendum 3. sicut Summi Pontificis est Concilia Generalia convocare, iisq; præsidere, sic etiam ad Episcopos jure proprio, & ordinario pertinere, ut in iis sedeant non solum ut consiliarii, sed etiam tanquam legitimi judices in rebus ad Fidem, & disciplinam Christianam spectantibus. Id aperte constat ex perpetua ipsius Ecclesiæ praxi, & ex actis Conciliorum generalium, in quibus Episcopi sententiam tanquam judices dixerunt, & illorum decretis subscripserunt.

Quamvis autē jure ordinario soli Episcopi in generalibus Conciliis tanquam judices interesse possint, ex privilegio tamen, & consuetudine id aliis etiam quibusdam personis Ecclesiasticis competere posse, tradit Bellarm. l. 1. de Conc. c. 15. ut Cardinalibus, &c.

S 2 Quod

Quod spectat ad alia Concilia, quæ universalia non sunt, observandum est, illa triplicis esse generis. Alia siquidem sunt Nationalia, quæ convocatis alicujus Regni, seu nationis Episcopis a Primate, vel Patriarcha indicuntur, alia Provincialia, quæ ab Archiepiscopo convocatis Provinciæ sibi subjectæ Episcopis, alia denique Diœcesana, quæ Episcopi auctoritate celebrantur.

5. Porro ad hoc, ut Concilia ejusmodi particularia leges in propriis territoriis obligantes condere possint, consensus, vel approbatio Summi Pontificis minime requiritur, ut docet Laymannus tr. 4. de leg. cap. 7. dummodo nihil in iis contra universales Ecclesiæ leges decernatur. Quod autem aliqui Doctores existimant, statuta ejusmodi Conciliorum particularium, si a Summo Pontifice approbentur, & confirmentur, totius Ecclesiæ Fideles obligare; id intelligendum est, si ab illo approbata sint, & confirmata eo animo, ut ad ejusmodi statutorum observationem velit omnes ubique terrarum Fideles obligare; (quod ex verbis approbationis, seu confirmationis dignosci potest) secus, si approbatio illa, seu confirmatio ad majorem tantum vim, & stabilitatem ejusmodi statutorum a Summo Pontifice concedatur, tunc enim extra proprium territorium obligare minime censentur.

§. III.

De Episcopis, aliisque Ecclesiæ Prælatis.

1. Certum est in primis, Episcopos ex Divina institutione in Ecclesia positos fuisse ad illius regimen, & gubernationem, ut manifeste constat ex his Apostoli verbis Act. 20. *Posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei*, proindeque legum ferendarum potestatem penes illos esse respectu sibi subditorum.

Certum est etiam, ex eadem institutione Divina, Episcopos superiores esse Presbyteris, non solum quoad Ordinis dignitatem, ut in tractatu præcedente dictum est cap. 7. sed etiam quoad regiminis auctoritatem, seu jurisdictionem. Id aperte colligitur ex Epist. ad Timoth. cap. 4. ubi Apostolus formam præscribit, sub qua Episcopus accusationem adversus Presbyterum recipere debet: ex quo sequitur Episcopum esse Presbyteri judicem, ac proinde superiorem. Unde in Concilio Neocæsariensi can. 13. dicitur, Episcopos Apostolis, Presbyteros vero Discipulis Christi in Ecclesiastiea Hierarchia successisse: quod etiam docet S. August. in Psal. 44. Et in Conc. Trid. sess. 23. can. 7. anathema profertur in eum, qui dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores.

2. Certum est præterea, ununquenque Episcopum in propria tantummodo Diœcesi, non vero in tota Ecclesia, auctoritatem, & jurisdictionem obtinere. Unde Concilium Constantinop. I. can. 3. declarat, quod *Episcopi non invitati ultra Diœcesim accedere non debent super*

per ordinandis aliquibus, vel disponendis Ecclesiasticis caussis: quod etiam decretum est cap. *Nullus Primas*, 9. qu. 7.

Certum est denique, quod, sicut auctoritas, & jurisdictio respectu subditorum Episcopo competit, sic etiam ipsi Episcopo a subditis honor, & obedientia deferri debet, juxta illud Apost. Heb. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis*, &c. Unde S. Ignatius Martyr in Epistola ad Trallianos, *Episcopo*, inquit, *subditi estote, sicut Domino*. Et in Concilio Chalcedonensi act. 15. can. 8. statutum est, ut *Clerici Basilicis, Monasteriis, & aliis Ecclesiis adscripti, secundum sanctorum Patrum traditiones, sub Episcopi potestate permaneant, nec per contumaciam ab Episcopo suo desiliant: qui vero audeant vertere ejusmodi formam, quocunque modo, nec proprio subjiciantur Episcopo, Canonum correctionibus subjacebunt*.

3. Quod spectat ad alios Ecclesiæ Prælatos, breviter dicimus, præter Romanum Pontificem, aliosque Episcopos, quasdam alias Dignitates in Ecclesia reperiri ad majorem ipsius tum utilitatem, tum decorem, ac in primis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Summo Pontifici assistere, ipsumque in regenda Ecclesia universa consilio, & opera juvare, de quibus plura videri possunt apud Bellarm. lib. 1. de Clericis c. 16. Patriarchas item, ac Primates Archiepiscopis, seu Metropolitanis supereminere, & istos aliis Episcopis, ita ut (sicut habetur cap. *Si inter*, 6. q. 4.) ab Episcoporum judicio ad Archiepiscopos, & Metropolitanos appellari possit, & ab istis ad Primates, & Patriarchas, ac demum ad Roman. Pontificem, cujus judicio controversiam quamcunque ad res, aut personas Ecclesiasticas spectantem dirimi, ac definiri oportet.

Ubi tamen observandum est, adversus Episcopos propter eminentiam dignitatis in caussis criminalibus gravioribus, nec sententiam ferri, nec etiam juridice inquiri, aut procedi posse, absque Sedis Apostolicæ auctoritate, ut in pluribus Canonibus sancitum habetur, ac novissime in Conc. Trid. sess. 24. cap. 5.

SECTIO VI.

Quibus modis cessare possit obligatio servandæ legis humanæ.

1. Dicendum 1. legis humanæ servandæ obligationem cessare posse per abrogationem illius, ac proinde legem ipsam humanam, ob caussas aliquas justas, & rationabiles, posse aliquando abrogari. *Nec enim* (ut loquitur Innocentius in Concilio Lateranensi generali, & refertur cap. 8. de consang. & affinit.) *debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit; quoniam ipse Deus ex his, quæ veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo.*

Dicendum 2. Legē humanam abrogari posse tum illius desuetudine, vel contraria consuetudine, ut Sectione sequenti dicetur, tum etiam voluntate Principis, qui legē tulit, aut Successoris, vel Superioris illius. Certum est enim, Principem, qui legem tulit, posse illam revocare, & abrogare. Eadem enim potestas, quæ ad legem ferendam requiritur, sufficit ad illam abrogandam, cum juxta regulam Juris, *res omnis per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvi possit*.

Certum est etiá, id ipsum ab ejus Successore posse fieri, cum tanta sit potestas Successoris, quanta fuit illius, qui legem tulit; sicut ergo potest hic legem a se latam revocare, sic & ille poterit. Et cum par in parem non habeat imperium, non potest huic ille valide præcipere, ne legem a se latam revocet. Certum est denique, Superiorem inferioris legem posse abrogare. Sicut enim inferior subditur Superiori, sic ejus potestas Superioris potestati subdita est. Unde per quandam eminentiam potest quidquid inferior, qui sicut legem a se latam revocare potest, sic etiam poterit ejus Superior.

Dicendum 3. cessare quoque obligationem servandæ legis, quando illius causa & ratio cessat, ut docet S. Doct. 1.2. qu. 103. art. 4. quia, ut habetur c. *Cum cessante*, de appellationibus, *Cessante causa, cessat effectus*, & sicut lex ab initio non subsisteret, si absque causa, & ratione aliqua lata esset, ita desinente causa, & ratione ob quam lata est, ipsa etiam esse, ac proinde obligare desinit. Quod tamen intelligi debet in praxi, quando certum est, & evidens causam ejusmodi legis cessare; alias si aliqua dubitandi ratio subsit, tutius est adire Superiorem, nihilque inconsulto illo contra legis tenorem attentare.

2 Quod si lex plures in se partes contineat, quæ ab invicem disjungi possint, tunc, ut recte monet Suarez lib. 6 de leg. c. 9. quamvis cesset causa, & ratio alicujus partis, potest tamen alterius ratio & causa perseverare, sicque lex censebitur secundum illam partem semper obligare. Ut enim habetur in regulis Juris, *Utile per inutile non debet vitiari*.

Dicendum 4. legis servandæ obligationem cessare præterea per legitimam Superioris dispensationem. Ita S. Th. variis in locis, sed præsertim 2. 2. q. 88. a. 1. ad 2. ubi, quid sit dispensare, explicat his verbis: *Cum dispensatur in lege humana, non fit, ut legi humanæ non obediatur, quod est contra legem naturæ, & mandatum Divinum, sed fit, ut hoc, quod erat lex, non sit lex in eo casu*, respectu scilicet illius, cum quo dispensatur. Sicut enim ex causa rationabili potest legislator, aut ejus successor, vel superior legem revocare, & abrogare, ut supra dictum est, sicque omnes subditos ab observatione illius eximere, sic poterit a fortiori ex rationabili causa aliquem particularem sibi subditum ab illius servandæ obligatione eximere & sic cum illo super ea lege dispensare.

3. Quæres, an dispensatio cócessa sine causa justa, & rationabili va-

lida

lida sit, & licita. Respondetur, validā quidem esse, ut docent Innoc. Navar. & plures alii, quos citat, & sequitur Sanchez lib. 8. de disp. dis. 17. num. 27. sed tamen illicitam respectu tum Superioris dispensantis, tum subditi dispensationem illam postulantis, & acceptantis, ut docet S. Tho. 1.2.q. 97. art.4. Unde Conc. Trid. sess. 24. c.5. & sess. 25. c. 18. dicit, dispensationes non nisi urgenti, & justa ratione, causa cognita, & summa cum maturitate concedendas esse.

Quale autem peccatum sit absq; justa causa dispensare, non consentiunt inter se Doctores Quidā enim, ut Navarrus prælud. 9. n. 14. & Sotus l. 1. de justitia q.7. art. 3. arbitrantur, Superiorem sine justa causa in propria lege dispensantem peccare tantum venialiter: alii, ut Suarez lib. 6. de lib. c. 16. & Valentia tom. 2. disp.7. q. 5. punct. 6. asserunt peccare mortaliter. Probabilius tamē loqui vidētur illi, qui id ex qualitate legis, ac dispensationis dijudicandum esse asserunt. Si enim ex illa dispensatione scandalum aliquod, aut damnū temporale, aut spirituale oriatur, tunc peccatum erit mortale, si vero nullum ejusmodi scandalum, aut damnum subsit, erit tantum veniale.

4. Quæres 2. an inferior aliquando dispensare possit in lege superioris. Respondetur, id neq; licite, neq; valide fieri posse. nisi quando gravis aliqua urget necessitas, nec nisi valde difficilis ad superiorem patet recursus. Excipitur tamen casus, in quo dispensandi facultas inferiori generali aliqua lege, vel speciali privilegio concessa sit, vel aliqua legitime præscripta consuetudine comparata. Quæ quidem fusius explicata videri possunt apud Laym. tract 4. de leg. c.22.

Quæres 3. an Prælati, & Superiores possint secum dispensare in iisdem casibus, in quibus cum aliis dispensare possent. Respondetur, posse non modo valide, sed etiam licite, tum committendo alteri, v. gr. Confessario, aut Vicario, facultatem, ut secum dispensare possint in iis, in quibus possent cum subditis dispensare, tum etiam directe secum dispensando ob easdem causas, ob quas juste, & rationabiliter cum subditis dispensare possent, ut fusius explicat, & probat Sanchez, lib. 8. de disp. disp. 3. & seq.

5. Dicendum 5. legis servandæ obligationem in aliquo casu particulari cessare posse per ipsius legis interpretationem, quæ fit per virtutem illam, quam Theologi epikejam, seu æquitatem vocant cujus proprium est (ut docet S.Th. 2.2.q.120. ar. 1.) legem humanam universim aliquid præcipientem in aliquo particulari casu, in quo cessat illius obligatio, vel interpretari, vel emendare. Cum enim (ut idem declarat) actus humani, de quibus lex fertur, in singularibus contingentibus consistant, quæ variari possūt infinitis prope modis, quos Legislator prævidere nequit, qui cum in ferenda lege communem spectet utilitatem, ad id præsertim attendit, quod in pluribus accidere solet: hinc fit, ut aliqui casus occurrere possint, in quibus lex ipsa deficiat, ita ut non solum tunc nulla sit ad illam servandam

obligatio, sed ne ejus quidem observatio licita sit. E. gr. lex, quæ jubet, ut deposita restituantur, justa est, & tamen contingere potest aliquando, ut proditor, vel furiosus arma deposita reposcat, ille ad patriæ impugnationem, hic ad sui, vel alterius necem, in quibus casibus manifestum est, restitutionem depositi, quamvis lege præscriptam, nihilominus esse contra rationem, ac proinde illicitam. Quare necesse est tunc legem illam vel interpretari, vel emendare, Legislatoris potius mentem, quam verba sequendo. Hinc Cœlestinus Papa cap. *Humanæ aures 22. q. 5. Non debet*, inquit, *aliquis verba considerare, sed intentionem, ac voluntatem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni*. Porro intentio, & voluntas Legislatoris tum ex materia legis, tum ex ejusdem circumstantiis, tum præsertim ex illius fine, & causa, seu ratione, ob quam lex ipsa lata est, intelligi poterit.

SECTIO VII.

An, & qua ratione consuetudo vim legis obtineat.

1. Nomine consuetudinis (ut explicat S. Doct.) intelligitur frequentia libere operandi eodem modo, & alio nomine appellatur mos populi, idest actus palam, & publice frequentatus. De consuetudine autem eo modo intellecta

Dicendum 1. consuetudinem aliquando vim legis obtinere posse. Ita S. Doctor 1.2. q.97. ar.3. & patet ex usu communi tum Rerumpublicarum, tum etiam ipsius Ecclesiæ. Constat enim, in variis Regnis, & Provinciis, imo & in ipsa Ecclesia plurima recepta esse, & tanquā obligantia observari, quæ tamen nulla lege positiva, sed sola consuetudine introducta sunt. Unde S. August. Epist. 86. ad Consulanum, *Mos*, inquit, *populi Dei, & instituta Majorum pro lege tenenda; & sicut prævaricatores legum Divinarum, ita & contemptores consuetudinum Ecclesiasticarum coercendi sunt*.

Dicendum 2. ad hoc ut consuetudo aliqua vim legis obtineat, quatuor præsertim conditiones requiri. Prima est, ut consuetudo illa sit rationabilis, & bono communi utilis. Ita cap. *Erit autem lex*, dist.4. & per se patet. Ut enim vim legis habeat, præcipuas, & magis necessarias legis qualitates habere debet: lex autem, ut supra dictum est, debet esse rationabilis, & bono communi utilis. Secunda est, ut tempore aliquo diuturno duraverit, ut infra explicabitur. Tertia, ut consensus saltē tacitus Legislatoris, seu Principis interveniat. Tunc autem tacite consentire censetur, si sciens talem populi morem, illum, cum posset, impedire noluerit. Ita S. Doct. supra in resp. ad 3. Quarta deniq; ut consuetudo illa servetur a populo, aut majore illius parte quasi ex obligatione, seu ex animo introducendæ obligationis, ut observat Suarez l.7. de leg. c.5. Unde consuetudo illa, quæ vim legis obti-

obtinere censetur, definitur ab Isid. c. 3. *Jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex*.

2. Ex quo intelligitur, quare plurimæ consuetudines rationabiles, ac piæ, & jam a diuturno tempore usitatæ, Superioribus non modo non contradicentibus, sed etiam approbantibus, vim tamen legis non obtineant, ut ad campanæ pulsum sanctissimam Virginem salutare, in Ecclesiæ ingressu Aqua lustrali frontem aspergere, &c. quia scilicet hæ, & aliæ similes consuetudines ex liberali tantummodo affectu, & devotione, non vero ex ulla inducendæ obligationis voluntate inchoatæ sunt, ac continuantur.

Cæterum recte monet Suarez l. 7. de leg. c. 5. in dubio, an obligatio per consuetudinem aliquam inducta sit, cæteris paribus, inclinandum potius esse in eam partem, quod consuetudo sit devotionis, quam quod sit obligationis; quia juxta regulam communem Doctorum, in dubio nemo præsumitur velle obligari, neque expedit multiplicare præcepta, ubi moraliter certa non sunt.

3. Dicendum 3. consuetudinem non modo constituendæ legis, sed etiam abrogandæ vim habere, ut docet S. Th. sup. art. 3. Quod probari potest ex c. ult. de consuetudine, in quo Gregorius IX. declarat, posse consuetudinem aliquam *juri positivo* (humano scilicet) *præjudicium generare, si rationabilis fuerit, & legitime præscripta*. Ex quibus verbis colligitur, duo requiri, ut consuetudo legem aliquam abroget. Primo ut sit rationabilis, quod per se patet. Secundo, ut sit legitime præscripta, idest ut tanto tempore duraverit, quanto ad legitimam præscriptionem adversus legem opus est.

Quæres, quanto tempore opus sit ad præscriptionem illam complendam adversus legem. Communior, & magis recepta Theologorum responsio est, ordinarie requiri decennium ad præscribendum contra legem civilem, quadraginta vero annos adversus Ecclesiasticam. Ita Sylvester, Azor. Corduba, Suarez, & alii apud Laymann. tract. 4. de leg. c. 24. Ratio est, quia ad præscribendum adversus legem requiritur tempus longum; tale autem in Jure Civili censetur esse decennium, ut constat ex L. *Super longi*, Cod. de præscriptione longi temporis: in Jure autem Ecclesiastico ordinarium præscriptionis tempus censetur esse quadraginta annorum, ut constat ex c. *De quarta*, & c. *Ad aures*, de præscript. Tutissimum autem in praxi est nihil temere super hac re definire, sed Doctorum, & Sapientum virorum consilium perquirere, aut etiam Superiorum, seu Legislatorum mentem, ac voluntatem explorare.

SECTIO VIII.
De lege Divina positiva.

1. NOmine legis Divinæ positivæ intelligimus eam, quæ Deo auctore condita, & literis consignata, hominibus ad observandum imposita est. Ea autem duplex est, vetus, quæ per Moysem Dei nomine lata, & promulgata est, & nova, quæ a Christo Domino condita in Evangeliis, aliisque novi Testamenti libris consignata est. Et circa utranque

Dicendum 1. legem veterem fuisse in se bonam, & sanctam, licet lex nova longe sit illa melior, & perfectior.

Quod fuerit bona, & sancta, constat tum ex his Apostoli verbis Rom. 7. ubi de lege veteri loquens, *Lex quidem*, inquit, *sancta, & mandatum justum, & sanctum, & bonum*; tum ex eo, quod a Deo condita, a Christo Domino approbata est, qui S. Matth. 5. dicit, se venisse, non ut solveret legem, sed ut adimpleret. Quare olim Marcionistæ, & Manichæi, & alii ab Ecclesia tanquam Hæretici proscripti sunt, eo quod inter alia dogmata erronea, veterem legem tanquam inutilem, & malam reprobarent; contra quos agit S. Epiphanius hæresi 33. 41. & 66. S. August. variis in locis, & præsertim lib. 19 & 22. contra Faustum Manichæum.

Quod vero lex nova melior, & perfectior sit lege veteri, constat ex variis Apostoli locis passim in Ep. ad Rom. & ad Galat. & ad Hebr. 7. ea de causa Christus Dominus vocatur *melioris Testamenti sponsor*; & fuse id docet, & probat S. Thomas quæstione 106. art. 1. & 2.

2. Dicendum 2. veteri lege solos Judæos obstrictos fuisse, legem vero novam omnes omnino homines ubivis terrarum ad sui observationem obligare.

Quod lege veteri Judæi soli obstricti fuerint, patet tũ ex eo, quod solis Judæis promulgata fuit, Exod. 19. & 20. tum etiam ex eo, quod multi ex Gentilibus, absque illius observatione, salutem sunt consecuti, ut docet S. Dionysius capitulo 9. cœlestis Hierarchiæ.

Quod vero lex nova omnes homines ubivis terrarum obliget, constat ex cap. ult. Sancti Matth. & S. Marci, ubi Christus Dominus Apostolis injungit, ut doceant omnes gentes, Evangelium prædicent omni creaturæ, edicitque, condemnandos esse, qui credere, ac legem illam recipere noluerint.

3. Dicendum 3. legem veterem desiisse, legem vero novam usque ad consummationem sæculi esse perseveraturam.

Quod lex vetus desierit, constat ex variis Apostoli testimoniis, Hebr. 7. ubi dicit, translato Sacerdotio, legis translationem factam esse. Ephes. 2. ubi loquens de Christo, dicit, illum legem mandatorum decretis evacuasse.

Quod

Quod autem lex nova usque ad finem sæculi perseveratura sit, firma Fide tenendum esse, docet S. Thom. qu. 107. art 4.

Quæres 1. an lex vetus tota desierit. Bellarminus l. 4. de justificatione c. 6. existimat, desiisse tantum quoad cæremonialia, & judicialia præcepta, non vero quoad moralia. Suarez vero l. 9. de legib. c. 11. & plures alii Theologi, quos idem citat, totam desiisse asserunt, etiam quoad præcepta moralia, ita ut obligatio ad illa servanda penitus cessaverit, in quantum illa lege veteri præcipiebantur, licet alioquin ad eadem illa præcepta servanda tam lege naturæ, quam lege Evangelica teneamur. Quæ posterior sententia ideo videtur probabilior, quod magis consonet testimoniis supra citatis, quibus universim lex vetus desiisse dicitur.

4. Quæres 2. quonā tempore lex vetus cessaverit, & obligare ad sui observationem desierit. Respondetur, juxta communem Theologorum sententiam cessavisse, & obligare desiisse in morte Christi Domini. Ita Hugo a S. Victore l. 2. de Sacramentis, parte 6. c. 4. S. Bonaventura in 4. dist. 3. qu. 3. & S. Thom. qu. 103. art. 3. ad 3. & art. 4. ad 1. ubi distinguit tria tempora: *Unum quidem ante Christi Passionem, in quo legalia neque erant mortua, neque mortifera, aliud autem post tēpus Evāgelii divulgati, in quo legalia sunt mortua, & mortifera, tertiū autem est tempus medium, scilicet a Passione Christi usque ad divulgationem Evangelii, in quo legalia quidem fuerunt mortua, quia neque vim aliquā habebant, neque aliquis ea observare tenebatur, non tamen fuerunt mortifera*. Quibusquidem verbis S. Doctor mentem suam aperit super gravi controversia, quæ olim inter SS. Hieronymum, & Augustinum exorta est, ut constat ex variis illorum Epistolis ultro citroque datis, quæ habentur inter Augustinianas ab 8. ad 19. S. Hieronymus siquidem dicebat, ab instanti mortis Christi Domini veterem legem non modo mortuam, sed & mortiferam esse cœpisse, neq; solum illius servandæ obligationem cessavisse, sed neque servari absque peccato potuisse. Et quoniam satis constabat, Apostolos multis annis post Christi Passionem legalia quædam observasse, dicebat, id ab illis simulate factum, quo facilius Judæos legis suæ zelatores ad Christi Fidem allicerent. E contra vero S. Augustin. cui communiter Theologi subscribunt, asserebat, Apostolos nulla simulatione fuisse usos, sed licite, & honeste cæremonias quasdam veteris legis, post Christi Domini mortem, usurpasse. Licet enim lex illa tunc esset mortua, nondum tamen erat mortifera, & quamvis ad sui observationem amplius non obligaret, observatores tamen suos nullius peccati reos efficiebat. Quod ibidem dicit suavi Dei providentia fuisse dispositum, ut tum Judæi legis suæ cæremoniis mirifice addicti facilius ad Christi fidem converterentur, tum etiam ne lex illa vetus tanquam mala, & superstitiosa, & reprobata per Christum fuisse videretur, & ut aliquo cum honore sepeliretur.

5. Quo

5. Quo vero præcise tempore non solum mortua, sed mortifera esse cœperit lex vetus, non satis exploratum habetur. Illud certum est, jam a multis sæculis mortiferam, & illicitam esse veteris legis observationem, cum præfati SS. Hieronymus, & Augustinus citatis Epistolis, sed præsertim 11. & 19. id multo ante tempora sua fuisse doceant. Imo vero S. Ignatius Apostolorum Discipulus Ep. 8. *Si quis*, inquit, *cũ Judæis celebrat Pascha, aut Symbola festivitatis eorum recipit, particeps est eorũ, qui Dominum occiderunt, & Apostolos ejus.* Unde colligitur, probabile esse id, quod Suarez asserit l. 9. de leg. c. 18. viventibus adhuc Apostolorum Principibus, Mosaicæ legis observationem mortiferam esse cœpisse, cum una quidem ex parte lex Evangelica orbi pene universo, ac nominatim Judæis omnibus diversas orbis regiones incolentibus tunc innotuisset, ex altera vero plurimum referret, hoc Christianæ Religionis, & Fidei dogma, quo lex vetus mortifera creditur, ab iisdem tradi, & confirmari.

CAPUT IV.

De legis Divinæ, seu Decalogi præceptis.

1. NOmine Decalogi significatur lex Divina positiva decem præcepta complectens, quorum tria priora Deũ spectant, septẽ vero posteriora respiciunt proximum. Cujus quidem Decalogi antequam explicationẽ aggrediamur, duo hic nobis observanda sunt. Primum est, omnia præcepta moralia (ut docet S. Thom. 1. 2. qu. 10. art. 3.) contineri in Decalogo, aut ut principia in suis conclusionibus, qua ratione in eo continentur prima Fidei principia, prima item principia legis naturæ, ut *Deum esse unum, & proximum esse diligendum*, itẽ illud, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, aut ut conclusiones ex primis principiis clare, & proxime promanantes, ut sunt omnia formalia præcepta in Decalogo contenta, aut ut conclusiones secundarias ex primis illis conclusionibus deductas, ut sunt omnia, quæ ex ipsis Decalogi præceptis deducuntur, vel quæ ad illa referuntur. De quibus infra erit agendum in cujusque præcepti explicatione. Quare merito dici potest, ipsum Decalogum esse omnium legum epitomen absolutissimam, ut loquitur S. August. q. 140. super Exod. summamque omnium, quæ, quantum ad mores spectat, cuilibet Christiano agenda sunt, in illo esse expressam, ut declarat Concilium Coloniense in Enchiridio Christianæ institutionis, ita ut, si ejus præcepta probe intelligantur, sufficientissima sint ad actus humanos sive exteriores, sive interiores recte ordinandos.

2. Secundũ est, præcepta illa Decalogi fuisse a Christo Domino tãquam Legislatore non solum innovata, & promulgata, quod ex variis Evangelii locis constat, ac præsertim Sancti Matth. 7. & 19. S. Mar. 10. & S. Luc. 18. sed etiam explicata, imo & ampliata, prout legis Evange-

licæ

licæ major perfectio requirebat. Quod passim in Evangeliis videri potest, sed præsertim in eo sermone, quem corã Discipulis in monte habuit S. Matth. 5. 6. & 7. in 7. in quo quidem, ut docet S. Aug. l. 1. de sermone Domini in monte, in initio, & l. 2. c. 40. & post illum S. Th. q. 108. a. 3. ea omnia complexus est, quæ ad perfectam vitæ Christianæ formam, quoad actus tam exteriores, quam interiores requiri possunt: quod fusius explicat Gregorius de Valentia disp. 7. de leg. qu. 8. punct. 2.

In hoc igitur capite propositum nobis est de singulis ipsius Decalogi præceptis agere, prout a Christo Domino in Evangeliis explicata, & ampliata sunt, secundum communem, & magis receptam SS. Patrum, & aliorum probatissimorum Auctorum doctrinam, in omnibus tamen servata ea brevitate, quam compendii ratio exigit. Quod ut facilius exequamur, duo præsertim circa unumquodque præceptum investigabimus, primo, quid illo præcipiatur, aut prohibeatur, secundo, quot modis in illud peccetur. Et ideo unanquanque Sectionem in plures paragraphos subdividemus.

SECTIO I.
Explicatur primum Decalogi præceptum.

Ego sum Dominus Deus tuus; &c.
Non habebis Deos alienos coram me.

1. HOc primum Decalogi præceptũ duplex est, ut observat Catechismus Rom. parte 3. cap. 2. Ex una enim parte aliquid jubet, ex altera vero aliquid prohibet. Estque illius sensus, ut ibidem habetur: *Me verum Deum coles, & Diis alienis cultum non adhibebis.* Ex quo patet, illud partim affirmativum esse, partim negativum. Ea est autem ratio præceptorum affirmativorum, ut obligent quidem semper, sed non pro semper, ut loquuntur Theologi: negativa vero utroque modo obligant: id est, ut explicat S. Th. 2. 2. qu. 3. art. 3. quamvis præcepta affirmativa semper habeant vim obligandi, non obligant tamen ad continue exercendos actus illos, qui per ea imperantur, sed pro loco, & tempore, & secundum alias circunstantias debitas, secundum quas oportet actum humanum limitari, ut sit actus virtutis: at vero præcepta negativa quovis loco, & tempore obligant. Quamvis autem hoc primum Decalogi præceptum, quatenus affirmativum, præsertim spectet Religionis actus, quibus cultus Deo debitus exhibetur, ad illud tamen virtutum Theologicarum actus reduci debent, ut dicitur in Cat. Romano. Quo sensu S. Aug. in Enchir. c. 3. dixit, *Fide, Spe, ac Charitate Deum esse colendum.* Unde sequitur, ad rectam primi hujus præcepti intelligentiam requiri, ut explicemus, quid circa Fidem, Spem, & Charitatem, quid item circa Religionem in illo præcipiatur, aut prohibeatur.

§. I.

§. I.

Quid circa Fidem primo Decalogi præcepto præcipiatur, aut prohibeatur.

1. DE virtute Fidei, illiusque propriis actibus, ac obligatione, quæ ad illos exercendos unicuique incumbit, egimus in priori hujus Operis parte, tract. 1. c. 1. ubi diximus, adultos quoscunque ad credendas omnes, & singulas Christianæ Religionis veritates Fide implicita obligari, Fide vero explicita teneri credere, unum esse Deum in essentia, trinum in personis, Filium Dei incarnatum esse, aliaque Mysteria in Symbolo contenta, nec non & ea, quæ pertinent ad rationem Sacramentorum, quæ ab ipsis suscipiuntur, aut suscipi debent, ac reliqua denique omnia, quæ secundum exigentiam status, aut conditionis cujusque ad salutem æternam consequendam sunt necessaria.

Sed difficultas est, quandonam affirmativum istud Fidei præceptum obliget, seu quonam tempore teneatur quis ad actum aliquem Fidei exercendum. Respondetur ex probabiliori, & in praxi tenenda Theologorum sententia, tribus præsertim casibus teneri ununquenque ad actum Fidei eliciendum.

Primus est, cum aliqua Fidei mysteria primo sufficienter ad credendum proponuntur. Ita Azorius, Malderus, Turrianus, Sanchez, & alii, quos citat, & sequitur Bonac. to. 2. disp. 2. q. 2. pun. 2. Secundum quam doctrinam pueri, ubi primum rationis usum adepti sunt, cum ipsis Fidei mysteria sufficienter proponuntur, ad illa actu credenda obligantur, præsertim si ad id se obligatos esse ex dictamine conscientiæ præsentiant. Quod simili ratione de Infidelibus dici debet.

2. Secundus casus est, quoties quis ad actum aliquem virtutis exercendum obligatur, qui sine Fide exerceri nequit, ut cum quis tenetur de peccato pœnitere, & conteri, Sacramentum aliquod suscipere, &c. Ita Doctores proxime citati. Recte tamen monet Laymann. tract. 1. de Fide cap. 10. in hoc casu præceptum Fidei per se, & directe non obligare, sed solum indirecte, & per accidens. Unde fit, ut v. g. si quis Sacramentum aliquod suscipere omittat, quando ad illud suscipiendum obligatur, sufficiat, si in confessione declaret, se ejusmodi Sacramenti receptionem omisisse; nec opus sit, ut Fidei actualis omissionem exprimat, cum hujus omissio non sit peccatum distinctum ab omissione illius. Ad hunc casum reducitur, quando quis videt, se tentationem aliquam superare aliter non posse, nisi actum Fidei aliquem eliciendo. Tunc enim illum elicere tenetur, ut fusius explicat, & probat Valentia tom. 3. disp. 1. qu. 2. pun. 5.

Tertius denique casus est, quando quis juridice, & publica auctoritate de Fide interrogatur. Tunc enim ad Fidem tum interius elicien-

ciendam, tum exterius profitendam obligatur, licet ex tali professione mors illi immineat. Imo qui ab aliquo privato de Fide interrogaretur, illam non modo non negare, sed etiam exterius profiteri teneretur, si ex illius professionis omissione Divinus honor læderetur notabiliter, vel grave aliquod scandalum in proximum redundaret. Ita auctores citati post S. Doctorem 2. 2. q. 3. art. 2.

3. Ex dictis facile colligi potest, quid circa Fidem hoc primo Decalogi præcepto prohibeatur, scilicet peccatum quodcunque Fidei oppositum, quod generaliter ab eodem S. Doctore vocatur Infidelitas, supra qu. 10. a. 1. quæ quidem, ut idem docet, duplex est, alia negativa, qualis est in illis, qui nihil unquam de Fide audire potuerunt, quam dicit non esse peccatum, sed potius pœnam peccati ex primi parentis peccato provenientem, additque illos, qui eo solum modo Infideles sunt, propter ejusmodi Infidelitatem non damnari, quamvis damnentur propter alia peccata, quæ sine Fide remitti non possunt.

Alia est Infidelitas ipsi Fidei, ut loquitur S. Doctor art. 5. secundum contrarietatem opposita, quæ a quibusdam privativa vocatur, qualis est in illis, qui veritatibus Fidei sufficienter propositis assentiri nolunt. Et hæc ab eodem S. Doctore in tres species dividitur, Paganismum scilicet, Judaismum, & Hæresim, quibus quæstione 12. addit Apostasiam. Aut enim quis renititur Fidei nondum susceptæ, & talis Infidelitas est Paganorum, aut renititur Fidei susceptæ in figura, & sic est Infidelitas Judæorum, vel Fidei susceptæ in manifestatione veritatis, & sic est Infidelitas Apostatarum quidem, si Fides suscepta in totum abjiciatur, Hæreticorum vero, si tantum ex parte.

4. Est autem observandum id, quod fusius in prima parte explicatum est, scilicet ad rationem Hæresis duo requiri, ut docet S. Th. q. 11. a. 3. ad 3. Primum est, ut sit error contra aliquam Fidei veritatem a Deo revelatam, & ab Ecclesia propositam. Secundum, ut ejusmodi error cum pertinacia, & contumacia junctus sit. Unde *si qui sententiam suam*, ut loquitur S. Augustin. Ep. 162. & refertur cap. *Dixit Apostolus* 24. qu. 3. *quamvis falsam, atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter Hæreticos deputandi.*

Ad Hæresim quoque pertinet peccatum illorum, qui de articulo aliquo deliberate dubitant. Ut enim dicitur cap. 1. de Hæreticis, *dubius in Fide infidelis est*. Item si quis exponat se periculo errandi in Fide, ut si ex curiositate, aut alia prava intentione libros Hæreticorum legat, eorum conciones audiat, cum illis de Fide temere disputet, aut frequenti, & periculosa illorum conversatione utatur.

§. II.

§. II.
De virtute Spei, & de peccatis illi oppositis.

1. SPes est virtus supernaturalis Theologica, qua homo Fidelis in præsenti quidem sæculo bona salutaria, in futuro vero ipsam æternam salutem a Deo cum fiducia expectat, per Christi merita.

Dicitur 1. *Virtus supernaturalis*, quia sicut nullus in Deum credere, sic nec in illum sperare potest, ut oportet, nisi adjutus auxilio aliquo supernaturali. Unde S. Bern. Ps. 70. dicit hæc Psalmistæ verba: *Quoniam tu es Domine spes mea*, a nullo vere proferri posse, *nisi cui intus persuasum sit a Spiritu Sancto*.

Dicitur 2. *Theologica*, quia Deum immediate respicit pro objecto primario, & præcipuo. *Non enim*, ut ait S. Th. 2. 2. q. 17. a. 2. *aliquid minus sperandum est ab ipso Deo, quam sit ipsemet Deus*.

Dicitur 3. *per illam expectari a Deo non modo salutem æternam, quæ in ipsius Dei fruitione consistit. sed etiã omnia alia quæcunque bona salutaria*, id est ad salutem consequendam necessaria, aut utilia, sive corporalia, sive spiritualia sint. Quod constat ex iis, quæ Christus Dominus nos a Deo postulare, & proinde sperare docuit in Oratione Dominica. *Ea siquidem* (ut loquitur S. August. cap. 114. Ench.) *ad spem pertinent, quæ in Oratione Dominica continentur*.

* Dicitur 4. *bona illa expectari, & sperari ab homine Fideli*, quia juxta communem S. Thomæ, & aliorum Theologorum doctrinam, Fides Spem necessario antecedit, cum non nisi per Fidem innotescat id, quod Spes a Deo expectare debet.

Dicitur 5. *bona illa expectari cum fiducia*. Spes enim omnipotentia, & fidelitate Dei promittentis innititur. Unde Apostolus Hebr. 6. vocat spem *Anchoram animæ firmam, ac tutam*. Quamvis autem fiducia illa, quatenus est in Deum, certissima esse debeat, quia tamen ex parte nostræ cooperationis multi defectus accidere possunt, quibus promissionum Divinarum effectus impediatur, ideo monet Apostolus ad Philip. 2. *Ut cum metu, & tremore salutem nostram operemur*. *Qui enim sperat* (ut dicit S. Aug. serm. 15. ad fratres in eremo) *& non timet, negligens est; qui autem timet, & non sperat, depressus est, & descendit in profundum quasi lapis*.

Dicitur denique, *per Christi merita*. Quamvis enim ex parte quoque nostra ad assecutionem vitæ æternæ merita requirantur, quia tamen sine Divina Gratia, quæ per Christi merita nobis confertur, nihil possumus, & in iis, quæ possumus, & volumus, longe potiores sunt partes Gratiæ Divinæ, quam voluntatis humanæ, ideo *absit, ut Christianus in seipso vel confidat, vel glorietur*, inquit Concil. Trid. sess. 6. cap. 16. *& non in Domino, cujus tanta est erga homines bonitas, ut eorum velit esse merita; quæ sunt ipsius dona*.

2. Ex

2. Ex hac definitione Spei sic explicata intelligi potest, quodnam sit objectum illius virtutis, sive materiale, sive formale. Objectum enim materiale Spei continet ea omnia bona, quæ nobis a Deo sunt promissa, qui est summum, & præcipuum bonum nobis promissum. Objectum vero formale ejusdem Spei est summa Dei erga nos bonitas, ac in promissis adimplendis fidelitas.

Quæres, an licitum sit Spem in homine, aut alia creatura collocare. Respondetur cum S. Doct. 2.2. qu. 17. ar. 4. quanquam in Deo solo, ut principali causa totius boni, spes collocanda sit, licitum tamen quoque esse sperare, ac confidere in homine, aut alia creatura, tanquam causa secunda, & instrumentali, per quam secundum Divinæ Providentiæ ordinem adjuvari possumus ad consequendum aliquod bonum, quod ad ultimum, & summum Bonum ordinetur.

3. His breviter explicatis, videndum est, quid circa virtutem Spei hoc primo Decalogi mādato præcipiatur, aut prohibeatur. Ac in primis certum est, extare Divinum præceptum de Spe in Deum concipienda, ut docet S.Th. q. 22. art. 1. quod quidem præceptum, in quantum negativum est, & desperationem prohibet, obligat semper, ut ex ante dictis constat, in quantum vero affirmativum, tribus præsertim in casibus secundum probabiliorem Theologorum sententiam obligare censendum est. Primus est, quando primum homini adulto sufficienter innotescit, se a Deo creatum esse ad vitam æternam consequendam, seque teneri vitam illam æternam, & media necessaria ad illam consequendam a Deo sperare. Secundus est, quando ad aliquid faciendum obligatur, quod actum Spei velut dispositionem necessariam prærequirit, ex. gr. quando tenetur de peccatis pœnitere, ad illorum siquidem remissionem Divinæ misericordiæ Spem requiri, docet Conc. Trid. sess. 6. c. 6. Tertius est, quando gravis aliqua tentatio desperationis urget, quam aliter homo superare non potest, nisi actum Spei eliciendo.

Recte autem monet Ilambertus tr. de Spe, dis. 6. art. 5. ad satisfaciendum ejusmodi præcepto non esse semper necessarium, ut formaliter eliciatur actus ipsius Spei, sed satis esse, ut virtualiter, quatenus scilicet censetur includi virtualiter in alicujus alterius virtutis actu, v. g. perfectæ contritionis, qui tunc formaliter eliceretur.

4. Quod spectat ad peccata, quæ spei adversātur, ac proinde hoc primo præcepto prohibētur, Theologi docent, duobus præsertim modis contra Spem peccari posse, præsumptione scilicet, & desperatione.

Rursus præsumptio dupliciter committi potest, ut docet S. Th. q. 21. art. 1. Primo, cum quis præsumit, se Divinam Gratiam, aut gloriam æternam ex seipso, & naturæ suæ viribus adipisci posse: Secundo, cum præsumit, se ex sola Divina misericordia consecuturum remissionem peccatorum sine ulla pœnitentia, aut æternam beatitudinem sine operibus meritoriis.

Desperatio vero committitur, cum quis deliberate de misericordia Divina diffidit, nec peccatorum remissionem, aut beatitudinem æternam, mediaque ad illam necessaria amplius a Deo expectat, ideoque omnem conatum ex parte sua requisitum intermittit. Recte autem observat Toletus l. 4. c. 7. desperationem aliquando esse cum hæresi conjunctam, si quis v. gr. existimaret, ac pertinaciter sibi persuaderet, Deum aut nolle, aut non posse peccata a se commissa remittere, ejusque misericordiam talem non esse, quæ tot, & tam gravia peccata toties iterata condonare velit, aut possit: quod in Confessione specialius declarandum foret.

§. III.
* *De Oratione.*

1. QUamvis Oratio proprie loquendo sit actus virtutis Religionis, de qua inferius agendum erit, q. tamen etiam ad virtutem Spei reducitur, & arctissimam cum ea connexionem habere videtur, idcirco hic breviter adnotabimus ea, quæ circa Orationem a Theologis observari solent.

Ac in primis nomine Orationis intelligitur elevatio, sive (ut loquitur S. Damascenus lib. 3. de Fide Orthod. c. 24.) ascensus mentis in Deum, tum ad laudes ipsi, gratiasque deferendas, tum ad postulationes eidem offerendas sive pro se, sive pro aliis. Eo sensu accepta Oratio dividitur 1. in particularem, quæ fit ab unoquoque pro se, vel pro aliis, & generalem, seu communem, quæ fit ab Ecclesiæ Ministro nomine totius Fidelis Populi, de qua Gennadius lib. de Ecclesiast. dogmatibus cap. 30. sic loquitur: *Cum sanctarum plebium Præsules demandata sibi delegatione funguntur apud Divinam clementiam, humani generis causam agunt, & tota secum Ecclesia congemiscente, postulant, & precantur.*

Dividitur 2. Oratio in mentalem, quæ solo interiori mentis actu fit, & vocalem, quæ interiorem illum actum voce, ac verbis exprimit. Utriusque fit mentio in Scripturis: Mentalis quidem Ps. 26. *Tibi dixit cor meum:* Vocalis vero Psalm. 141. *Voce mea ad Dominum clamavi*. Et de utraque loquens Isidorus lib. 3. de sum. bono c. 7. *Bonum est*, inquit, *corde orare*, *bonum est etiam & sono vocis Deum spiritualibus hymnis glorificare.*

Cum vero plurima sint, quæ a Theologis circa Orationem observari solent; nos ea solummodo hic attingemus, quæ magis necessaria visa sunt, & majoris facilitatis gratia per diversas quæstiunculas, responsionesque illis annexas explicabimus.

2. Quæritur ergo in primis, an Oratio necessaria sit ad salutem necessitate præcepti, seu an homines teneantur orare Deum ex præcepto aliquo Divino.

Resp.

Respondetur affirmative. Et colligitur aperte ex Script. Matth. 7. *Petite, & accipietis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis.* & cap.26 *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* & Luc. 18. *Oportet semper orare.* Et apposite S. Chrysostomus lib. 1. de orando Deum: *Quemadmodum*, inquit, *corpus hoc nostrum, si non adsit anima, profecto mortuum est, ac fœtidum: sic anima, nisi seipsam incitet ad orandum, mortua est, ac misera, & graviter olens.* Sanctus etiam Augustinus in Psalm. 118. enarrat. 19. *Ille, cui donatur* (inquit) *a Deo charitas Dei, & propter Deum charitas proximi, profecto instanter orare debet, quo sibi augeatur hoc donum.*

Id etiam probari potest hac ratione: Nemo potest mandata Divina servare, & in illa observantia perseverare, ac tentationes irruentes superare, nec proinde salutem consequi, sine specialibus, & continuis Divinæ Gratiæ auxiliis; quamvis autem prima Gratia, quæ homini datur, omnia ejus, & qualiacunque merita, & proinde orationes antecedat, certum est tamen, unum ex mediis divinitus institutis ad Gratiæ illius continuationem, & incrementum impetrandum esse Orationem, ut ex citatis Scripturæ testimoniis constat; unde sequitur, ipsam Orationem ex præcepto Divino esse necessariam ad salutem consequendam.

3. Quæritur 2. quo tempore quis orare teneatur.

Respōdetur, si de præcepto Ecclesiastico quæstio proposita intelligatur, certa tempora singulis partibus Officii Divini esse ex instituto Ecclesiæ assignata, de quibus agetur infra in Appēdice *De statu Clericali*: si vero de præcepto Divino quæstio sit, cū illud orandi præceptum sit affirmativum, obligare quidem semper, sed non pro semper, ut loquuntur Theologi, ac proinde determinationē temporis in quo præceptum illud Divinū ita obliget, ut Orationis omissio sit peccatum, ex variis occurrentiis tentationum periculorū, & necessitatum, & prudenti æstimatione dignoscendam esse. V. g. si tentatio aliqua gravis urgeat, si occasio periculosa peccandi immineat, si difficultas gravissima in observatione alicujus præcepti occurrat; tūc haud dubie censent Theologi, hominem ad Deum per Orationem debere recurrere, & ejus auxilium suppliciter postulare. Addit etiam Navarrus apud Lessium l. 2. c.37. de Oratione dub. 3. illum quoque teneri ad orandum, qui advertit, se alterius exitium impedire non posse, nisi per Orationem. Observat autem recte idem Lessius, præter illos, & alios similes casus obligari etiā unumquemque ad Orationem Deo offerendam, ita ut per diuturnum aliquod tempus, puta per unū mensem, ab omni prorsus Oratione cessare sine peccato non possit, quia exercitii adeo salubris, & necessarii omissio non nisi cum maxima, & valde culpabili salutis incuria contingere censetur.

Quæritur 3. quis possit, & debeat orare.

4. Respondetur, omnem hominem, quandiu est in statu viæ, posse,

& debere orare. Nam omnis homo vel justus est, vel peccator: si justus est, oratione indiget ad perseverandum, & postulare debet, ne inducatur in tentationem; si peccator est, magis adhuc oratione opus habet. Unde omnibus hanc petitionem faciendam proposuit Christus, *Dimitte nobis debita nostra*. Hoc enim & peccatores pro remissione peccatorum mortaliũ, & ipsi etiam justi pro remissione venialium debent postulare. Recte autem observat D.Th. 2.2. q.83.art.19. non modo justos, sed & ipsos etiam peccatores, cum orant, sperare debere se a Deo exaudiendos, si nimirum orent, ac petant, non in quantum peccatores, sed cum pio, & recto affectu, idque adjunctis iis conditionibus, quas idem S. Doctor explicat art. 15. in resp. ad 2. nimirum si pro se postulent, quæ ad salutem sunt conducibilia, si cum fide, spe, ac vero desiderio pœnitendi, & placendi Deo, si denique perseveranter postulent. Et tunc (ut docet S. Aug. tr. 102. in Joan.) exaudiuntur, & indubitanter accipiunt, quod petunt, sed quando debent accipere. Quædam enim non negantur, sed, ut congruo dentur tempore, differuntur.

Quæritur 4. ad quem debeat dirigi Oratio, seu quis orandus sit.

5. Respondetur, duo certa esse. Primum est, Deum, tanquam summum auctorem, & causam principalem omnium donorum, & bonorum naturæ, gratiæ, & gloriæ, quæ per Orationem postulari, & obtineri possunt, orari debere. Secundum est, SS. etiam in cœlo beatos orari, & invocari posse, ut pro nobis apud ipsum Deum intercedant: ut explicatum, & probatum est in Tract. de Incarn. c. 8. Sect. 2.

Certũ est quoque ab aliis etiam hominibus adhuc in præsenti vita degentibus posse peti opem, sive auxiliũ intercessionis apud Deum. Hoc enim ipse Deus præcepit olim amicis sancti Patriarchæ Job, & S. Paulus passim in Epist. se Fidelium Orationibus commendat.

Sed difficultas est, an Oratio etiã dirigi possit ad animas in Purgatorio detentas. Respondetur: quamvis Joannes Medina qu.5. de Oratione, & alii quidam Theologi existiment, animas in Purgatorio existentes orare non modo generatim pro Fidelibus, sed etiã speciatim pro iis, qui peculiariter ipsis in hac vita chari fuerunt; D. Th. tamen cit. q.83. art. 11. id negat, *quoniam* (inquit) *licet sint nobis superiores quantum ad impeccabilitatem, sunt tamen inferiores quantũ ad pœnas quas patiuntur, & secundum hoc non sunt in statu orandi pro aliis, sed ut magis oretur pro eis*. Quod si secundum mentem illius S. Doctoris non sunt in statu orandi pro nobis, ergo non sunt in statu, in quo debeant orari a nobis. Imo licet animæ illæ pro nobis orarent, frustra tamen a nobis invocarentur, cum non sint in eo statu, in quo nostras Orationes possint cognoscere, sicut Sancti in cœlo, quorum status ex omni parte beatus requirit, ut cognoscant Orationes ad se directas, cum hoc maxime ad gloriam illorum accidentalem conferre possit.

Quæritur 5. pro quibus sit orandum.

6. Re-

6. Respondetur, non modo pro nobis nos orare debere, sed etiam pro quibuscunque aliis, quos tenemur ex charitate diligere, & quibus per nostras Orationes possumus prodesse. Quod quidem constat vel ex ipsa Orationis Dominicæ forma. Nam, ut ait D. Cyprianus in ejus expositione, *Noluit pacis Doctor, ut quis pro se tantum precetur. Non enim dicimus, Pater meus, nec, Panem meum da mihi*, &c. *sed, Pater noster, Panem nostrum da nobis*, &c. Id præterea constat ex eo, quod, ut recte argumentatur S. Doctor; illud debemus orando petere, quod debemus ex charitate optare; atqui non solum nobis, sed etiam aliis debemus ex charitate multa bona optare; ergo debemus etiam pro illis bona illa orando postulare.

Ex quo sequitur primo, nos nullum hominem viventem in terris, quantumvis peccatorem, aut nobis infensum, debere ab Orationibus nostris generalibus excipere, quia nullum, quantumvis peccatorem, aut infensum, debemus a charitate excludere: &, ut loquitur D. Augustinus lib. de correptione, & gratia, cap. 15. *sicut nulli, quandiu hic vivit, subtrahendum est correctionis beneficium, ita nulli denegandum est Orationis suffragium*.

Sequitur 2. nos pro illis omnibus defunctis orare debere, quibus per orationes nostras possumus prodesse, ac proinde nec pro damnatis orandum esse, cum non sint ullius Gratiæ, aut veniæ recipiendæ capaces, neque etiam pro Beatis, aut pro Sanctis in cœlo degentibus, cum sint in termino Gloriæ, neque amplius a nobis juvari indigeant: Unde illud S. August. *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*. Quod tamen non obstat, quin de illorum felicitate, & de omnibus donis Gratiæ, & Gloriæ, quæ ipsis collata sunt, Deum laudare, & ipsi gratias agere possimus; imo etiam postulare, ut ad majorem ipsius Dei gloriam eorum sanctitas magis innotescat, quo plures excitentur eorum intercessionem expetere, & virtutes imitari.

7. Quæritur 6. quomodo sit orandum.

Respondetur, duas præsertim conditiones in Oratione requiri, attentionẽ scilicet, & devotionem. Ac in primis, quod attentio requiratur, docet D. Th. cit. qu. 83. ar. 13. & cum eo Theologi, ita nimirum, ut initio saltem Orationis, is qui orat, habeat in animo attendere vel ad Deum, quem orat, vel ad ipsius Orationis sensum, & ad verba, si vocaliter orat, neque id animi propositum in Orationis progressu mutet, aut ullo modo mentem ad quævis alia voluntarie convertat, quæ attentionem impedire queant. Unde S. Cyprianus serm. de Orat. Dom. *Cum adstamus*, inquit, *ad Orationem, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio tunc omnis carnalis, & sæcularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur. Quæ autem segnitia est alienari, & capi ineptiis cogitationibus, & profanis, cum Dominum deprecaris? quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loquetis.*

vis. Et quomodo te a Deo audiri postulas, cum te ipse non audias? vis esse Deum memorem tui, quando tu ipse memor tui non sis?

Devotio etiam requiritur, ut scilicet Oratio ex pio quodã affectu procedat, & fiat cum maxima sui demissione, & summa erga Deum reverentia, cum firma Fide, & vera in Deum confidentia, aliisque similibus dispositionibus, quas sacræ Scripturæ frequentius ingerũt, & quæ a Sanctis Patribus maxime commendantur. Certe nullus est, qui non se ipsum tanquam peccati alicujus reum accuset, si minus reverenter, aut cum aliqua Fidei, vel Spei vacillatione Deum oraverit. Ex quo satis patet, vel ipsa conscientia judice, ejusmodi pium affectum ad Orationem debite faciendam requiri.

8. Quæritur 7. & ultimo, quænam in Oratione sint postulanda.

Respondetur, ea omnia licite, & meritorie posse a Deo postulari, quæ ad salutem sunt conducibilia: cujusmodi sunt in primis bona æterna. in quibus ipsa beatitudo consistit, tum media ad illam consequendam utilia, quales sunt Gratiæ, & virtutes. Possunt etiam postulari temporalia bona, & exteriora, quatenus tamen ad beatitudinem illam assequendã aliquo pacto conducere possunt. Et hoc manifeste patet ex formula illa precandi. quã ipse Christus Dom. nos edocere dignatus est, Matth 6. in qua cõplexus est, quidquid a Deo possumus, aut debemus petere. Unde S. Aug. Ep. 121. ad Probam de illa Oratione Dominica loquens, *Si per omnia*, inquit, *sanctarum precationum verba discurras, quantum existimo, nihil invenies, quod non ista contineat, & concludat Oratio*. Quare utilissimum fore existimavimus, si adiungamus hic brevem ipsius Dominicæ Orationis explicationem secundum mentem Sanctorum Patrum, qui singula illius verba cum præcipuo quodam pietatis affectu expenderunt.

DIGRESSIUNCULA

Brevem Dominicæ Orationis explicationem continens juxta mentem Sanctorum Patrum.

1. PRima Orationis Dominicæ verba *Pater noster, qui es in cœlis*, veluti quoddã ipsius precationis exordium continent, quo beneficam erga nos voluntatem Dei, utpote patris nostri, commemoramus. *Non est autem meritorum nostrorum* (ut recte monet D. Aug. l. 2. de serm. Dom. in monte c. 8) *sed Gratiæ, cum dicimus, Pater noster*, nec hoc ideo dicimus, ut Deum sua sponte in nos beneficentissimum, & qui *prior dilexit nos*, ad exaudiendum, & benefaciendum commoveamus, perinde ac si cum homine res ageretur, cujus captanda esset benevolentia, sed ut in nobis, per illius denominationis considerationem, ipsi filialem erga illum confidentiam excitemus. *Quid enim*, ut ibidem subdit idem D. Aug.) *jam non det filiis petentibus, cum hoc ipsum jam dederit, ut essent filii?*

Se-

Sequuntur deinde Petitiones septem, quarum tres primæ spectant ipsum ultimum finem, qui est Deus, aliæ vero quatuor media conducibilia ad illum finem. Prima est, *Sanctificetur nomen tuum. Quod non sic petitur* (inquit D. Aug. sup. cap. 10.) *quasi non sit sanctum Dei nomen, sed ut sanctum habeatur ab hominibus, idest ita innotescat Deus, ut non æstimetur aliquid sanctius.* Vel (ut ait D. Chrysostomus hom. in hunc Matth. locum) *Rogamus, ut Deus per nostram vitam glorificetur, quasi unusquisq; dicat, Ita fac nos vivere, ut per nos te universa glorificent.* Sanctificetur enim, idem est, ac glorificetur. Digna est autem Deum deprecantis Oratio, nihil petere ante Patris gloriam, sed omnia ejus laudi postponere.

2. *Adveniat Regnum tuum. Quod non ita dictum est* (inquit S. Aug. sup.) *quasi Deus nunc non regnet in terra, aut non semper in ea regnaverit. Adveniat ergo accipiendum est, ut Regnum Dei manifestetur hominibus.* Vel (juxta mentem S. Hieronymi in hunc Matthæi locum) *Ut Diabolus in mundo regnare desinat, & non regnet peccatum in corpore nostro mortali, sed ut in unoquoq; nostrum regnet Deus.* Vel deniq; per hæc verba (ut S Cyprianus explicat in tract. de Orat. Dominica) *Petimus, Regnum illud nobis advenire a Deo nobis repromissum, & Christi sanguine acquisitum, ut qui in sæculo ante serviebamus, postmodum Christo dominante regnemus. Regnum Dei* (inquit D. August. sup.) *veniet, sive velimus, sive nolimus, sed desiderium nostrum ad illum excitamus, ut nobis veniat, atque in eo regnemus.*

3. *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. His verbis* (inquit S. Cyprianus sup.) *non petimus, ut Deus faciat, quod vult, sed ut nos facere possimus, quod Deus vult. Quod ut fiat, nobis opus est Dei voluntate, id est opera ejus, & protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei misericordia tutus.*

Vel (ut explicat D. August. sup.) *Fiat voluntas tua, id est obediatur præceptis tuis: sicut in Cælo, & in terra, id est sicut ab Angelis, ita ab hominibus.* Observat autem recte D. Chrysostomus sup. quod *non dicitur, Fiat voluntas tua in me, vel in nobis, sed ubique terrarum; ut solvatur error, & plantetur veritas, & expellatur malitia, & revertatur virtus, & jam non differat cælum a terra.*

4. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Hæc ergo tria* (inquit S. August. in Enchiridio cap. 115.) *quæ in præmissis Petitionibus postulantur, hic inchoantur, & quantuncunque proficimus, augentur in nobis, perfecta vero, quod in alia vita sperandum est, semper possidebuntur. Reliquis vero quatuor, quæ sequuntur, petuntur temporalia, quæ propter æterna consequenda sunt necessaria.* Monet autem sapienter S. Chrysost. sup. quod *Dominus pro pane jussit Orationem facere, non pro pecunia, neque pro lascivia, sed solum pro pane quotidiano, & insuper apposuit, Da nobis hodie, ut non conteramus nos ipsos sollicitudine supervenientis diei. Non solum autem dicimus, Panem nostrum*

quotidianum da nobis hodie, ut habeamus, quid manducemus; quod commune est inter justos, & peccatores, sed ut quod manducemus, de manu Domini accipiamus, quod est tantum Sanctorum.

Vel (ut explicat S.Hieronymus in hunc locum) *Petimus, ut Dominus præcipuum nobis tribuat panem, illum scilicet, qui dicit in Evangelio, Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Panis enim vitæ Christus est (ut loquitur D. Cyprianus sup.) & panis hic omnium non est, sed noster est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie accipimus, intermittente aliquo graviori delicto, a cælesti pane prohibeamur, & a Christi corpore separemur. Petimus ergo, qui in Christo manemus, ut a sanctificatione ejus, & corpore non recedamus.*

5. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Post subsidium cibi* (inquit S. Cyprianus sup.) *petitur & venia delicti, ut qui a Deo pascitur, in Deo vivat, nec tantum præsenti vitæ, sed æternæ consulatur, ad quam veniri potest, si peccata condonentur, quæ debita nostra Dominus appellat,* &c. *Qui ergo pro peccatis orare docuit, paternam misericordiam promisit. Sed plane addidit legem, certa conditione nos constringens, ut sic debitum nobis dimitti postulemus, secundum quod & ipsi debitoribus nostris dimittimus. Cum qua ergo spe orat* (inquit D. Chrysost. hom. 14. oper. Imperf.) *qui inimicitiam servat adversus alterum, a quo forsan læsus est? Sicut enim ipse orans mentitur, dicit enim, Remitto, & non remittit, sic & a Deo petit indulgentiam, & non indulgetur.*

6. *Et ne nos inducas in tentationem*, idest (ut explicat Tertullianus l. de orat.) *Ne patiaris nos in tentationem induci, ab eo utiq; qui tentat. Quod itaq; dicimus Deo (inquit D. August. lib. de bono perseverãtiæ, cap. 6.) Ne nos inducas in tentationem, quid dicimus, nisi, Ne nos inferri sinas in tentationem? Qua in parte ostenditur* (ut recte monet S. Cyprianus sup.) *contra nos nihil Adversariũ posse, nisi Deus ante permiserit, ut omnis timor noster, & devotio convertatur ad Deũ,* &c. *Quãdo autem rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis, & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis superbe sibi, atq; arroganter aliquid assumat, ne quis aut cõfessionis, aut passionis gloriam suam ducat, cum Dominus ipse humilitatem docens dixerit, Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.*

7. Ultima Petitio est, *Sed libera nos a malo. Amen. Orandum est enim* (inquit S. August. sup.) *non solum, ut non inducamur in malum, quo caremus, quod sexto loco ponitur, sed etiam ut ab illo liberemur, in quod jam inducti sumus. Hæc autẽ ultima Petitio* (ut observat S. Cyprianus sup.) *comprehendit omnia mala, & adversa, quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus, a quibus potest esse fida, & firma tutela, si nos Deus liberet, si deprecantibus, atq; implorantibus opem suam præstet. Vel* (ut ait S. Chrysost. in hunc locum) *postulamus liberari a malo, hoc est a Dia-*

Diabolo, qui malus vocatur propter insignem malitiam, non quæ natura illi inest, sed quæ ex electione, & quia contra nos implacabile bellum gerit. Hoc tamen ultimum (inquit S. Aug. epist. 121.) quod in Oratione Dominica positum est, tam late patet, ut homo Christianus in qualibet tribulatione constitutus & in hoc gemitus edat, & in hoc lacrymas fundat, hinc exordiatur, & in hoc terminet Orationem. Unde sequitur, Amen, quo desiderium orantis exprimitur.

§. IV.

* *De virtute Charitatis, peccatisque illi oppositis.*

1. CHaritas est virtus supernaturalis Theologica, qua Deus summe super omnia diligitur propter se ipsum, & proximus propter Deum.

Dicitur *virtus supernaturalis*, quia solis naturæ viribus acquiri non potest, sed necesse est, ut divinitus infundatur. Unde dixit Apostolus ad Rom. 5. quod *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*, &c. S. August. lib. de spiritu, & litera c. 32. *Charitas Dei*, inquit, *dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos dilectores suos facit.*

Dicitur 2. *Theologica*, quia Deum habet pro objecto immediato, primario quidem, prout est in se summe, & infinite bonus, secundario autem, prout suam bonitatem in creatura rationali manifestat.

Dicitur 3. *qua Deus summe, & super omnia diligitur propter seipsum*, quia, ut recte dixit S. Bern. in tract. de diligendo Deo, *causa diligendi Deum, Deus est, modus, diligere sine modo*. Quod quidem fusius infra explicabitur.

Dicitur 4. *& proximus propter Deum*, idest propter bonum Divinum, quod in proximo elucet, vel ad quod proximus creatus est.

Cum autem de hac nobilissima virtute plurima disputari soleant a Theologis, nos hic præcipua tantummodo, & scitu magis necessaria, ex eorum communi recepta doctrina, præsertimque ex iis, quæ apud S. Doct. q. 23. 24. & seq. fusius explicantur, selegimus.

2 Primum est, charitatem non modo esse virtutem supernaturalem Theologicam, cæteris omnibus quibuscunq; virtutibus perfectiorem, ut fuse demonstrat S. Doctor, sed etiam esse ipsarum virtutum veluti formam, in quantum scilicet illis ultimam, & completam perfectionem, earum actus ad ultimum finem perfecte ordinando, tribuit.

Secundum est, charitatem esse amorem, non concupiscentiæ, aut desiderii, sed veræ, ac perfectæ amicitiæ, qua prius a Deo, licet sine ullis nostris meritis, amati, ejusq; beneficiis præventi, ipsum vicissim redamamus, ac summe diligimus propter bonitatem ipsius, non qua nobis bonus est, ac beneficus, sed qua in se infinite bonus, ac perfectus, ac proinde infinite diligibilis est; cum (ut priori

par-

parte tract. 2. cap. 2. dictum est) quidquid in creaturis bonum, aut perfectum est, vel esse potest, id omne in Deo, imo aliquid infinities melius, ac perfectius reperiatur, quod illum omni amore dignissimum efficit.

3. Tertium est, charitatis actus alios esse imperatos, quales sunt illi, qui per ipsius charitatis imperium exercentur, ut cum quis dat eleemosynam pauperi, non modo ut ejus indigentiam sublevet, sed præsertim ut Deo placeat, illique opus gratum exhibeat: alios vero elicitos, qui illius proprii sunt, & ex ejus formali motivo concipiuntur, & quibus homo fertur erga Deum ut summe dilectum, sive per unionem affectuum, idem volendo, quod vult Deus, ejus præcepta, consilia, & alia, quæcunque illi placent, appetendo, & exequendo, non alia ratione, nisi ut voluntatem suam Divinæ voluntati quam perfectissime uniat, & conformet; sive per unionē benevolentiæ, quâ Deo omnia bona velit, quæ ipsi velle potest; bona quidē intrinseca, & essentialia ipsi Deo per verā, & perfectam in illis complacentiā; bona vero ipsi extrinseca, puta gloriam, honorem, amorem, observantiam, & alia religionis, reliquarumque virtutum officia ipsi Deo tam a se, quam ab aliis creaturis exhibenda, per ardentissimum desiderium, quo hæc omnia non solum velit, & optet Deo, sed etiam, quibuscunque modis potest, ut re ipsa exhibeantur, efficiat.

4. Quartum est, verissimum esse, quod S. Bernard. dicit l. 2. de diligendo Deo *Modum diligendi Deum esse diligere sine modo.* Sive enim charitas consideretur objective, secundum illud bonum, quod volumus Deo, sive appretiative secundum æstimationem, quam de Deo ipso concipimus, sive intensive, secundum fervorem, & conatum, quo in Deum per amorem ferimur, nullus modus ipsi præscriptus est. Certum est enim, quod Deum objective, & appretiative tenemur diligere præ alia quavis creatura. Unde Christus Dominus, Matth. 10 *Qui amat*, inquit, *Patrem*, *& matrem plus*, *quam me*, *non est me dignus*. Quamvis autem juxta communem Theologorum sententiam, intensio charitatis sub obligationem non cadat, possimusque actu charitatis etiam valde remisso satisfacere Divino præcepto, quo jubemur Deum ex toto corde diligere, ut docent Almainus, Major, Vega, & alii, quos citat, & sequitur Isambertus Tract. de Char. disp. 4. certum est tamen, nullum intensionis modum in amore Dei esse definitum, nosque nullo affectu adeo ferventi, & intenso posse Deum diligere, quin ad illum adhuc ferventius, & intensius diligendum si non ex præcepto teneamur, saltem per Gratiam ipsius invitemur, & excitemur.

5. Quintum est habitum Charitatis, quod etiam de aliarum virtutum Theologicarum habitibus similiter dicendum est non produci physice per actus, sicut de habitibus virtutum moralium docent Philosophi, sed a Deo infundi, juxta id, quod dixit Apost. Rom. 5. *Charitas*

ritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritū Sanctum, qui datus est nobis, & ex consequenti secundum communiorem, & probabiliorē Theologorum sententiam ab ipsomet Deo augeri, non vero per actus aliquos, nisi tantum dispositive, & meritorie, ut in priori parte dictum est, Tract. 6. c. 4. Sect. 6. Unde Conc. Trid. observat sess. 6. c. 10. Ecclesiam illud augmentum a Deo postulare in quadam Collecta, cum dicit, *Da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum*.

Cæterum per quosnam actus homo ipsius Charitatis augmentum promereri possit, non plane constat inter Theologos. Quidam enim existimant, non nisi per actus ipso habitu intensiores fieri posse, alii etiam per actus æqualiter intensos. Imo quidam asserunt, hominem in charitate constitutum per actus quoque aliarum virtutum promereri posse augmentum ipsius charitatis: quod inter alios docet beatæ memoriæ Franciscus Salesius Episcopus Genevensis l. 3. de Amore Dei, c. 2. probatque ex canone 24. sess. 6. Concilii Trid. ubi indefinite, & sine ulla exceptione dicitur, justitiam acceptam augeri per bona opera, *ubi autem*, inquit ille ex Sancto Bernardo, *nihil excipitur, nihil distinguendum est*.

Quamvis autem propter tanti viri auctoritatem, & plures optimas rationes, quas ibidem profert, hæc ultima sententia probabilissima merito videatur; tutissimum tamen est, & consultissimum unicuique actus quam perfectissimos charitatis crebro elicere, & alia pietatis opera ex ejusdem virtutis motivo cum ingenti animi affectu producere. Ea siquidem ratione non augmentum modo, sed cumulum Divinæ illius virtutis accipere merebitur.

6. Porro thesaurum adeo pretiosum unico mortali peccato totum deperdi, ex Fide certum est & a Concilio Tridentino definitum sess. 6. c. 15. sicut e contra per peccata venialia charitatē non amitti, declaratur eadem sess. capite 11. ubi expresse dicitur, *justos, quantūvis in peccata venialia quandoque cadant, non propterea desinere esse justos*. Ex quibus verbis recte colligitur, non modo charitatem non amitti, sed ne minui quidem per quælibet peccata venialia; quod etiam docet S. Th. q. 24. a. 10. & cum eo communiter omnes. Si enim Charitas minueretur per peccatum veniale, sequeretur, quod per plura venialia tandem omnino amitteretur. Omne siquidem finitum, ablatione sæpius iterata alicujus finiti, tandem consumitur.

Quod quamvis ita se habeat, fatendum est tamen, Charitatis fervorem minui per peccata venialia; quæ licet Charitati contraria non sint, ejus tamen operationibus opponuntur, pravosq; paulatim habitus in anima ingenerant, quibus ad majora, & etiam mortalia peccata perpetranda disponitur.

7. Sextum denique est, dari speciale præceptum de diligendo Deo, non solum negativum, quo prohibetur quidquid contra dilectionem illi debitam committi potest, sed etiam affirmativum, quo Deum actu ali-

aliquo interno diligere obligamur. Ita S. Th qu. 44. art. 1. & evidenter constat ex his Christi Domini verbis S. Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. quibus cum adjungit hæc alia, *hoc est primum, & maximum mandatum*, illud ab aliis mandatis distinctum esse ostendit.

Quæres, quo tempore præceptum illud obliget. Respondetur 1. certum esse, & in confesso apud omnes, tunc nos ad actum Charitatis eliciendum teneri, cum ad actum perfectæ contritionis eliciendum obligamur, sive in articulo mortis, cum aliter Deo reconciliari non possumus, sive cum in statu peccati mortalis Sacramentum aliquod suscepturi, vel administraturi sumus, deestque copia Confessarii. Actus enim perfectæ contritionis Charitate formari debet, ut habetur in Conc. Trid. sess. 14. c. 4.

Respondetur 2. probabile esse, quod Navarrus c. 11. num. 8. & quidam alii docent, hominem ad actum Charitatis exercendum obligari, ubi primum rationis usum adeptus est, ipsique sufficienter innotescit, Deum esse summum bonum, & ultimum finem, ad quem se, suaque omnia per Charitatis actum ordinare tenetur; quamvis Bonac. disp. 3. de charit. qu. 14. punct. 2. & alii Theologi negét, ad actū Charitatis tunc eliciendum obligatū esse sub reatu peccati mortalis. Quidquid autem sit de illa Navarri sententia, indubitatū est apud omnes, omissionem illam non fore peccatū mortale in eo, qui de illa obligatione nihil unquam audivisset, aut nunquam cogitaret, se ad actum Charitatis eliciendum obligari, vel qui Doctorum illorum sententiæ subscribere nollet, & contrariam saltem ut probabilē amplecteretur.

8. Jam quod spectat ad peccata Charitati opposita, quamvis mortalia omnia, quatenus sunt quædam Dei offensæ, huic virtuti maxime adversentur; duo tamen sunt, quæ illi ex propria, & peculiari ratione opponuntur.

Primum est odiū Dei, quod peccator concipere potest, ut docet S. Thom. qu. 34. ar. 1. ex consideratione quorundam effectuum Divinæ voluntatis, qui depravatæ voluntati suæ repugnant, qualis est inflictio pœnæ peccatis debitæ. Deū enim propter se præcise odisse nullus potest, cū in ejus natura nihil nisi infinite diligibile occurrat. Et hoc peccatum haud dubie peccatorum omnium gravissimum est, ut asserit idem S. Doct. 2.2. cum per illud homo maxime a Deo avertatur.

Alterum peccatum est acedia, quæ, ut docet S. Thom. q. 35. a. 1. & seq. nihil est aliud, quam tristitia, & tædium quoddam voluntarium, & deliberatum de bono spirituali, in quantum est bonum Divinum, id est quatenus per illud bonum spirituale, puta per Sacramentorum susceptionem, aliaque bona opera, homo tendit in Deum, illi obsequitur, illum glorificat, &c. Et ut sic opponitur directe Charitati, cujus proprius effectus est gaudium de bono Divino.

Explicatis iis, quę ad Charitatem pertinent, in quantum Deum respicit,

ſpicit, doctrinæ ordo poſtulare videbatur, ut de Charitate proximi aliquid diceremus. Verum cum plurima, quæ ad virtutem illam ſpectant, præceptis ſecundæ Tabulę contineantur, commodius exiſtimavimus, quod etiam præſtitit Navarr. c.14. n.3. & ante illum S. Bon. in 3. diſt. 37. agere de iis, quæ ad charitatem proximi ſpectant, cum quarti præcepti, & ſequentium explicationem aggrediemur.

§. V.

De virtute Religionis, peccatiſque illi oppoſitis.

1. Religionis nomine ſecundum mentem S. Doctoris q 81. a.1. intelligitur virtus illa, per quam homines Deo debitum cultum, & honorem exhibent; quæ quidem non eſt Theologica, ſed prima, & præcipua inter morales, cum pro immediato objecto non ipſum Deum, ſed cultum, & honorem illi exhibendum reſpiciat.

Illius actus, ſicut & aliarum virtutum, ſunt duplicis generis. Alii ſiquidem ſunt eliciti, quibus homo ſubjicitur Deo, illique debitum honorem, & cultum exhibet, cujuſmodi ſunt adoratio, ſacrificium, oblatio, oratio, votum, &c. Per adorationem ſupremam Dei majeſtatem reveremur, noſque illi, quanta poſſumus, animi, ac corporis demiſſione ſubjicimus: per ſacrificium, ipſum Deum colimus, tanquam ſupremum vitæ, ac necis arbitrum: per oblationem ejuſdem Dei abſolutum, ac ſummum in res omnes dominium profitemur: per orationem, ad illum recurrimus, ut ad fontem, & principium totius boni, quod ſperamus: per votum denique eundem agnoſcimus, tanquam ultimum finem, in quem nos, & noſtra omnia ſpeciali affectu referre volumus. De quibus omnibus, & ſingulis plenius agit S Doctor quæſt. 84. & ſequent.

Alii autem ſunt actus Religionis imperati, cujuſmodi ſunt omnes aliarum virtutum actus, qui ad Dei cultum referri poſſunt. Quo ſenſu dicit S. Jacobus cap. 1. *Religio munda, & immaculata hæc eſt, viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum*, &c.

2. Quod ſpectat ad peccata virtuti Religionis oppoſita, varia ſunt, & multiplicia, de quibus non ſolum hic, ſed etiam in duabus Sectionibus ſequentibus agendum erit.

Primum, & præcipuum, ac veluti radix cæterorum eſt ſuperſtitio, qua (ut docet S Th. q.92. a.1.) vel Deo cultus illegitimus, vel creaturæ cultus indebitus exhibetur. Prior illa ſubdividitur in duas ſpecies, quarum altera eſt, cum Deo exhibetur cultus falſus, ut ſi quis nunc veteris legis Sacrificia offerret. Hic enim cultus, ut obſervat S. Doctor q. 95. a. 1. falſus eſſet, cum fuerit inſtitutus ad ſignificanda vitæ, ac mortis Chriſti Domini Myſteria tanquam futura, quæ tamen jam peracta ſunt. Ad quod peccatum, ut monet Toletus l.4. c.14. reducitur illud, quo quis falſas reliquias pro veris ſupponeret,

vel

vel falsa miracula fingeret, ut ementito illo Religionis nomine eleemosynas hinc inde corrogaret.

Altera species est, cum exhibetur Deo cultus superfluus, id est, ut explicat S. Doctor art. 2. cum aliquid fit, quod neque confert ad Dei gloriam, neque ad hoc, ut mens hominis in Deum feratur, aut carnis concupiscentiæ inordinatæ refrænentur; aut etiam quod est præter Dei institutionem, vel contra legitimam, & approbatam Ecclesiæ consuetudinem. *Hoc enim totum*, inquit S. Doctor supra, *reputandum est superfluum & superstitiosum*.

3. Superstitio autem illa, qua cultus indebitus creaturæ tribuitur, quinque sub se includit species, scilicet Idololatriam, Magiam, Divinationem, Vanam observantiam, & Maleficium.

Idololatria est, cum cultus Divinus alicui creaturæ tanquam Deo exhibetur. Observat autem recte Toletus l.4. c. 24. Idololatriam non modo Religioni, sed etiam Fidei esse oppositam. Sicut enim vera adoratio non est, nisi præcedat in intellectu Fides, qua illius excellentiam agnoscimus, cui nos subjicimus; sic adoratio falsa, qualis est Idololatria, supponit errorem in intellectu, quo existimamus creaturam aliquam honore Divino dignam.

Magia est potestas quædam inordinata collata per Dæmones, pacto cum illis inito, qua mediis & pravis, & superstitiosis fit aliquid, quod est supra naturæ vires, non tamen ipsius Dæmonis naturales vires excedit. Pactum autem illud Magi cum Dæmone fit vel expresse cum ipso Dæmone visibiliter apparente, aut cum aliquo alio Mago vices Dæmonis supplente, vel tacite per Dæmonis invocationem, quæ non solum fieri censetur, cum homo conceptis verbis auxilium Dæmonis invocat, sed etiam, ut recte monet Mart. Delrio lib. 6. disq. magic. quoties homo intentat aliquid facere per ea, quæ neque ex se, nec virtute aliqua supernaturali divinitus indita talem effectum producere possunt, ut cum certa verba, & characteres ad morbos depellendos adhibentur.

4. Observat etiam Toletus supra, Magiæ Hæresim sæpe conjunctã esse, ut si Magus cum pertinacia credat, Dæmones posse patrare miracula, aut aliquid citra permissionem Divinam propria virtute facere. *Certissime enim tenendum est*, ut ait S. Aug. l. 18. de Civ. c. 18. *solum Deum posse omnia facere quæ voluerit, nec Dæmones aliquid operari secundum naturæ suæ potentiam, nisi Deus permiserit*.

Observat etiam idem Toletus, contingere aliquando posse, personas quasdam simplices, modis supra explicatis, quibus tacite Dæmon invocatur, utentes invincibiliter ignorare, se invocare Dæmonem, & tunc non peccare saltem mortaliter, propter ignorantiam illam invincibilem, quæ tamen amplius illas non excusat, quando vel ab aliis monentur, vel per seipsas advertunt, id quod faciunt, illicitum esse, aut de illo dubitare incipiunt.

Di-

Divinatio est inordinata & superstitiosa inquisitio rerum aliquarum vel futurarum, vel occultarum, quas homo hic, & nunc naturaliter cognoscere non potest.

Docet autem S. Th. qu. 95. art. 5. semper in Divinatione expressam, vel tacitam Dæmonis invocationem reperiri, ut illius ope notitia rerum illarum acquiratur. Unde fit, ut Divinatio, sicut & Magia, propter illud commercium cum Dęmone, gravissimum contra virtutem Religionis censeatur esse peccatum. Apostolus siquidem 1. Cor. 10. prohibet, Fideles *fieri socios Dæmoniorum*. & S. August. lib. de doctr. Christi cap. 13. dicit: *Omnem societatem Dæmonum tanquam pestiferam esse fugiendam.*

5. Expressa autem Dæmonis invocatio in Divinatione multipliciter fieri solet, ut fuse explicat S. Doct. q. 65. juxta varios modos, quibus solet Dæmon futura, vel occulta manifestare. Aliquando enim id præstat per fictas quasdam apparitiones, quibus oculis hominum illudit, & hæc Divinationis species vocatur præstigium: aliquando per somnia, quando quis per somnia responsum expectat a Dæmone, & vocatur Divinatio per somnia: aliquando per mortuorum fictam apparentiam, vel locutionem, & vocatur Necromantia: aliquando per statuas, & aliqua corpora terrestria, & dicitur Geomantia: aliquando per figuras apparentes in aquis, & vocatur Hydromantia: aliquando per figuras aereas, vel igneas, & vocatur Aeromantia, vel Pyromantia, aliquando per inspectionem viscerum animalium, quæ Dæmonibus immolantur, & dicitur Aruspicium.

Quæ quidem omnes Divinationis species sunt peccata mortalia gravissima, Divina lege reprobata, ut patet Deut. cap. 8. & etiam sanctionibus Ecclesiasticis sub anathematis interminatione prohibita, ut habetur c. *Si quis*, 20. quæst. 5.

Divinatio, quæ fit per tacitam Dæmonum invocationem, ut docet S. Th. sup. in duo genera subdividitur. Quorum primum est, quando ad cognoscendas res futuras, vel occultas, superstitiose cōsideratur aliquid in dispositionibus quarundam rerum, quod ex se nullam habet naturalem connexionem cum rebus illis futuris, & occultis. Ut enim recte dixit S. Aug. l. 2. de doctr. Christ. c. 2. *Istæ opiniones quibusdam rerum signis humana præsumptione institutis, ad eadem illa quasi quædam cum Dæmonibus pacta referenda sunt.*

Quod si ad hunc divinandi finem motus, vel situs siderum considetur, hæc Divinatio dicitur Astrologia: si garritus animalium, aut avium, dicitur Augurium: si earundem avium volatus, Auspicium: si verba quædam hominum casu prolata retorqueantur ad pręnotionem aliquam futurorum, dicitur Omen: si lineamenta quædam manus superstitiose observentur, vocatur Chiromantia.

6. Porro circa Astrologiam observandum est ex S. Doct. q. 95. art. 5. quod, quamvis per illam scientiam aliqui effectus naturales præcogno-

cognosci possint, ut Eclipses, aeris immutationes, &c. item inclinationes, cōplexiones, & aliæ similes corporis humani dispositiones (quod licet valde incertum sit in particulari, nihilominus in generali ex Philosophia compertum est, astra, & cœlos in humana corpora aliquo pacto influere) certum est tamen, duobus præsertim in casibus mortale peccatum esse Astrologica ejusmodi scientia uti: Primo ad ea cognoscenda quæ a [illegible] Divina voluntate pendēt, puta ad cognoscendam prædestinationem, salutem, damnationem, &c. alicujus hominis: Secundo ad ea præcognoscenda tanquam certo eventura, quæ ex libera hominis voluntate pendent. Unde S. Aug. l. 4. Confess. c. 3. dicit, ejusmodi astrorum consultores, quos vocat *Planetarios, a Christiana pietate repelli, & damnari*. & l. 2. de doctr. Christ. c. 10. vocat Astrologiam illam judiciariam Genethliacorū *perniciosam superstitionē*, dicitque illius sectatores *nimis errare, & vendere imperitis hominibus miserabilem servitutem*. Diximus, *tanquam certo eventura*, quia, si quis per illam scientiam ex cognitione complexionis, & habitudinis naturalis alicujus hominis conjiceret tantum evenire posse, ut hoc, vel illud ageret; tunc, licet alioquin vanum, & valde incertum esset tale judicium, non esset tamen peccatum mortale, nisi in eo casu, quo quis ita addictus esset ejusmodi Astrologicis observationibus, ut illis tanquam prima, & præcipua regula in suis actionibus uteretur, ita ut nisi prius consultis astris, neque ullum negotium aggredi, neque quidquam alicujus momenti agere vellet.

7. Est præterea genus alterum Divinationis per sortes. Circa quod advertendum est ex S. Th. alias esse sortes divinatorias, quæ adhibentur ad aliquid occultum, vel futurum sciendum, alias consultorias, ad cognoscendum, quid in aliquo casu agendū sit, alias divisorias, ad determinandum, quid in alicujus rei partitione cuiq; eveniat. Et in sortibus quidem divinatoriis est semper peccatum mortale, quia in illis semper tacita Dæmonis invocatio reperitur, cum neque ex Divina institutione, neque ex aliqua virtute naturali sortes illæ connexionem ullam necessariam habeant cum eo, quod per illas inquiritur.

In sortibus autem consultoriis est etiam peccatū mortale, quando resolutio expectatur a dæmone, non vero quando per illas Deus consulitur. Quod tamen fieri non debet, nisi cum triplici conditione. Prima est, ut non ex curiositate, sed ex gravi aliqua necessitate id fiat. Ex. gr. *Si inter Dei Ministros* (ut id verbis, & auctoritate S. Aug. Ep. 180. ad Honorat. explicemus) *sit discrepatio, qui eorū persecutionis tempore maneant, ne fuga fiat omniū, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia: si hæc disceptatio aliter nō potuerit terminari, quantū mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant, sorte legendi sunt*. Et lib. de doct. Christ. aliud profert exemplum: *Si*, inquit c. 28. *abundaret aliquid, quod oporteret dari ei, qui nō haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel aliqua erga*

re

te necessitudine superaret, nihil justius faceres, quam ut sorte eligeres, cui dandum esset, quod duobus dari non posset.

Secunda conditio est, ut fiat cum reverentia. Unde observat Beda super cap. 1. Act. Apostolos non nisi collecto Fidelium cœtu, & precibus ad Deum fusis, sortes dedisse, ut in locum Judæ alium Apostolum substituerent.

8. Tertia denique conditio est, ut verba sacræ Scripturæ, quæ in sortibus consultoriis adhibentur, ad negotia terrena non convertantur. Unde S. Augustinus Ep. 119. ad Januar. *In his*, inquit, *qui de paginis Evangelicis sortes legunt, etsi optandum sit, ut id potius faciant, quam ad Dæmonia consulenda concurrant, tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia sæcularia, & ad vitæ hujus vanitatem Divina Oracula velle convertere.*

Divisoriæ autem sortes licitæ sunt, dummodo triplex adsit conditio, ut docet Toletus l. 4. c. 15. Prima est, ut nihil in illis fiat contra bonum publicum, ut si Dignitates sorti committerentur inter eos, quorum aliqui essent ad illas inepti. Secunda, ut nihil etiam fiat contra justitiam. Tertia denique, ne fiant ejusmodi sortes in Beneficiis, & Dignitatibus Ecclesiasticis, in quibus sortitione uti non licet. His stantibus conditionibus, sorte divisoria uti licitum est, dummodo eventus illius non expectetur a Dæmone, sed sit pure fortuitus.

9. Vana observatio in eo differt a Divinatione, quod hæc præsertim spectet cognitionem rerum quarundam occultarum modo indebito consequendam, illa vero referatur ad commoditates alias corporis, vel animi, per media quædam inutilia, & superstitiosa obtinendas. Quod si fiat ad nocumenta inferenda, vocatur Maleficium. Certum est autem, ejusmodi vanam & superstitiosam observationem esse ex genere suo peccatum mortale. In ea siquidem vel expressa, vel tacita Dæmonis invocatio semper reperitur, ut docet S. August. lib. de doctr. Christ. cap. 20.

Illius vero tres sunt præsertim species. Prima est ars notoria, quæ orationes quasdam, & jejunia, tanquam media certa, & infallibilia, adhibet ad acquirendas scientias, sine ullo labore, & studio, ad modum scientiarum infusarum: quod quidem fieri sine mortali peccato non potest, ut docet S. Tho. qu. 96. art. 1. Secunda est observatio sanitatum, cum quis nimirum ad sanitatem recuperandam, aut alteri conferendam, media quædam inutilia, & superstitiosa adhibet, ut quasdam orationes certis quibusdam verbis, & non aliis conceptas, certos characteres brachio colligatos, &c. Et hæc vana observatio, nisi invincibilis ignorantia excuset, mortale peccatum est, cum, ut docet S. Th. ar. 2. in ea subsit semper tacita aliqua Dæmonis invocatio. Unde S. August. supra dicit, quod *ad superstitionem pertinent ligaturæ, & remedia, quæ Medicorum quoque disciplina condemnat*, &c.

10. Neque dicas orationes esse media optima, & Religioni valde consentanea. Id enim verum est, si adhibeantur solum ad postulandam a Deo sanitatem, non vero, si illis ex superstitiosa persuasione inesse credatur vis ad conferendam sanitatem, vel si existimetur, per illas orationes sanitatem infallibiliter esse impetrandam, dummodo talibus verbis, & non aliis constent, &c. Quis enim non videat, observationes hujusmodi vanas, & inutiles esse, proindeque & orationi, & Religioni repugnantes?

Idem judicium ferendum est de iis, qui collo appensas gestant reliquias Sanctorum, aut verba quædam Evangelica. Si enim id fiat ex vero, & sincero Religionis affectu, ad colendum Deum, & Sanctos ejus honorandos; licitum est, & pium: si vero vana aliqua circunstantia observetur, ut quod vas reliquiarum debeat esse talis formæ, quod verba Evangelica in charta virgine sint scripta, aut quod certo credatur reliquiis illis, & verbis inesse vim infallibilem efficiendi, ut quis v. g. in bello, aut in statu peccati mortalis non moriatur, id haud dubie superstitiosum est, ac proinde illicitum, ut docet Tolet. lib. 4. cap. 16. post S. Thomam sup. art. 3. ad 3.

11. Tertia denique est vana observatio futurorum eventuum, ut cum quis ex quarundam rerum impertinentiũ occursu mala aliqua, vel bona sibi, vel aliis eventura ominatur. Varia illius vanæ observationis exempla profert S. Aug. c. 20. supra, ubi dicit, quod *Ad pacta cum Dæmonibus inita pertinent millia inanium observationum, puta si membrum aliquod salierit, si junctim ambulantibus amicis lupus, aut canis, aut puer medius intervenerit, si quis cum se calceat, sternutaverit; si vestis a soricibus rodatur, & plus timeatur suspicio mali futuri, quam præsens damnum doleatur.*

Quod spectat ad Maleficium, breviter dicimus, speciem quandam esse vanæ observationis, qua quis Dæmonis ope aliis, sive in corpore, sive in anima, sive in bonis exterioribus nocet, vel nocere intendit. Unde patet, quæ sit differentia inter magum, & maleficum, ut observat Tolet. lib. 4. cap. 16. Magus enim ope Dæmonis utitur, præsertim ad propriam ostentationem, & admirationem sui excitandam, maleficus vero ad nocumentum aliis inferendum.

Est autem duplex maleficium, amatorium scilicet, & veneficum. Maleficium amatorium illud est, quo utuntur malefici ad amorem carnalem excitandũ, vel e contra ad odia, vel divortia inter personas conjugatas excitanda. Circa quod observandum est, ut recte monet idem Tolet sup. Dæmonem nullam posse voluntati humanæ necessitatem inferre, sed eam tantummodo allicere, vel immutando phantasiam, & imaginationem, & rem amatam exhibendo, tanquam amabiliorem, vel carnis appetitũ inflammando, & excitando, quibus non obstantibus voluntas libera semper manet, potestque homo, si velit, Gratiæ Divinæ auxilio adjutus, illecebras omnes ejusmodi abjicere.

Ma-

Maleficium veneficum illud est, quo utuntur malefici, ut alicui noceant, vel in corpore dolores, & infirmitates quasdam inducendo, vel in bonis exterioribus ventos, grandines, & tempestates ope Dæmonis excitando, quibus animalia interimantur, arbores eradicentur, domus subvertantur, &c. Certum est enim, Dæmonem ista, & alia similia, Deo ita permittente, posse efficere, ut manifestum est ex cap. 1. & 2. libri Job.

12. Porro advertendum est, maleficos, præter peccatum maleficii initi, multis insuper aliis horrẽdis peccatis esse irretitos. Quapropter ab illis in Confessione inquiri debet, num aliquod pactũ expressum, vel tacitum cum Dæmone inierint, num Christi Domini Fidem, & Baptismum ejuraverint, num aliquid erroneum contra Fidem crediderint, num Dæmonem invocaverint, vel ipsi adorationem, aut alios Divinos honores detulerint, vel ab ipso aliquid in hac vita, vel in futura speraverint, num sacrilegium aliquod commiserint, & an rebus aliquibus sacris, puta oleo sancto, aqua benedicta, ad impia, & nefanda facinora patranda abusi fuerint. Perpendenda item sunt damna, quæ ex eorum maleficiis fuerint subsecuta, ut reparatio eorum injungatur. Quæ omnia, & plura alia videri possunt apud Martinum Delrio l. 6. sect. 3. & Toletum loco supra cit. ubi etiam recte monet, maleficos peccare, non solum quando utuntur maleficiis ad nocendum; sed etiam cum eandem artem adhibent ad solvendum maleficium, quod intulerunt; imo nec licitum esse petere à malefico, ut maleficium altero maleficio dissolvat, sed orationibus, exorcismis, Sacramentorum digna susceptione, & aliis piis operibus id à Deo postulandum, & expectandum esse.

13. Præter quinque supra dictas superstitionis species, duo sunt adhuc peccata Religionis virtuti speciatim opposita, scilicet tentatio Dei, & sacrilegium.

Tentatio Dei est, cum quis dubitans de aliqua perfectione Dei aliquid agit, ut experiatur, utrum Deus talem perfectionem habeat, necne, v. g. utrum Deus sciat, vel possit aliquid. Hoc autem peccatum ex genere suo mortale est, ut docet Tolet. cap. 19. Ubi etiam observat, duobus modis illud committi posse, uno modo expresse, cum quis aliquid facit hac intentione, ut experiatur, utrum Deus aliquid facere possit, altero modo tacite, quando quis, licet non habeat expressam intentionem Deum tentandi, id tamen agit, quod ex se in illam Dei tentationem tendit, ut cum quis neglectis mediis a Divina providentia constitutis, expectat effectum aliquem à solo Deo, nulla necessitate, aut causa rationabili ad id movente. Unde S. August. lib. 1. contr. Faust. cap. 39. dicit, quod Christus Dominus *fugiendo, & latendo hominis instruebat infirmitatem, ne Deum tentare audeat, quando habet, quod faciat, ut, quod cavere oportet, evadat.*

Quod si necessitas aliqua, vel rationabilis causa subsit, tunc, ut docet S. Th. q. 97. art. 2. non tentaret Deum, qui auxilium aliquod extraordinarium ab eo postularet, aut expectaret, juxta illud 2. Paralip. 20. *Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros ad te dirigamus.*

14. Sacrilegium, ut docet S. Th. q. 99. art. 1. & seq. est violatio rei sacræ, seu cultui Divino destinatæ, quæ violatio contingit, cum aliquid circa eam fit, quod repugnat cum eo cultu, ad quem destinata est, ut recte observat Gregorius a Valentia disp. 6. qu. 15. de Sacr. punct. 1. Tres autem sacrilegii species distinguit S. Doctor supra; prima spectat personas sacras, secunda loca sacra, tertia res sacras, prout a personis, & locis distinguuntur.

Ad primam speciem pertinet quidquid fit contra personã sacram, qualis est Clericus, vel persona Religiosa, quando reverentia ejus conditioni debita, aut immunitas eidem, quatenus Deo sacra est, concessa violatur, aut læditur, ut si quis manus violentas in Clericum injiciat, aut cum persona sacra fornicetur.

Ad secundam speciem spectant actiones illæ, quæ specialiter repugnant cultui Divino, ad quem sacer locus est destinatus, qualia sunt effusio injusta sanguinis humani in Ecclesia, item fornicatio, & quævis alia illicita seminis effusio in eodem loco, furtum item non modo rei sacræ, quod ad tertiam speciem pertinet, sed & cujuscunque alterius, in loco sacro perpetratum, ut ex communi Theologorum sententia docet Valentia supra.

Ad tertiam denique sacrilegii speciem pertinet abusus Sacramentorum, aliarumque rerum sacrarum, ut olei sacri, aquæ benedictæ, &c. item profanatio vasorum, & ornamentorum sacrorum, & violatio imaginum sacrarum. Addit Cajetanus apud eundem Valentiam supra, ad hanc quoque sacrilegii speciem pertinere sacrarum Scripturarum abusum, ut si ad superstitiones inducendas, vel hæreses confirmandas, vel etiam ad res ludicras adhibeantur.

Cæterum recte observat idem Valentia supra qu. 12. sacrilegium quodcunque ex formali intentione, & cum Divini cultus contemptu perpetratum esse peccatum mortale, nec ullam materiæ levitatem excusare, eo quod ratione contemptus, si non materia, certe malitia gravis semper in eo reperiatur. Secus autem est, si quis absque ullo Divini cultus contemptu, re aliqua sacra utatur præter eum finem, ad quem destinata est. Tunc enim tantummodo erit peccatum veniale, si prudentis viri judicio materia levis esse censeatur, si vero gravis sit, erit mortale.

§. VI.

§. VI.

Quot modis peccetur in primum Decalogi præceptum.

1. Contra hoc primum Decalogi præceptum peccant in primis, qui Idololatriam, ac Judaismum profitentur, aut a Fide, vel Religione Catholica per Apostasiam recedunt.

Qui dogmatibus Hæreticorũ, aliisq; erroribus ab Ecclesia damnatis, & proscriptis pertinaciter adhærent, qui Hæreticos in casu hæresis fovent, & protegunt, cum illis temere de Fide disputant, eorum libros legunt, aut concionibus, vel cæremoniis intersunt.

Qui de cujusvis articuli Fidei veritate dubitant, qui Fidem negant, vel dissimulant, cum illam exterius profiteri tenentur, qui Fidei mysteria præcipua, aliaque ad salutem scitu necessaria, ut Symbolum Fidei, Orationem Dominicam, Decalogum, & Sacramenta, culpabiliter ignorant.

Qui de misericordia,& gratia Dei præsumunt,vel de illa desperãt, qui Deum propter flagella sibi inflicta oderunt, de ejus providentia obmurmurant, vel ejus obsequium animo deliberato fastidiunt.

Qui Deo cultum superstitiosum, & iudebitum, vel creaturæ cultum soli Deo debitum impendunt, qui Dæmonem expresse, vel tacite invocant, vel pactum expressum, vel tacitum cum eo ineunt.

2. Qui rerum futurarum, vel occultarum cognitionem per modos superstitiosos,& indebitos inquirunt,ut per præstigia, somnia, necromantiã,geomantiam,&c.item per Astrologiam judiciariam ab Ecclesia reprobatam,augurium, auspicium,omen,chiromantiam, sortes,& alios similes modos a Dæmonibus in perniciem hominum inventos.

Qui divinos, & ariolos de rebus illis futuris, vel occultis consulunt, ab iisque, quid sibi prosperum, adversumve eventurum sit, perquirunt, qui, ut communiter dicitur, cribrum farinaceum, aut anulum vertunt, ut v. g. furti alicujus auctorem detegant.

Qui reliquias vel imagines Sanctorum cum quibusdam observationibus superstitiosis collo, vel brachio appensas ferunt, qui orationes quasdam, & jejunia adhibent, tanquam media infallibilia ad scientias aliquas sine ullo studio comparandas.

Qui ad sanitatem recuperandam, vel aliis conferendam certis verbis, orationibus, characteribus, & aliis superstitiosis modis nullam ex natura sua ad talem effectum producendum vim habentibus utuntur, qui vanis, & frivolis quibusdam observationibus eventura sibi bona ominantur.

Qui maleficiis amatoriis, aut veneficis utuntur, a quibus quærendum est, num damnum aliquod intulerint, ut illius restitutio injungatur: qui per quasdam ligaturas Matrimonii usum, & consumationem impediunt.

meam, *in fide probi viri*, *in conscientia*, non sufficere ad veram, & propriam juramenti rationem. Qui enim iis utuntur, si nihil aliud intendant, significare tantum videntur, se aliquid asseverare ex veracitate, & virtute, quæ virum probum decet.

Est etiam alius jurandi modus, quem S. Th. art. 6. dicit fieri per execrationem, quando quis sibi, vel suis malum aliquod imprecatur, sicque Deum non modo in testem, sed etiam in vindicem invocat, nisi dicta sua veritati consonent.

2. Quocunque autem modo juretur, ut id licite fiat, tres in juramento conditiones requiri, docet idem S.Th. art. 3. ut scilicet juretur in veritate, in justitia, & in judicio, juxta id, quod habetur Jerem. 4. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, in justitia, & in judicio*. Veritas juramenti in eo consistit, prout explicat S. Doctor, ut id, quod juramento asseritur, existimetur esse verum ab eo, qui jurat: justitia, ut juramentum fiat de re licita, & honesta: judicium, ut non fiat, nisi ex gravi, & necessaria causa.

Cum autem juramenta, ut supra insinuatum est, alia sint assertoria, alia promissoria, hoc istorum proprium est, quod is, qui sub juramento promisit, se aliquid facturum, illud adimplere sub peccato mortali teneatur, etiamsi illud, quod promissum est, leve sit & parvi momenti, ut docet Tolet. l. 4. c. 22. & cum illo communiter omnes.

3. Sunt tamen aliqui casus, ut monet idem Auctor, in quibus nulla est, vel cessat juramenti promissorii obligatio, ut si quis juret de re aliqua mala facienda. Tunc enim jurans peccat, nec tenetur, imo nec licite potest illam exequi. Similiter cessat obligatio juramenti, si res per illud promissa fiat impossibilis, vel absque peccato impleri non possit. Tollitur etiam eadem obligatio dispensatione Episcopi, & aliis modis, quibus voti obligationem cessare, infra dicetur. Spectanda etiam est in multis casibus intentio jurantis, ut ex illa juramenti interpretatio petatur. Exempli gratia, qui jurat, se filium, aut servum castigaturum, non ita intendit se ad id obligare, quin sibi reservet facultatem, si ita expedire videatur, pœnam illam remittendi: similiter qui volens alteri honoris causa primum locum cedere, se in illo non sessurum jurat, non intendit ita se obligare, quin, si alius acceptare nolit, possit locum illum sibi retinere. In iis tamen, & similibus casibus longe consultius est a juramentis ejusmodi abstinere, cum nulla sit tunc jurandi necessitas. Unde juramenta illa a peccato saltem veniali excusari non possunt.

4. Quamvis vero juramentum licitum sit, non est tamen de genere bonorum, ut recte monet S. Doct. art. 5. quæ sunt per se bona, & appetēda, ut oratio, eleemosyna, &c. sed illorum, quæ tantum bona sũt, & appetenda, posita aliqua necessitate, sicut medicina, quæ non nisi premente ægritudine prodest. Unde similiter juramentum, cũ sit veluti remedium, quod in fidei humanæ defectum assumitur, non nisi

raro, & urgente necessitate usurpandum est. Quo sensu dixit Christus Dominus S. Matth. 5. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neq; per cœlum*, &c. Quæ verba explicans S. Aug. l. 1. de serm. Dom. in monte c. 17. *Ita ergo*, inquit, *intelligitur præcepisse Dominum, ne juretur, ne quisquam sicut bonum appetat jusjurandum, & assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem dilabatur. Quapropter qui intelligit, non in bonis, sed necessariis jurationem habendam, refrænet se quantum potest, ut non ea utatur, nisi ex necessitate*, &c.

Porro quam perniciosa sit jurandi consuetudo, variis in locis Scriptura Divina testatur, ac præsertim Eccles. 23. *Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa*, &c. *Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo illius plaga*. Qua vero ratione prava hæc consuetudo tolli, & evelli possit, docet S. Chrysost. hom. 5. ad pop. Antioch. his verbis: *Vis discere, quomodo ab hac impia cõsuetudine jurandi liberari possis? ego te quendam docebo modum, quem si tenueris, superabis omnino. Cum videris te ipsum, vel alium quenque servorum, aut filiorum, vel uxorem hoc malo captos, & sæpius commonefactos, nec tamen correctos, jube incœnatos cubare, & hanc tibi, illisque damnationẽ impone, damnationem, inquam, non damnum, sed lucrũ ferentem*. Item in hom. ad baptizandos hoc aliud remedium proponit. *Ab omnibus conjunctis hoc postula, hoc pete beneficium, ut te jurantem arguant, & confundant*. Optime S. Hieron. Epist. 14. ad Celantiam: *Mentiri*, inquit, *& jurare lingua tua prorsus ignoret; tantusque in te sit amor veri, ut quidquid dixeris, juratum putes*.

§. II.

De Blasphemia.

1. Blasphemia secundum doctrinam S. Th. 2. 2. q. 13. ar. 1. est peccatum, quo quis ex pravo cordis affectu de excellentia Divinæ bonitatis detrahit, illique contumeliam infert, vel negando aliquid, quod ipsi proprium est, vel aliquid imponendo, quod minime ei convenit, sive id ore fiat, sive solum mente concipiatur.

Alia est autem blasphemia simplex, alia cum hæresi conjuncta. Illa dicitur cum hæresi conjuncta, quæ aliquid de Deo asserit, vel de illo negat, quod est Fidei contrarium, ut si quis dicat, Deum esse crudelẽ, non esse providum &c. Quod observare debent Confessarii, ac pœnitentes, qui se de talibus accusant, interrogare, nũ ita esse crediderint.

Blasphemia vero simplex est ea, quæ non tã fit per modum assertionis, seu enuntiationis, quã per modum detestationis, ac veluti cujusdam imprecationis in Deũ, ut si quis Deo maledicat, aut verba probrosa in Deum proferat, item si contumeliose partes quasdã corporis Christi nominet, ut caput, sanguinem, mortem Dei, quasi ob ista Dei Filium contemptibilem existimet, illique stupẽda prorsus impietate ex-

exprobret, quod propter nimiam in nos charitatem carni, & sanguini communicare voluerit, & in carne assumpta pro nobis mori.

Quamvis autem is, qui cum debita reverentia, in re maximi momenti, ad confirmandam dictorum suorum veritatem, Christi Domini nomen interponeret, ejusq; corpus, sanguinem, vel mortem pro nobis perpessam honoris causa nominaret, nullum blasphemiæ reatum incurreret, ut recte observat Bonacina disp. 3. q. 8. de blasph. pun. 3. nihilominus supra dicti loquendi modi, qua ratione proferri solent, vix a peccato blasphemiæ excusari possunt, cum semper in illis reperiatur formalis aliquis, aut saltem tacitus Dei contemptus; nisi forte, ut docet Navarrus c. 13. n. 1. linguæ, ac mentis præcipitatio, ut accidit in iis, qui subita aliqua ira corripiuntur, ob indeliberationem, & inadvertentiam a peccato mortali excuset. Quæ tamen excusatio locum non habet in iis, qui pravam illam blasphemandi consuetudinem deliberate contraxerunt, nec ullo modo illam corrigere, aut emendare curant.

2. Docet autem S. Thom. sup. art. 1. ad 2. blasphemiam non modo in Deum, sed etiam in Sanctos committi posse. Ut enim laudare Sanctos, quatenus ad Deum pertinent, ejusque amici, ac filii charissimi sunt, ipsi per charitatem, & gloriam conjuncti, est actus virtutis Religionis; sic illis maledicere, aut contumeliam aliquam irrogare, est peccatum blasphemiæ.

3. Ad eandem blasphemiam reducitur peccatū illud, quod committitur maledicendo creaturas. Quod quatuor modis fieri potest, ut observat Tolet. l. 4. c. 13. Primo eas considerando, quatenus sunt creaturæ Dei, & hac de causa illis maledicendo: & hoc est peccatum blasphemiæ. Secundo respectu alicujus creaturæ rationalis, cujus illæ sunt, v. g. maledicere, aut imprecationem aliquam facere contra armenta, vineas, &c. quia hujus, vel illius sunt: & hoc est peccatum contra charitatem proximi. Tertio creaturæ irrationales, aut inanimatæ possunt considerari secūdum se præcise; & ea ratione illis maledicere est actus otiosus, & peccatum veniale. Quarto denique considerari possunt ratione alicujus mali, vel incommodi, quod inferunt, & ea ratione illis maledicere non est peccatum. Est enim hoc potius ipsi malo, quam creaturæ maledicere. Sic Job maledixit diei, in quo natus est, David montibus Gelboe, in quibus Saul occisus est.

§. III.

De Voto.

1. QUatuor præsertim circa votum investiganda sunt, 1. quid sit votum, & quotuplex, 2. quænam personæ votum emittere possint, 3. quanta sit ipsius voti obligatio, 4. denique quibus modis hæc voti obligatio cessare possit.

Quod

Quod ad primum spectat, votum, ut docet S. Th q.88. a. 1. & 2. est *Promissio deliberata*, *Deo facta*, *de aliquo meliori bono*.

Dicitur *Promissio*, quia non est nudum, & simplex propositum, ut constat ex c. *Literaturam*, de voto, sed ad illius rationem requiritur promissio cum vera voluntate se obligandi.

Dicitur *deliberata*. Promissio enim subita, & inconsiderata non sufficeret ad rationem voti, ut ex communi Theologorum consensu docet Nav. qui etiam recte observat, tantam ad votum faciendum deliberationem requiri, & sufficere, quanta requiritur, & sufficit ad peccatum aliquod mortale committendum.

2. Dicitur *Deo facta*, quia votum, cum sit actus Religionis, & latriæ, ut docet Sanctus Thomas, soli Deo fieri debet. Quod si interdum apud quosdam Auctores, ut apud Eusebium l. 13. de præpar. c. 7. vota Sanctis Martyribus, & aliis in cœlo Beatis nuncupari dicuntur, id intelligi debet ad eum modum, quo Templa, & Altaria Sanctis dicari dicuntur, quia Deo in honorem Sanctorum dedicantur, vel in quantum censetur homo vovere ipsi Deo id, quod Sanctis se impleturum promittit. Quod si promissio alicujus pii operis fiat alicui Sancto præcise ad honorem ejus, & sanctitatis, ac gloriæ testificationem, tunc ejusmodi promissio sacra quidem est, & ad Dei cultum mediate ordinata, sed non est proprie votum, neque actus latriæ, sed solum duliæ, sive observantiæ, ut fusius explicat Suarez.

Dicitur denique, *De bono meliori*: quibus verbis significatur, materiã voti duplicem habere conditionem Prima est, ut sit opus bonum, sive sit tantum in consilio, sive in præcepto. Secunda, ut opus illud bonum, quod vovetur, melius sit, quam ejus oppositum, idest, ut non sit ex se alicujus operis excellentioris, & perfectioris impeditivum.

3. Aliud est autem votum personale, aliud votum reale: aliud item absolutum, aliud conditionale: aliud simplex, aliud solemne: aliud expressum, aliud tacitum.

Votum personale est, quo promittitur aliquid, quod personam vovẽtis spectat, ut cum quis vovet peregrinationẽ: Reale, cũ res aliqua Deo promittitur, ut eleemosyna. Et hæc est utriusque differẽtia, quod etiam ad hæredes transeat obligatio voti realis, non itẽ personalis, ut communiter Theologi docent, & colligitur ex c. *Parte*, de censibus.

Votum absolutũ est, quod independenter a quavis cõditione emittitur: conditionale vero, quod non fit, nisi sub aliqua conditione, ut si quis peregrinationẽ voveat, si a tali morbo liberetur. Et ejusmodi vota nõ obligant, nisi posita illa conditione. Quæ tamen cõditio contraria esse non debet vel substantiæ, vel honestati ipsius voti, ut si quis voveat ea conditione, ut ad implendum id, quod vovit, non obligetur, vel si quis voveat sub ea conditione, quod in lite injusta victor evadat. Hæ siquidem conditiones votum irritum, & invalidum reddunt, ut docet Bonacina disp. 4. qu. 2. de voto, pun. 2.

Vo-

Votum simplex consistit in nuda, & simplici promissione Deo facta: solemne vero illud est, quod vel susceptioni Ordinis sacri, vel professioni Religionis approbatæ conjunctum est, ut habetur c. *unico* de voto in 6.

4. Quod spectat ad personas voti emittendi capaces, docet S. Th. supra art. 8. & 9. duo præsertim ex parte illarum requiri. Primum est, ut qui vovet, usum rationis sufficienter adeptus sit, illiusque compos existat. Unde pueri ante usum rationis, & amentes, ac furiosi votum emittere non possunt. Quoniam vero difficile est discernere, quo præcise temporis puncto sufficiens illud rationis lumen pueris exoriatur, ideo ex communi Doctorum consensu, ut docet Laymann. tract.4. de voto cap. 7. vota ante septennium edita censentur irrita, & invalida esse, nisi probabilissimæ conjecturæ suadeant, sufficientem rationis usum in tenera illa ætate adfuisse, & e contra vota post septennium emissa valida esse, & obligatoria, nisi certa indicia ostendant, sufficientem rationis usum defuisse.

Secundum est, ut persona, quæ vovet, sui juris sit quoad illud, quod vovet. Nullus enim subditus, ut asserit S. Doctor q. 88. ar. 8. firmiter voto se obligare potest in iis, quibus potestati alterius subjacet, nisi consensus ejus accedat.

Observat autem recte Gregorius a Valentia disp. 6. qu. 6. de voto, pun. 6 S. Doctorem non dixisse, votum subditi esse nullum, sed solummodo non esse firmum, nisi accedat consensus Superioris. Votum siquidem a persona subdita emissum est verum votum, pendens tamen ex Superioris consensu, tanquam ex conditione, quæ si accedat, tunc censetur validum, si vero Superior contradicat, fit irritũ.

5. Hinc colliges 1. vota omnia, sive personalia, sive realia, impuberum irritari posse a patre, tutore, aut aliis quorum potestati subsunt, quod & de Religiosis professis similiter intelligendum est respectu Superiorum. Ad quam irritationem, ut docet Navarrus c. 12. nu. 69. sola Superioris voluntas sufficit, nec ulla alia causa, aut ratio requiritur.

Colliges 2. quod, quamvis vota realia puberum, antequam ætatem a lege præscriptam attigerint ad plenam, & liberam bonorum dispositionem, ab eorum parentibus irritari possint, illorum nihilominus vota personalia, quæ patriæ potestati nullum afferunt præjudicium, valida sunt, nec ab eorum parentibus possunt irritari. Ita S. Thomas art. 9. ubi docet, pueros, vel puellas post annos pubertatis, scilicet in pueris post 14. in puellis vero post 12. posse quocunque voto simplici, vel etiam solemni Religionis se obligare. Jure tamen novo Concilii Tridentini sess. 25. c. 15. ad votum solemne professionis religiosæ requiritur ætas 16. annorum completorum, ante quam ætatem, sicut & ante tempus annuæ probationis exactum, professio illa irrita esse censetur.

Colli-

Colliges 3. uxoris vota, quæ ab ea fiunt de iis, in quibus marito subest, posse ab illo irritari, ut habetur cap. *Scriptura*, de voto. Sed difficultas est inter Theologos, quænam sint ea, in quibus uxor marito ita subest, ut sine illius consensu de iis vovere non possit. Quidam enim, ut Sotus, Paludanus, & alii apud Layman. tract. 4. de vot. c. 7. existimant, uxorem æque viro subditam esse, ac Religiosum Prælato, vel Superiori, unde inferunt, quælibet illius vota posse a marito irritari. Alii tamen probabilius, & verius existimant, mulierem tantum subesse marito quoad conjugii usum, & familiæ gubernationem, eaq; proinde tantummodo vota, quæ vel usui conjugii, vel familiæ gubernationi præjudicium aliquod afferunt, posse ab ejus marito irritari. Ita Sylvester verb. votum, Navarr. c. 12. nu. 64. Azor. cap. 17. q. 12. Suar. lib. 6. de voto, capite 4. aliique multi.

Addit etiam Laymann. supra, uxorem similiter posse mariti sui vota rescindere, quæ derogant juri, quod habet in corpus ejus, e. g. si voveret immoderatam aliquam abstinentiam, aut longinquam aliquam, & diuturnam peregrinationem. Imo & existimat, vota quoque realia mariti posse ab uxore rescindi, si cedant in detrimentum notabile dotis, vel aliorum bonorum, quæ ipsi sunt cum marito communia, & quorum administratio penes ipsum est.

§. IV.

Quanta sit voti obligatio, & quibus modis cessare possit.

1. QUod ad primum spectat, certum est, votum esse obligatoriũ, ita ut qui illud implere omittit, peccati reatum incurrat, ut docet S. Thomas, & constat ex Scriptura. Deut. 23. *Cum votum voveris Deo tuo, non tardabis reddere.* &c. *quod si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* & 1. ad Timoth. 5. *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, quæ Apostoli verba in Concilio Carth. IV. cap. 104. & Toletano IV. cap. 55. intelliguntur de viduis, quæ votum castitatis violaverunt.

Quamvis autem voti transgressio sit peccatum ex genere suo mortale, nihilominus ob materiæ levitatem potest esse tantum veniale; ut docent Navarrus c. 12. num. 65. Toletus lib. 4. c. 17. & alii communiter. Votum enim se habet per modum cujusdam privatæ legis, quam vovens sibi imponit. Unde non videtur majorem inferre obligationem, quam lex Divina, vel Ecclesiastica, cujus transgressio in materia levi non nisi peccatum veniale esse censetur.

2. Verũ super hac voti obligatione quæres 1. quo tempore incumbat obligatio voti adimplendi, seu quãdiu citra peccatũ illius executio differri possit. Respond. cum distinctione. Vel enim vovens ipse tempus determinavit, vel non: si primum, executio voti ultra illud sine peccato differri nõ potest, & eo major erit culpa, quo diuturnior

erit

erit mora, ut docet Suarez, & alii apud Laymannum supra c.3. si vero vovens tempus illud non determinavit, debet votum suum adimplere, cum primum commode poterit, alias, si absque causa, & ratione differat, peccabit, ut docet S. Th. art. 3. ad 3. sup.

Recte autem observat Laym. irrationabilem dilationem voti, quo quis se obligavit ad Ordinem sacrum suscipiendum, aut Religiosum statum amplectendum, citius ad mortalem culpam pertingere, quia cum ex vi talis voti obligatus sit homo ad perpetuum, & speciale obsequium Deo præstandum, quanto magis ejus executionem differt, tanto majorem obsequii Deo promissi veluti partem aufert. Quod non eodem modo accidit in aliis votis, v. g. peregrinandi, jejunandi, &c. Hæc enim, tametsi differantur, integre tamen impleri possunt.

Quæres 2. an quis possit voto suo alterum obligare, v.g. an parentes, qui vovent, filios statum Religiosum amplexuros, voto suo filios ad statum illum amplectendum obligent: Respondetur negative, quia obligatio voti, sicut & cujuscumque promissionis, ex propriæ voluntatis consensu nasci debet; unde sequitur, quod non alium, quam ipsum voventem obliget. Si tamen filii votum illud parentum approbent, & ratum habeant, tunc ad illud implendum tenebuntur. Ita Suarez lib. 4. de voto, cap. 9. Bonacina disp. 4. qu. 2. de voto, punct. 5. & alii.

3. Quæres 3. quãdo in voti executione suboritur aliqua difficultas, qua ratione illius voti obligatio sit interpretanda. Respondetur, spectandam in primis esse voventis intentionem, ex qua vis omnis, & modus obligationis nascitur. Quod si de illius intentione non satis constet, verba, quibus votum suum explicavit, erunt expendenda, & secundum magis communem significationem erunt accipienda, juxta illud Deut. 23. *Facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore locutus es*. Quod si neque intentio voventis, neque illius verba rationem voti satis explicent, spectanda erit ipsius voti materia, & secundum ejus naturam, ac conditionem votum erit exequendum. Ex. gr. qui vovit, certa die se jejunaturum, votum exequi debet secundum formam jejunii Ecclesiastici, ita ut abstineat carnibus, & unica refectione contentus sit: qui vovit, se recitaturum Rosarium, debet illud pie, & attente recitare; quia scilicet talis est ratio, & conditio jejunii, & orationis. Ita Suarez sup. c. 7. Valentia disp. 6. q. 6. de voto, puncto 4. & alii.

Quod spectat ad secundum, quatuor præsertim modis obligationem voti cessare, Doctores asserunt.

4. Primus est, quando talis, & tanta rerum mutatio accidit, quæ si ab initio prævisa fuisset, votum illud in tali casu emissum non fuisset. Ita Navarrus, Suarez, & alii, quos citat, & sequitur Bonacina disp. 4. qu. 2. de voto, pun. 7. E. g. si quis voveat, se jejunaturum omnibus diebus Veneris, illique superveniat ægritudo talis,

quæ

quæ ab observatione jejunii Ecclesiastici excusaret, tunc non censebitur ad jejunium illud servandum obligari.

Secundus est, quando votum irritatur, & rescinditur, ut quando Superior irritat votum Religiosi sibi subditi, tutor pupilli, vir uxoris. Tunc enim cessat obligatio ejusmodi voti adimplendi, ut paragrapho præcedenti explicatum est.

Tertius, quando Superioris auctoritate cum vovente super voto dispensatur. Quod ut facilius intelligatur, observandum est ex Navarro c. 12. n. 65. hanc esse differentiam inter dispensationem, & irritationem voti, quod dispensatio proprie spectat ad potestate spiritualem, & ut valida sit, causam aliquam legitimam requirit; irritatio vero pertinet ad potestatem dominativam, sive spiritualis illa sit, sive naturalis, vel politica, neque ad hoc ut valida sit, ullam aliam causam requirit, præter voluntatem Superioris.

5. Hac observatione supposita, certũ est, extare in Ecclesia veram, & legitimam potestatem dispensandi in votis, & aliis obligationibus, quibus homo erga Deum obstrictus tenetur, ut docet S.Th.2.16. & 12. & constat tum ex illimitata potestate solvendi a Christo Domino Ecclesiæ concessa, S.Matth.16. tum ex ejusdem Ecclesiæ perpetua praxi.

Neque dicas, obligationem ad vota servanda esse juris Divini, proindeque Ecclesiam dispensare non posse, ut vota non impleantur, sicut nec dispensare potest, ut alia legis Divinæ præcepta non serventur. Respondetur enim cum S. Doctore a.10. ad 2. per dispensationem non dari licentiam, ut quis votum suum transgrediatur, sed auctoritate legitima Superioris dispensantis fieri, ut hoc, quod continebatur sub voto, amplius sub illo non contineatur, in quantum determinatur, non esse congruam materiam voti.

Certum est præterea ex eodem S.Doctore sup.& aliis communiter Theologis, potestatem dispensandi in votis jure ordinario competere solis Ecclesiæ Prælatis jurisdictionem in foro exteriori habentibus, proindeque Romanum Pontificem, utpote supremũ Ecclesiæ Rectorem, in quibuslibet Fidelium votis, sive simplicibus, sive solemnibus, dispensare posse, ut docent S. Antoninus 3.part. tit.22.c.7. Henricus Gandavensis quodlib.5.qu.28 Ricardus in 4.dist.33.a.9.qu.1. Durandus eadem dist. qu.2. Major ibid qu.3. Navarr.c.12. nu.65. & plures alii, quos citat, & sequitur Lessius l.2. c.40. dub. 19.

6. Quod spectat ad Episcopos, certum est, etiam illos in omnibus votis subditorum suorum dispensare posse, si quinque tantummodo excipiantur, nimirum perpetuæ continentiæ, religionis, peregrinationis Hierosolymitanæ, vel ad limina Apostolorum Romam, vel ad Sanctum Jacobum Compostellam, ut observat Navarrus supra. Unde patet Episcopum dispensare posse in voto castitatis non perpetuæ, & in voto non nubendi, quod differt a voto perpetuæ castitatis, cum per fornicationem non violetur, item in voto suscipiendi sacros Ordines,

dines, quod differt etiam a voto perpetuæ castitatis, quod est illi tantummodo annexum. Addit Lessius sup. dub. 18. & plurimorum Theologorum auctoritate probat, Episcopum dispensare posse in quibusdam voti reservati conditionibus. Ex.gr. si quis vovit ingredi Religionem strictam, potest dispensare, ut ingrediatur laxiorem; item ut professus in arctiore transeat ad laxiorem, nisi fortasse obstet statutum aliquod peculiare a Summo Pontifice confirmatum: similiter posse dispensare cum eo, qui emisso perpetuæ castitatis voto matrimonium contraxit, & consummavit, ut stante tali matrimonio petere possit debitum. Toletus l. 4. c. 18. etiam existimat, quinque illa vota tunc solum censeri Summo Pontifici reservata, cum absoluta sunt; quando vero sub conditione aliqua edita sunt, Episcopum ab illis dispensare posse. Ubi etiam recte observat, neque Summum Pontificem, neque Episcopos, aut quosvis alios Superiores posse sine justa, & rationabili causa in votis dispensare, alias dispensatio non modo illicita, sed etiam invalida foret, quod etiam docet Navarrus, & plures alii apud Laymann. tract. 4. de vot. c. 8. Potestas enim spiritualis non in destructionem, sed in ædificationem a Christo Domino Ecclesiæ Prælatis collata est.

7. Cæterum justæ causæ dispensandi in votis ex quadruplici præsertim capite peti debent, ut observat idem Laymann. ibidem. Primo ex ipso actu vovendi, ut si quis absque perfecta deliberatione, ex quadam præcipitatione, vel animi levitate aliquid voverit, ut habetur ex c. 2. de voto. Secundo ex materia voti, si nimirum spectata corporis constitutione, animi imbecillitate, & aliis similibus dispositionibus, dispensatio voti in majorem ipsius voventis utilitatem spiritualem (quæ præsertim hic spectanda est) cessura videatur. Tertio ex difficultate voti adimplendi postea superveniente, vel ante non prævisa. Quarto denique ex aliqua necessitate notabili, vel utilitate magna Reipublicæ, aut etiam familiæ, ut si quis longam vovisset peregrinationem, cum præstaret, illum Reipublicæ regendæ, aut gubernandæ familiæ potius interesse. Quo vero majus, seu dignius est votum, eo etiam major, & gravior causa requiritur, ut licite, & valide super illo dispensari possit. Et ut plurimum ad majorem cautelam consultum est pium aliquod opus per modum cujusdam compensationis injungere illi, cum quo dispensatur.

8. Quæres, an sicut Prælatus cum subditis, sic etiam possit secum in propriis votis dispensare. Respondetur, posse indirecte, dando alicui ex subditis potestatem secum dispensandi, sicut Sacerdoti sibi subdito dare potest facultatem, qua se ipsum a peccatis sibi reservatis absolvat. Addit Lessius sup. dub. 17. posse illum etiam directe secum in votis ex causa justa dispensare; probatque ex eo, quod secundum doctrinam Sancti Thomæ, quam ibidem citat, possit sibi ipsi dare Indulgentias.

Quæ-

Quartus denique modus, quo cessare potest voti obligatio, est per ipsius voti commutationem. Circa quam dicimus primo, posse voventem propria sua auctoritate votum suum commutare in id, quod spectatis omnibus, melius est, & Deo acceptius, dummodo tamen votum illud non sit Summo Pontifici reservatum. Ita Sotus, Suarez, Azorius, & alii, quos citat, & sequitur Laym. sup. c. 8. Et constat ex capite primo de voto, & ex cap. *Pervenit*, de jurejurando, ubi dicitur, quod *Promissum non infringit, qui illud in melius commutat*. Imo docet S. Th. vota quæcunque, etiam Summo Pontifici reservata, propria cujusque auctoritate commutari posse in vota illa, quæ in professione religiosa emittuntur, quod expresse declaravit Alexander III. capite *Scriptura*, de voto, ubi dicit, quod *Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam Religionis observantiam noscitur commutare*. Rationem affert S. Doctor art. 12. ad 1. quod alia omnia vota sunt quorundam particularium operum, sed per religiosam professionem homo vitam suam Dei obsequio deputat; particulare autem in universali includitur.

9. Dicimus 2. commutationem voti in aliquod opus æquale proprio voventis arbitrio fieri non posse. Ita Suarez, & alii apud Laym. supr. cap. 8. Ratio est, quia non potest aliud pro alio solvi, non consentiente promissario: atqui Deus non videtur consentire, ut ab obsequio sibi per votum promisso ad libitum voventis recedatur, nisi causa aliqua justa urgeat, cujus cognitio ad Superiorem pertinet, vel nisi obsequium aliquod evidenter melius ipsi exhibeatur. Tunc enim promissionem non violat, sed auctiorem reddit.

Dicimus 3. illi, cui jure ordinario, vel per delegationem competit facultas dispensandi in votis, competere etiam facultatem vota commutandi, quia juxta regulam juris 53. in 6. *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus*; at plus est posse dispensare in voto, quam illud commutare.

Quæres, utrum ad commutationem votorum valide, ac licite faciendam causa aliqua requiratur, sicut supra requiri diximus ad dispensationem. Respondetur, nullam requiri, quando commutatio fit in aliquid melius, ut docet Navarrus c. 12. n. 63. Si vero fiat in æquale, vel minus, existimat Suarez l. 6. de voto, c. 19. causam aliquam rationabilem requiri, non tantum ut licita, sed etiam ut valida fit commutatio. Sufficere autem arbitratur Laymannus, si is, qui vovit, voti sui commutationem instanter petat. Tum enim idonea ratio adesse videtur, ut ejus fragilitati condescendatur, quo majore cum solatio, & animi alacritate voti sui debitum in alia materia, ad quam magis affectus sit, exsolvat.

Cæterum quę de voti irritatione, dispensatione, &c. hactenus dicta sunt, similiter de juramenti irritatione, dispensatione, &c. intelligenda esse, docet, & fuse explicat Laymann. tract. 3. de jur. cap. 11.

§. V.

§. V.

Quot modis peccetur in secundum Decalogi Præceptum.

1. CONtra secundum Decalogi præceptum peccant illi, qui juramento falsum asseverant, scientes, aut existimantes, esse falsum, aut dubitantes, num sit verum, sive id contingat in re levi, aut gravi, sive jocandi, aut se excusandi gratia id faciant: & qui se periculo falsum jurandi exponunt; aut qui advertentes, ex prava jurandi consuetudine se frequenter jurare falsum, de emendatione non curant.

Item qui juramento pollicentur, se aliquid facturos, quod tamen non intendunt; aut qui, postquam se juramento obstrinxerunt ad aliquid faciendum, illud adimplere nolunt; vel qui jurant de re aliqua mala facienda.

Peccant etiam contra hoc præceptum, qui verũ quidem jurant, sed absque necessitate, vel in re levis momenti. Et hoc peccatum, ut docet Toletus, ut plurimum tantummodo veniale est, nisi forte ob pravam jurandi consuetudinem, & periculum pejerandi fiat mortale, ut plerunque contingere potest in illis, qui quacunque data occasione adorandum Dei nomen irreverenter, & non sine aliquo contemptu rebus ludicris, & frivolis interponunt, vel se ob res levissimas Dæmoni devovent, aut alio juramento execratorio utuntur.

2. Peccant præterea illi, qui blasphemias in Deum, vel Sanctos proferunt, illos injuriose, & contumeliose nominant, illis detrahunt, maledicunt, aut imprecantur, qui non minus impie, quam irreverenter quibuslibet rebus, etiam aliquando turpibus, aut nefariis, corpus, caput, & sanguinem Dei interponunt.

Peccant denique, qui vovent aliquod malum, vel aliquod bonum, sed malo, & perverso fine: item qui votum adimplere omittunt, aut illius executionem sine ulla necessitate, vel causa differunt: qui vota realia illius, cujus ceperunt hæreditatem, adimplere non curant: qui alios ad vovendum vi, metu, vel dolo inducunt: qui voti dispensationem obtentu causæ alicujus falsæ impetrare nituntur.

SECTIO III.

Explicatur tertium Decalogi Præceptum.

Memento, ut diem Sabbathi sanctifices.

1. HOc tertium Decalogi præceptum, ut asserit S. Doct. q.121. a. 4. ad 1. partim est morale, partim cæremoniale: morale quidem, quatenus per illud præcipitur, ut homo, sepositis aliis tempora-

libus negotiis, aliquod vitæ suæ tempus Divino cultui, Religionisq; exercitiis deputet; cæremoniale vero, quatenus dies Sabbathi designatur, in quo temporalia opera intermittere, & soli Deo, ejusq; cultui vacare jubetur, idque tum in memoriam beneficii creationis: Deus enim universum mundum sex diebus perfecit, & septimo die ab operibus quievit; tum etiam in figuram Christi Domini, peracto Redemptionis opere, toto æternitatis beatæ Sabbatho quieturi.

2. In quantum morale est, omnes semper, & eodem modo obligat, cum, ut ait S. Doctor sup. ab ipsa lege Divina naturali derivetur; in quantum vero cæremoniale, morte Christi Domini antiquatum est, ut declaratur in Catechismo Romano part. 3. c. 4. ubi dicitur, Apostolos ex septem Hebdomadæ diebus illum, qui primus est, loco septimi subrogasse, & Divino cultui in memoriam Dominicæ Resurrectionis consecrasse, illumque diem idcirco Dominicum vocatum fuisse: præter quem aliæ pari observatione, ac cultu observandæ Festivitates extant, quæ in honorem Christi Domini, & Sanctorum ejus institutæ sunt, partim Summorum Pontificum decretis, de quibus speciatim agit Suarez lib. 2. de Festis c. 5. & seq. partim Episcoporum statutis populos sibi subditos obligantibus, ut habetur cap. ult. de Feriis, & in Conc. Trid. sess. 25. c. 12. de reform. partim etiam consuetudine Episcoporum consensu expresso, vel tacito approbata.

§. I.

Quænam requirantur ad Festorum dierum sanctificationem.

1. DUo præsertim requiruntur ad sanctificationem dierum Festorum. Primum est, ut ab operibus servilibus abstineatur, id est ab illis operibus ignobilioribus, quæ ipsius corporis commoditatibus inserviunt, qualia sunt arare, fabricare, sutoriā, vel tonsoriam, aut alias ejusmodi artes mechanicas exercere. Id constat ex variis Conciliorum, Pontificumque decretis, quorum unum, aut alterum hic apponemus. In Concilio Romano sub Eugenio II. apud Antonium Augustinum lib. 20. tit. 19. c. 1. hæc habentur: *Constat omnino observare, ut die Dominico nullas audeant operationes, mercationesque peragere, præterquam in cibariis rebus, ita ut libere possint, ac debite in eo secundum possibilitatem omnes ad Ecclesiam concurrere,* &c. *Qui vero rustica opera die Dominica agere præsumpserit, contra Divina præcepta egisse non dubitet.* Et apud S. Gregor. lib. 11. Epist. 3. *Dominico vero die a labore terreno cessandum est, omni modo orationibus insistendum, ut quod negligenter per sex dies agitur, per diem Resurrectionis Dominicæ precibus expietur.*

Operibus servilibus jungūtur duo alia operū genera, quæ licet minime servilia sint, diebus tamen Dominicis, & festivis Ecclesiastico

jure prohibentur, eo quod animam temporalibus rebus magnopere applicent, nimiumque a Divino cultu abstrahant, mercatus scilicet, id est mercium emptiones, & forenses, ac judiciales actus.

Id similiter constat ex variis Conciliorum, Pontificumque sanctionibus. Ac nominatim in Concilio Parisiensi sub Gregorio IV. circa annum Domini 820. celebrato cap. 50. hæc habentur: *Imperialis celsitudo flagitanda, ut ejus a Deo ordinata potestas cunctis metum incutiat, ne in hac sacra, & venerabili die* (Dominica scilicet) *mercatus, & placita, & ruralia quæcunque opera facere præsumant*. & in Concilio Arelatino sub Carolo Magno cap. 16. prohibetur, *Ne in Dominicis diebus publica mercata, neque causationes, disceptationesque exerceantur*.

2. Dubitatur autem apud Theologos de quibusdam operibus, an servilia sint, proindeque an diebus Festis sint prohibita. De quibus breviter dicimus secundum Navarr. c. 17. q. 4. Suarez lib. 2. de Festis c. 24. & alios, non esse opus servile, nec prohibitum diebus Festis iter facere, scribere, venari recreationis causa, quod & de piscatione, & pictura similiter dici potest: quamvis quidam Doctores, ut Sylv. verb. *Dominica*, Angelus verbo *Feriæ*, & quidam alii merito dubitent, an transcribere, aut pingere lucri, & quæstus causa, eademque ratione piscationi, aut venationi vacare diebus Festis licitum sit, cum ejusmodi opera mercenariorum, & servorum propria sint, quando principaliter fiunt ob quæstum, ac proinde servilia censeri possint. Quare tutius est ab illis abstinere.

Docet autem Navarrus supra ex S. Doctore sup. art. 4. ad 3. sex operum genera licite diebus Festis exerceri posse, primo ea, quibus in Divino cultu obsequium aliquod exhibetur, secudo illa, quibus spiritualia exercentur, qualia sunt docere verbo, vel scripto, tertio, quæ sunt necessaria ad salutem propriam, sive animæ, sive corporis, quarto, quæ ad salutem proximi spiritualem, vel corporalem similiter necessaria sunt, quinto, quæ ad vitandum damnum sibi, vel proximo imminens sunt necessaria, sexto denique, quæ ad ciborum præparationem requiruntur.

3. Et generatim loquendo, quæcunque opera, etiam servilia, licita redduntur ratione alicujus urgentis necessitatis, sive publicæ, ut dicitur cap. *Licet*, de Feriis, sive privatæ, ut cum tempore messis segetes ob pluviam superventuram exportantur, vel simile opus fit ad grave aliquod damnum evitandum. Qua etiam ratione pauperes artifices interdum licite diebus Festis laborare possunt, dummodo absit scandalum, si aliter familiæ suæ ea, quæ ad victum necessaria sunt, nullatenus subministrare queant. Quanquam in iis casibus tutius semper sit adire Superiorem, puta Episcopum, aut in ejus absentia Parochum, & ab illo licentiam postulare. Similiter opera servilia licita fiunt, quando pietatis, aut Religionis causa exercentur, ut si Al-

taria ornanda sint, aut præparanda ea, quæ ad exequias requiruntur: quæ tamen si antecedente die commode peragi possent, in diem Festum non essent differenda. Consuetudo etiam legitime præscripta, & a Superioribus minime improbata in quibusdam operibus alias prohibitis a peccato excusat, v.g. in nundinis publicis, aliisque similibus casibus, ut observat Toletus lib. 4. cap. 4.

Porro in hujus præcepti transgressione materiæ levitas a peccato, saltem mortali, excusare potest: V.g. si quis servili alicui operi brevi temporis spatio incumbat, puta unius horæ, non censebitur, secluso tamen scandalo, peccati mortalis reatum incurrere, ut docet Suarez lib. 2. de Festis cap. 21.

4. Observandum tamen est, multa esse opera, quæ quamvis servilia non sint, diebus tamen Festis illicita censentur, propter temporis excessum, quod in illis impenditur: qua ratione dierum illorum sanctificationi omnino videntur opposita. Quis enim a peccato excusare possit eos, qui ludis, choreis, comessationibus, venationibus, negotiis sæcularibus, aliisque similibus rebus totos dies transeunt? Unde merito conqueritur Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 8. in S. Joan. cap. 5. *Quamplurimos Christianorum diebus festis aut ludis illiberalibus, aut crapulæ, choreis, aut aliis mundi vanitatibus deditos, cum Deo obsequium diligentius exhibere, cum Templa Dei frequentare, orationibus insistere, atque Ecclesiastico Officio interesse deberent, tunc maxime Deum suis dissolutissimis moribus irritare. Id ne est, o Christiani, celebrare diem festum, indulgere ventri, & inconcessis voluptatibus habenas laxare?* &c. *Diebus ad exercenda servilia opera concessis unusquisque suo intentus est operi, & abstinet a crapula, ludis, & vanitatibus; diebus autem festis passim concurritur ad cauponam, ad ludos, ad spectacula, & choreas, in irrisionem Divini nominis, & diei prævaricationem.*

Quamvis autẽ honesta aliqua, & moderata recreatio festis diebus, post persoluta Religionis officia, minime prohibeatur; *ita tamen* (inquit S. Chrysostomus hom. 8. de resur.) *sanctorum dierum festivitas agi debet, ut relaxatione corporũ puritas non corrumpatur animorum, sed potius abstinentes ab omni luxu, ebrietate, lascivia, dantes operam sobriæ remissioni, & sãctæ sinceritati id efficere tẽtemus, ut quidquid tũc corporali abstinentia non adipiscimur, mentium puritate quæramus.*

5. Secundum, quod ad sanctificationem Festorum dierum requiritur, est, ut dies illi cultui Divino, aliisque piis operibus impendantur. Præ cæteris autem Religionis, & pietatis exercitiis, quæ ad debitam Festorum celebrationem pertinent, unum præsertim injungitur, nimirum ut diebus Dominicis, & Festis omnes, & singuli Fideles usum rationis habentes sanctissimo Missæ Sacrificio intersint, cum ea devotione, & attentione, quæ tantum mysterium decet. Hoc præceptum Ecclesiasticum expresse habetur cap.

Si

Si quis etiam, & cap. *Omnes Fideles*, & cap. *Missas*, de consecr. & satis constat ex universali, & continua Ecclesiæ praxi.

Ad hoc vero ut quis huic præcepto satisfaciat, duo præsertim requiruntur. Primum est, ut corpore sit præsens, & mente in Deum intentus. Qui enim sciens, in aliqua Ecclesia Missam celebrari, domi se contineret, mentemque solam circa mysteria Missæ applicaret, huic præcepto non satisfaceret; sicut nec ille, qui corpore quidem præsens esset, sed animo vanis cogitationibus per notabilem aliquam Missæ partem deliberate distraheretur. Non est vero necessarium (ut recte observat Tolet. lib. 6. c. 6.) auribus audire, vel intellectu percipere ea, quæ in Missa dicuntur, vel Sacerdotem celebrantem oculis videre, sed moralis præsentia corporis, & virtualis saltem attentio mentis sufficit.

Potest etiam quis, ut docet idem Toletus, & alii plures Theologi, eo tempore, quo Missæ interest, simul recitare horas canonicas, precesque aliquas, ad quas obligatur, & utrique obligationi simul satisfacere; dummodo, ut monet Navarrus c. 12. num. 8. ita preces illas recitet, ut attentionem auditioni Missæ necessariam non amittat, sciatque, & velit Missam audire, & saltem virtualiter hujus Sacrificii oblatione Deum colere.

6. Quæres, an qui, dum Missa celebratur, peccata sua confitetur, illius audiendæ præcepto satisfaciat. Respondetur, quod, quamvis Suarez, & Azorius, quos citat Bonacina, q. de Missa pun. 11. existiment, nō satisfacere, nihilominus probabilissime dici potest, eos, qui tempore Missæ, præsertim solemnioris, Parochialis v. gr. per aliquod breve temporis intervallū cōfessioni faciendæ incumbunt, præcepto Missæ audiendæ satisfacere: tū quia in illo pœnitentiæ actu plurium aliarum virtutum actus, puta contritionis, humilitatis, boni propositi, &c. exercentur, qui ex se nihil obstant, imo plurimum conferunt ad hoc, ut quis devote sacrificio Missæ intersit: tum etiam, quia communis usus, & praxis ita obtinuisse videtur. In Ecclesiis siquidem Parochialibus, illis præsertim, in quibus una tantum, aut altera Missa celebrari solet (quod in vicis, & pagis frequens est) solent ut plurimum confiteri pœnitentes, interim dum Missa, cui intersunt, celebratur, nec ullus adhuc Episcopus, aut Superior id prohibuit.

Secundum, quod requiritur, est, ut Missa integra audiatur, saltem usque ad Sacerdotis benedictionē, juxta Canonem 47. Concilii Agathensis, & c. *Cum ad celebrandas*, de consecr. dist. 1. Qui enim partem aliquam Missæ prætermittit absque justa causa, peccat, venialiter quidem, si pars sit exigua, mortaliter vero, si sit notabilis, ut docet Navarrus c. 21. n. 1. & 2. Bonav. disp. 44. q. ult. de Missa pun. 11.

7. Quænam autem sit notabilis pars Missæ, quam proinde omittere sit peccatum mortale, Navarrus, Suarez, Toletus, quos citat, & sequitur Bonacina, existimant, illam Missæ partem, quæ a

principio usque ad Epistolam inclusive protenditur, esse notabilem, nec sine peccato mortali omitti posse: Sylvester tamen, Coninchus, & Azorius ab eodem citati, partem illam notabilem extendunt usque ad initium Evangelii. Addit Toletus lib. 6. c. 9. ex Navarro, & aliis, posse utcunque huic præcepto satisfieri, si quis partem alteram audiat ab alio: quod quamvis ipsi probabile videatur, recte tamen monet, consultius esse, & tutius integram unius Sacerdotis Missam audire. Observat etiam ibidem, nullam esse obligationem, ne in die quidem Natalis Domini, plures Missas audire, sed unam sufficere ad hoc, ut præcepto satisfiat.

Porro a præcepto Ecclesiastico Missam diebus festis audiendi excusat impotentia, sive physica, sive moralis. Impotentiam physicā dicimus, cum quis nullo modo id potest, puta cum est in carcere detentus, vel lecto per ægritudinem affixus, aut navigat in mari, &c. Nam iuxta regulam juris 9 *Ad impossibile nemo potest obligari*. Impotentiam vero moralem intelligimus, quando quis non nisi cum summa difficultate, aut gravi detrimento, corporali, vel spirituali, proprio, vel alieno Missam audire potest, ut si quis timeat, ne adeundo Ecclesiam ab hostibus in via occidatur, vel si domum deserat, ne a furibus expiletur, vel si infirmum solum relinquat, ne grave aliquod incommodum patiatur. Ita Navarrus, Suarez, & alii apud Bonacinam disp. 44. qu. ult. de Missæ Sacrificio punct. ult. apud quem plurimi alii similes casus videri possunt.

§. II.

Quot modis peccetur in tertium Decalogi Præceptum.

1. PEccant in primis, qui diebus festis contra Ecclesiæ prohibitionem opera servilia absq; ulla causa legitima exercent, & qui alios ad id cogunt vel inducunt: peccant etiā Superiores politici, qui diebus festis sibi subditos operibus illis servilibus vacare permittunt.

Item qui diebus festis, citra necessitatem, vendunt aliquid, aut emunt, præsertim si in emptione illa, aut venditione tempus aliquod notabile insumatur; & qui diebus illis officinas apertas tenent, aut merces vendendas exponunt.

Peccant & Judices, & illorum Officiales, si nulla urgente necessitate, diebus festis, citationes testium, juridicas auditiones, & alias judiciales actiones exercent: item qui totos dies festos, aut maximam, & præcipuam illorum partem aleis, choreis, comessationibus, & aliis vanis, aut profanis actionibus impendunt.

2. Peccant, qui diebus festis Missam audire omittunt, vel illam integram non audiunt, vel qui audiunt quidem, sed sine attentione, ac per illius partem aliquam notabilem vanis confabulationibus, ac superfluis cogitationibus deliberate distrahuntur.

Peccāt deniq; patresfamilias, aliique Superiores, qui a filiis, & subdi-

ditis Missam diebus festis audiri non curant, aut eos talibus occupationibus detinent, ex quibus fit, ut Missam audire non possint.

SECTIO IV.
Explicatur quartum Decalogi præceptum.

Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.

Cum juxta doctrinam S. Th. 2.2. q. 33. ar. 2. præcepta, quæ pertinent ad officia charitatis proximo impendenda, ad hoc quartum Decalogi præceptum reducantur; idcirco, antequam explicemus particularia illa officia, quibus erga parentes, & alios Superiores obstringimur, videtur doctrinæ ordo, quem etiam Navarrus secutus est, postulare, ut prius de ipsa charitate proximi, illiusque generalibus præceptis, & obligationibus tractemus. Quod ut distinctius exequamur, tria præsertim hic explicanda sunt, primo quænam personæ sint ex charitate diligendæ, secundo quis ordo sit in illa dilectione servandus, tertio quinam sint actus charitatis, & quo tempore ad illos exercendos obligemur. Exinde ipsius quarti præcepti specialem obligationem aggrediemur, & investigabimus, quænam personæ patris, ac matris nomine designentur, & quem honorem illis impendere debeamus.

§. I.
Quænam personæ sint ex charitate diligendæ.

1. Docet S. Thom. qu. 13. art. 22. quatuor præsertim esse ex charitate diligenda, juxta mentem S. Augustini l. 1. de doctr. Christ. c. 23. *unum, quod supra nos est, scilicet Deum, alterum, quod nos sumus, tertium, quod juxta nos est, scilicet proximum, quartum, quod infra nos est scilicet propriũ corpus.* Atque in primis de dilectione ipsius Dei sectione 1. egimus. Quod vero spectat ad dilectioné illam, qua nos ipsos ex charitate diligere tenemur, docet S. Th. art. 4. quod, cum charitas, qua Deum diligimus, etiam ad ea, quæ ipsius Dei sunt, debeat extendi, cumque juxta Apostolum ad Rom. 14. *Nemo nostrum sibi vivat, nemo sibi moriatur, sed sive vivimus, sive morimur, Domini sumus*, & quidem tot titulis, quot in ejus Divinitate perfectiones fulgent, quot ab ejus bonitate beneficia in nos effluunt, ideo unusquisque seipsum non propter se, sed propter Deum, uti aliquid ipsius Dei, debet ex charitate diligere.

Quod spectat ad corpus nostrum idem S. Doct. art. 5. dicit, illud duobus modis considerari posse, vel secundũ ejus naturam, vel secundum infectionem culpæ, & corruptionem pœnæ. Cum igitur natura ejus a Deo sit, possimusq; uti corpore nostro ad ipsius Dei obsequium,

&, ut loquitur Apostolus Rom. 6. *exhibere membra nostra, arma justitiæ Deo*; ea ratione debemus etiam corpus nostrum diligere, sed infectionem culpæ, aut corruptionem pœnæ in corpore nostro nullatenus diligere, aut fovere debemus, imo potius ex vero charitatis affectu amovere. Unde intelligitur, quo sensu dixerit Apost. Coloss. 3. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram*, &c.

2. Quod denique spectat ad proximum, quem ex charitate diligere debemus, S. Doctor ab illa proximi denominatione excludit in primis creaturas rationis expertes, quia sunt incapaces beatitudinis supernaturalis, in cujus communicatione charitas fundari debet: excludit deinde damnatos, & Dæmones, quia ipsis bonum æternæ vitæ velle non possumus, cum ipsis illud Deus non velit, imo contrarium pro tota æternitate decreverit.

Nomine igitur proximi S. Doctor art. 6. 8. & 10. asserit significari sanctos Angelos, & homines, sive beatos, sive viatores, sive peccatores, sive justos, sive amicos, sive inimicos: quos quidem ita ex charitate diligendos esse dicit, ut eos nunquam actu ipsi charitati contrario, odio scilicet, prosequamur, neque ullum eorum ab illa generalitate dilectionis proximi excludamus, & præterea ut secundum animi dispositionem semper parati simus charitatis actus sive internos elicere, sive externos exercere erga quoscunque, etiam peccatores, aut inimicos, quotiescunque id ex Divinæ legis præscripto faciendum esse nobis innotescet.

3. Quod autem spectat ad inimicos, in quibus est specialis difficultas, certum est, illos ex charitate propter Deum esse diligendos, quod expresse præcipit Christus Domin. S. Matth. 5. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, illisque dilectionis signa generalia exhibenda, quæ nos æque communiter aliis ejusdem conditionis hominibus, neque nos attingentibus exhibere solemus, & in casu extremæ, vel gravis necessitatis illis æque, ac aliis auxilia, & beneficia præstanda, quod etiam jussit Christus Dominus, cum dixit ibidem, *Benefacite iis, qui oderunt vos*. Imo etiam injuria ab eis accepta propter Deum ipsis est condonanda. Dixit enim Christus Dominus Matth. c. 6. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra*. & c. 18. dicit, condonationem illam non solum exterius, sed ex interiori cordis affectu esse præstandam. Quod si actio injuriarum civilis, aut criminalis ab eo, qui damnum, aut læsionem passus est, instituatur, sicut id jure potest, sic ex odio, & vindictæ appetitu facere non debet, sed civilem quidem eo tantum fine, ut damnum illatum compensetur, criminalem vero ex amore Justitiæ, aut alicujus alterius virtutis motivo, ut docet Ricardus, Gabriel, Navarrus, & alii apud Laymann. tr. 3. de char. c. 4. non vero ex motu odii, aut appetitu vindictæ.

Quamvis autem hæc ita se habeant, certum est nihilominus, licitum

tum esse, & honestum in peccatoribus, & inimicis odisse, ac detestari peccatum, illudque per emendationem tollere, si id jure possumus, vel optare, ut a Deo, aut a Superioribus puniatur. Unde Apostolus dicebat Gal. 5. *Utinam abscindantur, qui vos conturbant.* Quin & de ejusmodi punitione lætari possumus, quatenus per illam tollitur malum peccati, & e contrario tristari, si peccatorum pravos conatus prosperari videamus. Quod optime explicat S. Greg. lib. 22. Mor. cap. 11. his verbis: *Evenire plerumque solet, ut non amissa charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rursus gloria sine invidiæ culpa contristet, cum & ruente eo quosdam bene erigi credimus, & eo proficiente quosdam injuste opprimi formidamus.*

§. II.

Quis ordo in Charitate servandus sit.

1. Certum est, ordinem aliquem in dilectione Charitatis esse servandum, ut docet, & probat S. Thomas qu. 26. art. 1. 2. & 3. Hic autem ordo, ut idem explicat, exigit a nobis, tum ut Deum amore appretiativo plusquam res alias quascunque absque ulla comparatione, aut exceptione diligamus, tum ut post Deum nos ipsos, exinde proximos nostros, ac ultimo loco corpus nostrum eadem Charitatis dilectione complectamur.

Cum autem diligere nihil aliud sit, quam bonum velle, sintque tria præcipua bonorum genera, quæ nobis ipsis, vel proximis velle possumus, spiritualia scilicet, ut gratiam, virtutes, & gloriam, &c. corporalia, ut vitam, & sanitatem corporis, &c. exteriora denique, ut famam, divitias, &c. ordo charitatis supra relatus postulat, ut post Deum (de cujus dilectione jam supra egimus) quisque primo seipsum diligat quoad bona spiritualia, deinde proximum quoad eadem bona spiritualia, postea seipsum quoad bona corporalia, & exinde proximum quoad eadem bona corporalia, & sic deinceps seipsum, & proximum quoad alia bona exteriora. Ita S. Thom. per totam quæst. 26. ubi id fuse explicat.

2. Unde sequitur 1. nunquam licitum esse, cujusvis boni alii procurandi prætextu, spiritualem aliquam animæ jacturam per peccatum quantumvis exiguum deliberate incurrere. *Quid enim prodest homini*, ut ait Christus Dominus S. Matth. 16. *si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Et cap. 22. ponit dilectionem sui ipsius, tanquam regulam, & normam dilectionis proximi, *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*, regula autem, ut docet S. Th. a. 4. prior, & potior est, quam regulatum.

Sequitur 2. quoad alia bona corporalia, & exteriora, cæteris paribus, ununquenque debere magis seipsum diligere, quam proximum. Unde, ut ait S. August. lib. de mendacio c. 6. *Si quis exponat vitam*

corpo-

corporalem propriam pro vita corporali alterius, jam non diligit proximum, ficut feipfum, fed plufquam feipfum, quod, ut poftea fubjungit, *fanæ doctrinæ regulam excedit*. Non eft tamen contra hunc charitatis ordinē, fi quis ex motivo alicujus virtutis vitam propriam pro tuenda amici vita exponeret, quod a S. Hieron. in c. 7. Mich. & S. Ambrofio lib. 3. de Officiis c. 12. tanquam honeftæ, & perfectæ amicitiæ officium commendatur. Et a fortiori poffet, imo aliquando deberet quis pro falute temporali communitatis fuæ, puta civitatis, aut patriæ, vitam, & alia bona exteriora exponere; cum rationis ordo poftulet, ut pars pro fuo toto periclitetur.

Sequitur 3. fi de bonis diverfi generis agatur, tunc bonum fpirituale proximi bono noftro corporali præferendum effe, ac proinde proximo verfanti in extrema neceffitate fpirituali, etiam cum certo propriæ vitæ periculo, fuccurrendum effe, dummodo tamen probabilis fpes juvandi proximū affulgeat. Ita S.Th. q. 44. a. ult. ad 2. Unde S. Joann. Ep. 1. c. 3. *Et nos debemus*, inquit, *pro fratribus animas ponere*.

Et in extrema quidem, ac moraliter infuperabili neceffitate fpirituali tenetur quilibet Chriftianus hunc charitatis ordinem fervare, ut ex ante dictis conftat, & etiam docet S. Aug. & poft illum communiter omnes Theologi. Paftores autem, & ii, quibus animarum cura incumbit, fubditis fuis non folum in extrema, fed etiam in gravi neceffitate conftitutis fuccurrere debent, etiam cum propriæ vitæ periculo, ut fufius docet, & probat, variifque exemplis illuftrat Greg. a Valent. difp. 3. q. 4. de ord. c. 4.

3. Quod autem fpectat ad ordinem Charitatis in proximorum dilectione fervandum, certum eft in primis, quotiefcunque agitur de auxilio præftando in extrema, vel gravi neceffitate corporali alicujus, ordinem Charitatis poftulare, ut perfonas nobis fecundum carnē magis conjunctas aliis fecundū carnem minus conjunctis præferamus. Unde fequitur, patrem, & matrem aliis omnibus effe præferendos, exinde uxorem, poftea filios, & fratres, & alios confanguineos, prout quifq; illorum nobis fecundū carnem conjunctior exiftit, ut docet S. Th. a. 8. & feq & poft illum Ifambert. tract de Char. difp. ult. a. 2.

Quod fi fiat comparatio eorum, qui fecundum carnem, cum aliis, qui fecundum fpiritum nobis conjuncti funt, quamvis variæ fint Doctorum fententiæ, nec fatis dilucide conftet, quænam fuper hac quæftione fuerit mens S. Doctoris, probabiliffima tamen nobis videtur eorum fententia, qui afferunt, quod, quamvis abfolute loquendo illi, qui fūt meliores, & fanctiores, aliis minus bonis, & fanctis objective magis diligi debeant, id eft amore approbationis, & complacentiæ, quo illorum virtutem, & fanctitatem magis æftimemus, & amemus; appretiative tamen eos, qui nobis fecundum carnem propinquiores funt, magis diligere debemus iis, qui nobis fpiritualiter tantū funt conjuncti. Ita Ricard. Banes, & alii, quos citat, & fequitur Ifamb. fup.

Quod

Quod tamen non obstat, quin amicum; vel benefactorem insignẽ præferre interdum liceat aliquibus consanguineis, ut post Dominicum Bannem docet Valentia sup. pun. 5. Fieri etiam potest, ut aliquando causæ aliquæ rationi maxime consentaneæ occurrant, ob quas ordo Charitatis supra relatus licite, ac honeste inverti possit, ut expresse docet S. Th. q. 32. art. 9 e. g. in favorem personæ bono publico maxime utilis.

§. III.

De actibus Charitatis erga proximum, ac præsertim eleemosyna corporali.

1. VArii sunt, & multiplices actus Charitatis erga proximum, quorum præcipuos enumerat S. Doct. quæst. 27. 28. & seq. scilicet dilectionem, qua alteri per Charitatem bonum volumus, beneficentiam, qua bonum, quod ei volumus, quantum possumus, re ipsa illi tribuimus, gaudium, quo de illius bono, v. g. conversione à peccatis, profectu in virtute, &c. lætamur, pacem, qua simul cum proximo conspiramus in iis, quæ ad illius bonum spirituale conferunt, misericordiam, qua illius miseriis tanquam nostris condolemus, easque, quantum possumus, sublevamus.

Sunt autem duo præcipui actus ipsius misericordiæ, de quibus Theologi fusius disputare solent, eleemosyna scilicet, & correctio fraterna.

Eleemosyna, ut docet S. Thomas q. 32. ar. 1. est actus Charitatis, quo quis propter Deum proximo indigenti subvenit. Cum autem duplex indigentia reperiri possit in proximo, spiritualis scilicet, ac corporalis, ideo etiam duplex eleemosynæ species a S. Doctore ar. 2. assignatur, alia spiritualis, qua indigentiæ spirituali succurritur, de qua paragrapho sequenti agemus, alia corporalis, qua miseria, & indigentia corporis sublevatur.

2. Circa hanc vero eleemosynam corporalem certum est, illam esse non solum in consilio, sed etiam in præcepto, ut docet, & probat S. Th. ar. 3. & aperte colligitur ex variis Scripturæ locis. Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, manum egeno, & pauperi non porrigebant*. Et S. Matt. 26. Christus Dominus flammis æternis adjudicat eos, qui misericordiæ opera exercere omiserint. Id ipsum SS. Patres unanimiter asserunt. S. Ambrosius l. de Naboth, loquens de eleemosyna, *Debitum*, inquit, *reddis, non largiris indebitum, ideoq; tibi dicit Scriptura, Inclina pauperi aurem tuam, & redde debitum tuum*. S. Basil. concione in illud divitis, *Destruam horrea mea*, dicit divitem illum *non cogitasse de superfluo pauperibus erogando, nullamq; præcepti Divini habuisse rationem*. S. Greg. Nazian. orat. de pauperũ amore dicit, nos *Mandato Divino, atq; exemplo ad eleemosynam largiendã excitari*,

Ve-

Verum difficultas est, cum præceptum illud affirmativum sit, quo potissimum tempore obliget. Quod ut melius, & certius dignoscatur, observandum est ex S Doctore, obligationem faciendæ eleemosynæ ex duplici capite oriri, primo ex parte dantis, si habeat bona superflua, sive ea sint superflua naturæ, id est non necessaria ad vitam suam, & suorum sustentandam, sive sint superflua personæ, id est non necessaria ad personæ conditionem, dignitatemque tuendam: secundo ex parte accipientis, si aliqua prematur necessitate, quæ quidem triplex esse potest, una extrema, cui nisi succurratur, hominis vita periclitabitur, altera gravis, cui nisi subveniatur, vitam ægre, ac difficulter sustentabit, tertia communis, qualis est ferme eorum, qui ostiatim mendicant.

3. Hac observatione supposita, in quæstione valde perplexa, & difficili, quæ Doctores in varias distraxit sententias, breviter dicimus, probabilissimam nobis videri sententiam illorum, qui asserunt, ununquenque obligari sub peccato mortali ad eleemosynam erogandam de superfluis naturæ, iis, qui sunt in extrema necessitate constituti, de superfluis vero personæ, iis, qui gravi necessitate laborant. Ita Tolet. l.8. c. 35. ubi pro hac sententia citat S.Doctorem, & plurimos alios Theologos, probatque illam ex his Christi Domini verbis Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*, &c. *hospes eram, & non collegistis me*, &c. *infirmus, & in carcere, & non visitastis me*. Manifestum est enim, has necessitates non esse extremas, & tamen condemnari hominem, qui in illis proximum suum sublevare omisit.

An vero ex superfluis illis personæ unusquisq; sub peccato mortali teneatur ad erogandam eleemosynā in omnibus pauperū necessitatibus, ita ut nullus licite possit superflua sibi retinere, sed pauperibus, qui nunquam, & nusquam desunt, illa distribuere obligetur, idem Toletus supra asserit, communiorem Doctorum sententiā esse negativam, quamvis non desint, qui affirmativā amplectantur; proindeque nullū sub peccato mortali ad eroganda pauperibus superflua teneri extra graves, aut extremas necessitates, atq; se non audere ad id obligare sub mortali eos, quos tot, & tāti Doctor. ab illo citati excusant.

Recte tamen monet, eos, qui habent superflua, non omnino securos esse debere, sed timere, ne forte sibi, suæq; cupiditati nimis blandiantur, & serio perpendere, quam diversa sint judicia Dei a judicijs hominum, ideoq; longe tutius esse, ut superflua illa status, & dignitatis in opera Charitatis, aut alia Deo grata, & honorifica impendant, quam otiosa apud se retineant, præsertim cum SS. Patres, quorum plurimos citat, sint hac in re longe rigidiores, videanturque asserere, universim homini Christiano illicitum esse superflua retinere, quandiu sunt aliqui pauperes, in quos illa erogare possit.

Addit præterea idē Auctor, aliter hoc eleemosynæ faciendæ præ-

cepto teneri eos, qui aliorum curam habent, præsertim Ecclesiasticã, & spiritualem, aliter eos, qui non habent. Hi enim satisfaciunt indigentibus illis, qui occurrunt, eleemosynam erogando, illi vero insuper inquirere aliquo modo tenentur, num sibi subditi, suæque curæ commissi gravem aliquam egestatem patiantur, ut eis succurrant. Docet præterea, personas Ecclesiasticas, sive Beneficia, & redditus Ecclesiasticos obtineant, de quibus infra suo loco, sive bona tantum patrimonialia possideant, eodem faciendæ eleemosynæ præcepto arctius obligari, eo quod in illis superfluum magis inveniri possit, quam in Laicis. Cum enim neque uxores, neque filios, aut filias habeant, cumque modum, ac modestiam in victu, ac vestitu servare teneantur, non tot rebus indigent, nec ad tantas expensas faciendas obligãtur.

4. Quæres, num omnes personæ eleemosynã erogare licite possint. Respondet S. Doctor a. 8. illum, qui est sub alicujus potestate constitutus, de re illa, secundum quam Superiori subjicitur, eleemosynam licite facere non posse, nisi de consensu illius, cui subditus est. Unde sequitur, Religiosos, filiosfamilias, ac servos eleemosynas absque consensu Superiorum, parentum, aut dominorum erogare licite non posse, nisi extrema aliqua indigentis necessitas eos ad id obliget. Possunt tamen filiifamilias ex bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, id est ex illis, quæ vel in bello, vel in alicujus Officii publici exercitio consequuntur, erogare eleemosynas, sicut & de iis, quæ in proprias expensas ipsis a parentibus conceduntur. Ita Toletus lib. 8. c. 31.

5. Quod autem spectat ad uxorem, quamvis de bonis communibus absque mariti consensu eleemosynas erogare non debeat, poterit tamen, ut idem Toletus docet supra c. 29. id facere, si ultra dotem, quam attulit, aliquid sibi proprium reservarit, aut si per alterius donationẽ, vel proprium laborem, & industriam aliquid illi obveniat: in quo tamen locorum consuetudinem servandam esse dicit: item si maritus sit amens, aut ipsi uxori rei domesticæ administrationem relinquat, aut sit supra modum tenax, & avarus, nec eleemosynas ullas, etiam cum tenetur, erogare velit; tunc enim uxor id poterit exemplo Abigail 1. Reg. 25. quæ Davidi dedit, viro suo nesciente. Addit idem Auctor, posse etiam de bonis sibi cum marito communibus facere modicam eleemosynam, propter quam maritus nullam indigentiam patiatur.

§. IV.

De eleemosyna spirituali, & correctione fraterna.

1. DOcet S.Th. qu. 32. a. 1. septem præsertim modis spiritualem eleemosynam exerceri posse, scilicet docendo ignorantem, consilium dando dubitanti, afflictum consolando, corripiendo peccantem, tolerando benigne illos, qui graves sunt, & onerosi, condonando injurias, & pro vivis, ac defunctis orando.

De

De hac autem spirituali eleemosyna idē, quod de corporali dicendum est, servata tamen debita proportione, scilicet ununquenque teneri eo quo potest modo ad succurrendum proximo cōstituto in extrema, & moraliter insuperabili necessitate spirituali, ut dictum est §. 2. & etiam in gravi, id est, quando non nisi ægre, & cum summa difficultate necessitas illa spiritualis superari potest. Quamvis hæc obligatio succurrendi in gravi necessitate spirituali non adeo stricta sit in Laicis, atque in Sacerdotibus, illis præsertim, quibus animarum cura commissa est, qui proinde ratione officii sui debent instruere ignorantes de rebus illis, quæ ad salutem necessariæ sunt, consilii rectum de iisdē rebus ad salutem necessariis præbere, itē afflictis, quam possunt, impendere consolationē, ne malorum pōdere oppressi in desperationem incidant, similiter & aliorū defectus tolerare, condonare injurias, corripere peccantes, ac pro vivis & defunctis orare, quoties id ab illis charitatis ordo, aut muneris sibi impositi ratio exigit.

2. Verum peculiaris est difficultas circa correctionem fraternam peccantium, quo nomine a Theologis intelligitur qualiscunque sermo, quo quis vel monendo, vel reprehendendo, vel hortando, vel rogando, vel instruendo, aut alia simili ratione nititur proximum a peccato revocare, & ad officium, virtutemque reducere; idque ob ipsius proximi proprium, ac peculiare bonum.

De hac autem fraterna correctione supponimus tanquam certum, inesse obligationem ad illam faciendam non solum ex consilio, sed etiā ex præcepto, ut docet S Th. qu. 33. a. 2. & cū eo Theologi omnes, qui id communiter probant ex his Christi Domini verbis S. Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum*, &c. id est, si, te sciente, peccavit frater tuus ut explicat S. Aug. ser. 16. de verb. Dom. qui hæc Christi Domini verba tanquam de præcepto dicta intelligit.

Hoc supposito, tria præsertim de correctione fraterna quæri possunt, primum, quando facienda sit, secundum, a quo facienda sit, tertium, quis ordo in illa servandus.

3. Ad primum quæsitum respondetur, hoc præceptum, cū affirmativum sit, non quovis tempore obligare, sed solum concurrentibus quatuor conditionibus. Prima est, ut noveris peccatum proximi. Si enim illud ignores, corrigere non teneris. Imo nec curiose inquirere debes. Hoc enim ad Superiorem illius proprie pertinet, ut docet S. Th. a. 2. ad 4. Unde Prov. 24. *Ne quæras*, inquit Sapiens, *impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus*. Secunda est, ut ille qui peccavit, nec emendatus sit, nec mox sive per alium, sive per seipsum credatur emendandus esse. Si enim emendatus sit, vel proxime emendandus existimetur, correctione tua non indiget, nec proinde ad illam faciendam obligaris, ut docet Valentia disp. 3. q. de correct. fraterna part. 2. Imo valde probabilis est sententia Sylvestri, Turriani, & aliorum, quos citat, & sequitur Laym. tract. 3. c. 7. de correct. fratern.

pec-

peccatum mere præteritum, si non subsit periculum recidendi, non cadere sub obligationem præcepti correctionis fraternæ. Unde Eccli. 19. dicitur, *Corripe proximum, ne forte iteret*. Tertia est, ut speres aliquem fructum tuæ correctionis. Si enim nulla sit emendationis spes, imo verearis, ne is, qui peccavit, correctione tua deterior fiat, tūc manifestum est, te ad illam minime obligari. Unde S. Aug. dicit l. 1. de Civ. c. 9. ad Charitatem pertinere, ut quis *corripiendis male agentibus parcat, quia ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur*. Excipiendus est tamen casus ille, in quo ex defectu correctionis alii scandalum paterentur. Tunc enim correctio facienda, ne alii inde peccandi occasionem atripiant. Quarta denique conditio est, ut locus, tempus, aliæque ad corrigendum circunstantiæ opportunæ sint. Si enim alterius temporis, vel loci opportunitatem ad proximum corrigendum commodiorem expectes, non teneris statim illum corrigere, sed laudabiliter id differre potes. Ita docet S. Th. a.2. ad 3. & S. Aug. supra dicit, esse consilium Charitatis, *si aliquis propterea objurgandis, & corripiendis male agentibus parcat, quia opportunum tempus requirit.*

4. Quod spectat ad secundum quæsitum, quinam videlicet ad correctionem fraternā obligentur; asserit S. Doctor a.3. omnes teneri ex virtute Charitatis. Quod etiam constat ex Eccl. 17. ubi dicitur, quod Deus *Mādavit unicuique de proximo suo*. & S. Mat. 17. ubi Christus indefinite præcipit: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eū*, &c. Prælati tamen & Superiores, quibus aliorum cura incumbit, strictius ad correctionē faciendam obligantur, quæ quidem si spectatur, ut est actus justitiæ vindicativæ, ad illos solos pertinet, ut observat idem S. Doct.

Quod denique spectat ad tertium quæsitum, videlicet quis ordo in correctione fraterna servandus sit, & an ordo a Christo Domino in Evangeliis præscriptus sit ex præcepto necessarius, ut scilicet peccās primo privatim admoneatur, tum, si hæc admonitio nihil prosit, unus, aut duo testes adhibeantur, ac demum Ecclesiæ suæ Prælato, aut Superiori denuntietur, respondetur secundum mentem S. Doct. a.7. & 9. non modo ipsam correctionem fraternam, sed illius faciendæ modum a Christo Domino præscriptum esse de præcepto. Quod tamen præceptum, cum sit affirmativum, nec quovis loco, & tempore obliget; inde sequitur, tunc solum ex præcepto modum illum correctionis servandum esse, quando ad ipsum correctionis finem assequendum necessarius esse censetur. Quapropter S. Aug. ser. 16. de verb. Dom. de ipso corripiendi modo loquens: *Discernere*, inquit, *debemus, aliquando istud, aliquando illud esse faciendum, aliquando corripiendum fratrem inter te, & ipsum solum, aliquando coram omnibus.*

Observat autem Gregorius a Valentia disp.3.q.10. de correct. frat. punct.5. varios esse casus, in quibus nulla videtur esse ad illum modū correctionis fraternæ servandū obligatio, ut si peccatum sit publicū, vel si quamvis occultum, cedat tamē in damnū cōmunitatis, & pericu-

culum sit in mora, aut si ob aliquam incurrentem circunstantiã prudenter judicetur, modum illum ad emendationẽ proximi futurũ inutilem. Quod etiam docet S.Th.a.8. resp. ad 1.ubi etiam addit ex S. Aug.si post occultã admonitionẽ peccator minime resipiscat, utilius interdũ fore peccatũ ejus Prælato,seu Superiori,nõ quidẽ ut Judici, sed ut patri prius manifestare,quã testes adhibeãtur, eo quod paterna charitate, & admonitione peccatori plusquam quivis alius prodesse possit. Videri potest idem Valent. loc. cit. ubi fusissime de istis agit.

5. Supersunt adhuc aliquæ difficultates circa correctionem fraternam breviter hic a nobis solvendæ.

Prima est, an etiam inferiores teneantur correctionem fraternam erga Superiores exertere. Respondetur affirmative, dummodo concurrant quatuor conditiones supra explicatæ.Ita enim docet S.Th.a. 4.& in responf.ad 2. confirmat exemplo S.Pauli, qui, cum esset S. Petro, utpote Apostolorum Principi, subditus (ut ibidem dicit S. Doctor)erga illum tamen correctionem fraternam exercuit. Hæc tamẽ correctio subditorum erga Superiores (ut ibidem monet) cum omni mansuetudine, ac reverentia facienda est, juxta illud Apostoli 1. ad Timoth. 5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.*

Secunda difficultas est, an sit obligatio ad correctionem fraternã faciendam de quibuscunque peccatis,etiam venialibus.Respondetur, quamvis laudabile sit proximum etiã de venialibus corripere, modo prudenter,& cum charitate id fiat, non esse tamen ad id obligationẽ saltẽ sub peccato mortali, imo interdũ utilius esse leviora ejusmodi peccata dissimulare,nisi talia sint,quę vel scãdalũ aliorũ,vel gravioris alicujus peccati cõmittendi occasionẽ præbere possint. Ita Navar.c. 24.n.13.ubi addit, aliquando licitũ esse expectare, ut peccator rursus incidat in peccatum, in quo deprehensus possit cum fructu corrigi.

6.Tertia difficultas est,an teneamur admonere, & corripere illum, qui ex ignorãtia peccat. Respondetur,nos ad id teneri,si ejus ignorãtia sit vincibilis,id est de re, quã quis scire potest, & debet.Si autẽ sit invincibilis, distinguendum est. Vel enim speratur fructus aliquis ex illa correctione, vel minime speratur. Si primum, instruere tenemur ignorantem, præsertim si illius cura nobis commissa sit:si secundum, bonæ fidei relinquendus est, dummodo tamen inde alterius damnũ, aut scandalum non sequatur. Ita Bannes,Malderus,Azor.Navar.& alii, quos citat, & sequitur Bonac. disp.3. q.4. de charit. punct.7.

Quarta,& ultima difficultas est,quale peccatum sit fraternæ correctionis omissio. Resp.illum peccare mortaliter, qui commode, ac facile impedire, vel tollere potest correctione fraterna gravẽ miseriã spiritualem proximi, quale est peccatũ aliquod mortale, sed non audet ob alicujus mali temporalis timorẽ,vel alicujus temporalis boni cupiditatem, quæ in ejus animo fraternæ Charitati præponderat, ut constat ex dictis §.1. illum autem, qui propter passionẽ aliquã timoris,

ris, verecundiæ, aut pusillanimitatis non existimat se directe ad hoc obligari, vel minus se idoneum reputat ad correctionem faciendam, ideoque illam omittit, plerumque non nisi venialem culpam incurrere, ut docet S. Th. a. 12. ad 3. Quod tamen intelligendum videtur cum exceptione, nisi is, qui corrigere omittit, sit Superior, aut ex illa omissione grave aliquod scandalum sequatur.

§. V.

Quænam peccata Charitati proximi adversentur.

1. QUatuor sunt præsertim peccatorũ genera, quæ proximi Charitati opponuntur, & ad quæ reliqua possunt revocari, odium scilicet, invidia, discordia, & scandalum. De quibus agit S. Doctor q. 34. & seq. ubi docet esse duplex proximi odium, abominationis scilicet, & inimicitiæ. Odium abominationis est alienatio, & aversio voluntatis a proximo, propter aliquod malum, quod in eo concipimus: odium vero inimicitiæ est illud, quo malũ aliquod proximo volumus. Utrunq; odium ex genere suo peccatum mortale est, si quis, v. gr. proximum suum aversetur, & abominetur, quatenus homo, vel quatenus Christianus est: item si grave malum aliquod illi optet, quatenùs illi malum est, juxta illud, quod dicitur 1. Joan. 3. *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est*. Defectus tamen deliberationis, aut materiæ levitas a peccato mortali excusare potest. Imo nullum esset peccatũ, si quis peccatorem odio prosequeretur, non quatenus homo est, sed quatenus peccator, id est, abominaretur ejus peccatum, vel si optaret illi aliquod malum, non quatenus ejus malum est, sed quatenus ad destructionem, & exterminium peccati conferre potest, ut patet ex iis, quæ paragraphis præcedentibus dicta sunt.

2. Invidia, ut docet S. Th. q. 36. est depravatus voluntatis affectus, quo quis tristatur de bono proximi, quatenus est propriæ excellentiæ imminutivum. Quod ut melius intelligatur, observandum est ex Toleto lib. 8. cap. 63. septem potissimum modis contingere posse, ut quis tristetur de bono proximi. Primo, quia inde aliquod malum sibi timet, ut si quis tristetur de electione alicujus in aliquam Dignitatem, eo quod sibi inde damnum aliquod proventurum vereatur. Quod si damnum illud sibi injuste inferendum rationabiliter timeat, nullum erit peccatum: si autem juste, v. g. si fur, aut sicarius tristetur, eo quod delectus sit in judicem vir integerrimi animi, a quo scelerum suorum vindictam sibi metuit, peccabit, quia sicut non liceret illi talem virum dignitate sua, & potestate ob hunc metum privare, sic nec etiam de ea tristari licitum est.

Secundo tristari potest aliquis de alterius bono, eo quod ipse simili bono careat, ut quando quis videns hominem doctum, tristatur, non quia doctus sit, sed quia ipse pari doctrina nõ sit prædituś. Et hæc

tristitia dicitur æmulatio, estq; licita, & honesta, si bona, quæ quis æmulatur, ad salutem animæ, Divinamque gloriam conducant, ut si quis videns hominem pœnitentem zelo ferventem tristetur, non de illius bono, sed ex eo, quod se virtutibus ejusmodi destitutum videat. Si autem æmulatio illa sit de temporalibus bonis, quæ non referantur in ullum honestum finem, tunc erit mala, vel indifferens, ratione motivi, unde orietur.

3. Tertio tristari potest quis de bono alterius, quia eum tali bono indignum judicat. Et hæc est indignatio, quæ quidem bona, vel mala est pro ratione motivi, ex quo concipitur. Si enim aliquis tristetur, v. g. quod sceleratus aliquis, & flagitiosus dignitatem aliquam consecutus sit, quia indignus est, & rationabiliter creditur abusurus, non peccabit: si vero ex pravo aliquo affectu temere judicet alium bono, quod illi obvenit, indignum, ideoq; de illo tristetur, peccatum committit, grave, vel leve, pro ratione gravitatis, vel levitatis ipsius materiæ.

Quarto potest tristari quis de bono alterius, quia est erga illum male affectus. Quando enim malo animo in aliquem sumus, bonum ejus nobis displicet. Et hoc pertinet ad odium, de quo supra.

Quinto potest quis tristari de bono alterius, quia est propriæ excellentiæ diminutivum. Et hoc proprie pertinet ad invidiam, quæ (ut docet S.Th. sup.) ex genere suo est peccatum mortale, nisi defectus advertētiæ, aut materiæ levitas excuset. Et sic peccavit Saul invidens gloriæ Davidis, quatenus existimabat, suā ab illa obscurari, & minui.

Sexto potest tristari quis de bono temporali alicujus, quia est majoris boni spiritualis impeditivum. Et hoc pertinet ad Charitatem.

Septimo de eodem bono temporali tristari quis potest, quia modo aliquo injusto acquisitum est in damnum privatum, vel publicum. Et hoc ad zelum justitiæ pertinet.

Discordia est dissensio voluntatis a volūtate ptoximi circa aliquod bonū, in quo tenetur quis consentire. Ita S. Th. q. 37. Dissentire enim a proximo in re aliqua mala bonū est. imo etiā dissentire in re aliqua bona, sed quam quis velle minime obligatur, non est per se malum; sed tunc solummodo discordia peccatum est, quando quis in re aliqua bona, quā velle tenetur, ab aliis ex voluntatis pravitate dissentit.

4. Quod si hæc discordia sit circa veritatem, quam quis cum altercatione verborum impugnet, vocatur contentio. Et si veritas illa, quæ impugnatur, Divinum honorem, aut notabilem proximi utilitatem spectet, ut quando veritates ad Fidem, aut morum rectitudinem spectantes impugnantur, est peccatum mortale. Si eo usque procedat discordia illa, & dissensio voluntatis, ut quis seipsum ab unitate Ecclesiæ sejungat, nolitque esse sub capite visibili, nimirum Romano Pontifici subesse, dicitur Schisma, estque grave peccatum mortale, ut docet S. Thom. qu. 39.

Si ad

Si ad discordiam animorum accedat etiam armorū violentia, quâ proximo nocumenta aliqua in bonis fortunæ, vel corporis injustè inferantur, vocatur bellum. Si tamen bellum ob causam aliquam justam suscipiatur, si ab eo, qui legitimam potestatem habet, si cum recta intentione, tunc non est peccatum, ut docet ibidem S. Th. q. 10. & in eo pugnare licitum est. Alias, si una ex tribus his conditionibus desit, peccatum mortale est, & quidem eo gravius, quo graviora per illud damna proximo inferuntur. Quod quamvis ita sit, non debent tamen subditi de intentione Principis judicare. Sufficit enim, ut illis manifeste non constet de injustitia belli. Imo quamvis dubitent, an bellum justum sit, possunt, & etiam interdum debent, quando ipsis a Principe ita præcipitur, pro illo militare. Quod optime explicat S. Aug. l. 22. cont. Faust. c. 75. his verbis: *Vir justus, si forte sub Regio homine, etiam sacrilego militet, recte potest illo jubente bellare, si quod sibi a Principe jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut fortasse reum Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.*

5. Scandalum denique, ut docet S. Th. q. 43. a. 1. est dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ. Dicitur 1. *dictum, vel factum*, quia interiores actus, cum aliis noti non sint, illis nocere non possunt. Dicitur 2. *minus rectū*, ut significetur, posse aliquando scandalum oriri ex aliquo dicto, vel facto, quod non sit ex se malum, sed habeat tantum speciem mali. Dicitur denique *præbens alteri occasionem ruinæ*, non vero causam, eo quod proprie loquendo humana voluntas a nulla causa efficaciter induci possit ad peccandum, sed solummodo veluti oblata occasione sponte in illud consentiat.

Docet autem S. Th. ar. 2. aliud esse scandalum activum, aliud passivum. Scandalum activum est ipsummet dictum, vel factum minus rectum, quod est alteri occasio ruinæ, sive id fiat ex certa, & directa intentione alium inducendi ad peccandum, sive, quamvis ejusmodi intentio non adsit, id tamen, quod fit, ex se natura sua alium inducere possit ad peccandum. Scandalum passivum est ipsa spiritualis ruina ejus, qui scandalizatur. Potest autem aliquando scandalum activum esse sine passivo, ut si quis aliquem inducere conetur ad peccandum, nec ille consentire velit. Potest etiam scandalum passivum esse sine activo, ut si quis ex facto, vel dicto alterius, quod ex se ad peccandum nulla ratione inductivum est, occasionem ruinæ, aut scandali per voluntatis pravitatem accipiat, quale fuit scandalum Pharisæorum occasione verborum Christi Domini. Et scandalum quidem passivum mortale, vel veniale peccatum est, ut declarat S. Doct. a. 4. pro qualitate criminis, in quod quis propter dictum, vel factum alterius impingit: similiter scandalum activum mortale est, vel veniale, secundum rationem dicti, vel facti, quo præbetur alte-

ri occasio ruinæ, vel secundum intentionem illius, qui ejusmodi occasionem præbet. Quamvis vero scandalum passivum non sit speciale peccatum, nec opus sit, ut qui peccatum aliquod commisit, in Confessione declaret, se ab alio ad id inductum fuisse; scandalum activum tamen est peccatum speciale præcepto correctionis fraternæ oppositum, proinde in confessione declarandũ, præsertim quando quis deliberate alterum ad peccandum induxit. Quod si præter eius intentionem id accidat, quamvis Cajetan. in 2. 3. q. 43. & quidam alii Theologi negent, in eo casu scandalum activum esse peccatum speciale, probabilius tamen alii affirmant, ut Major, Sylvester, Navarrus, quos citat, & sequitur Valentia disp. 3. qu. 18. de scand. punct. 8. Unde is, qui advertit, aliquod dictum, vel factum suum minus rectum posse alium ad peccandum inducere, nec tamen ideo ab illo dicto, vel facto desistit, debet secundum illos Doctores circunstantiam illam in confessione declarare, si mortale fuit illud peccatum, cujus occasionem præbuit.

6. Deinde monet S. Doct. a. 7. spiritualia bona ad salutem propriam, vel alterius necessaria nunquam esse dimittenda, licet inde scandali passivi occasionem aliquis accipiat, nec ad evitandum hujusmodi scandalum, ullum unquam peccatum, ne veniale quidem, committi debere, imo neque ullum opus bonum, licet minime præceptum, omittendum esse, si scandalum ex sola alterius malitia oriatur. Si tamen ex ignorantia, vel infirmitate oriretur, tunc ad vitandum scandalum pusillorum præstaret quodvis opus bonum minime præceptum omittere, & quidvis aliud secluso peccato facere. Exemplum utriusque habemus in ipsa Christi Domini persona, qui Matth. 15. ob scandalum Pharisæorum minime ab incepto sermone destitit, & contra c. 17. ad vitandum populi scandalum, vectigal, ad quod minime tenebatur, solvere voluit.

§. VI.

Quænam sint obligationes filiorum erga parentes, & parentum erga filios.

1. PRæter obligationes generales, quæ ununquenque proximorum spectant, sunt aliquæ speciales filiorum erga parentes, & vicissim parentum erga filios, quæ hoc quarto Decalogi præcepto præscribuntur.

Docet autem Catechismus Rom. par. 3. c. 5. nomine honoris parentibus exhibendi tria præsertim significari, amorem scilicet, reverentiam, & obedientiam. Tenentur siquidem filii speciali modo ad amorem erga parentes, ita ut odium parentum longe gravius peccatum sit, quam cujuscunq; alterius personæ. Unde Navarrus c. 14. nu. 11. & Tolet. l. 5. c. 1. existimat, in peccato odii circunstantiam personæ paren-

rentum esse in Confessione declarandam. Neque sufficit amor internus, sed exterioribus effectibus prodere se debet, adeo ut teneantur filii parentum necessitatibus sive corporalibus, sive spiritualibus, quantum in ipsis est, subvenire, v.g. alimenta, & alia ad vitam necessaria, si ad egestatem gravem redacti sint, eis præbere, si in ægritudinem inciderint, vel in carcerem detrusi sint, illos visitare, & quo poterunt modo ipsis ad sanitatem, vel libertatem recuperandam succurrere, & a fortiori curare, ne absque digna Sacramentorum susceptione ex hac vita decedant, neve pia opera parentum testamentis præscripta differantur, neve suffragiis Ecclesiæ, & aliis subsidiis quocunque modo debitis post mortem fraudentur.

Tenentur etiam filii reverentiam parentibus exhibere. *Sunt enim* (ut loquitur Catech. Rom. sup.) *immortalis Dei quasi quædam simulacra*. Quare olim edixerat Deus Exod. 21. *qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur*. Unde contumeliæ, convicia, irrisiones, & similia peccata, quæ plerunque ob levitatem materiæ in aliis personis non nisi venialia forent, in parentibus, ob circumstantiam personæ, ut plurimum mortalia censentur: simili ratione percutere, quantumvis leviter, parentes, imo illis solummodo interminari, gravis respectu illorum censetur injuria, proindeque peccatum mortale, ut asserunt Graff. Reginald. Navarr. & alii, quos citat, & sequitur Bonac. disp. 6. de 4. Decal. præc. qu. un. punct. 2.

Tenentur deniq; filii obedire parentibus. Unde Apost. pluribus in locis illud inculcat, Coloss. 3. & Ephes. 6. *Fili obedite parētibus*: & ipse Christus Dom. ut hujus obedientiæ in se præberet exemplum, sanctissimæ Matri, ejusque Sponso S. Josepho *erat subditus*. S. Luc. 2.

2. Atque in primis tenetur filius patri obedire in iis, quæ ad gubernationem domus pertinent, ita ut si recuset obedire in re gravi, & alicujus momenti, maxime si ex contemptu, vel animi obstinatione id faciat, peccet mortaliter, ut docet Toletus l. 5. c. 1. Tenetur etiam obedire in iis, quæ ad bonos mores pertinent, ita ut peccet mortaliter, si cum pertinacia nolit acquiescere præceptis patris, quibus illum a peccato mortali, aut illius occasionibus, aut a pravis conversationibus, ludis, &c. abstrahere conatur, ut docet idem Toletus, & plures alii apud Bonac. supra.

Quamvis autem, ut docet S. Th. 2. 2. q. 189. a. 6. filius post pubertatis annos directe parentibus non subdatur in iis, quæ ad statum vitæ amplectendum, puta Religionis, vel Matrimonii, pertinent, docet tamen Toletus supra, filium peccare mortaliter, qui contra voluntatem patris uxorem conditioni suæ minime convenientem ducit. Existimant etiam Abulens. Sanch. & alii apud Bonac. sup. pun. 5. filium teneri ab ingressu Religionis abstinere, ut subveniat parentibus, quos ad extremam necessitatem redactos, aut brevi redigendos prævidet.

Sicut autem filii erga parentes, sic etiam parentes erga filios ad tria

præsertim charitatis officia obligantur, ut docet idem Tolet. sup. Primum est ad alimēta, & alia vitæ adjumenta necessaria ipsis præbenda: quod intelligendū est, quandiu illis indigent, nec sibi providere possunt, ut recte notat Bonac. sup. pun. 6. Secundum est, ad illorum curam gerendam quoad ea, quæ salutem æternā, & spirituale animæ bonum spectant. Unde tenentur parentes procurare ut filii addiscant rudimenta Fidei, Symbolum scilicet Apostolorum, Orationem Dominicam, Præcepta Dei, & Ecclesiæ, aliaque ad salutem consequendā necessaria. Debent etiā illos verbis, & exemplis ad bonos mores inducere, & a peccatorum occasionibus avertere, eosque, si forte delinquant, non ex Ira, sed ex charitate corripere, ut fusius explicat Bonac. sup. Tertium denique officium parentum erga filios est, ut illos relinquant liberos ad eligendum statum illum, ad quem ipsos a Deo vocari cognoverint, ita ut neque a bono aliquo statu amplectendo eos invitos sine ulla legitima causa abstrahant, neque ad statum aliquem sive Sacerdotii, sive Religionis, sive Matrimonii amplectendum invitos cogant, ut docet idem Toletus supra.

3. Quæ autem de officiis filiorum erga parentes, & parentum erga filios dicta sunt, eadem etiam intelligi debent, servata tamen debita proportione, de officiis pupillorum erga tutores, & alios, qui parentum vices gerunt: item de officiis servorum, subditorum, & quorumcunque inferiorum erga dominos, vel quoscunque Superiores, & e contra, ut docet Navarr. c. 14. n. 21. & 22. Unde infert Bonac sup. pun. 8. Christianos omnes teneri sub mortali peccato Summo Pontifici in re gravi, & justa, ad Fidem, vel disciplinam Christianam pertinente, obedire, similiter Diœcesanos Episcopis, Parochianos Parochis, servos dominis, subditos Superioribus, & populos Principibus in iis, in quibus respective illis subditi sunt, *neque tantum probis, & modestis*, ut loquitur S. Petrus, *sed etiam dyscolis*, illisque non modo obedientiam, & reverentiam, sed etiam amorem specialem, illiusque amoris officia, quotiescunque recta ratio id ab illis postulabit, exhibere. Secundo infert, Superiores omnes vicissim teneri ad gerendam curam inferiorum tam in temporalibus, quam in spiritualibus, prout cujusque officium postulat. Et quidem, quod spectat ad temporalia, tenentur Domini servis alimenta præbere, mercedem debitam solvere, & alia præstare, quæ justitia, vel charitas ab illis exigit: quoad spiritualia vero procurare, ut in rebus ad salutem necessariis instruantur, ut a peccatis abstineant, festos dies debite sanctificent, & alia præcepta Divina, & Ecclesiastica servent, neque in morbis Sacramenta, & alia spiritualia subsidia illis desint.

In ista vero spirituali cura inferiorum, certum est longe strictiorē esse obligationem Pastorū & aliorū, quibus id ex officio incumbit.

§. VII.

§. VII.
Quot modis peccetur in quartum Decalogi præceptum.

1. Cum (ut initio hujus sectionis dictum est) in hoc quarto Decalogi præcepto non solum præscribantur ea, quæ inferiorū, & superiorum mutua officia spectant, sed etiam alia omnia, quæ ad charitatem proximi pertinent; idcirco hic adnotare debemus peccata, quæ hac, & illa ratione huic præcepto adversantur. Et ut a peccatis charitati proximi oppositis incipiamus.

Peccant contra proximi charitatem, qui omittunt exercere opera charitatis sive corporalia, sive spiritualia in iis casibus, in quibus ad illa exercenda obligantur, qui in extrema necessitate proximum deserunt, qui illum ad gravem necessitatem redactum eleemosynis juvare non curant, qui, cum habeant multa superflua, nec ad vitæ, aut status conservationem honestam ullo modo necessaria, in vanos, ac inutiles sumptus illa expendunt, nec ullas, aut non nisi raras, & exiles eleemosynas pauperibus erogant, qui proximum peccantem corripere, illumque e peccati statu, aut occasione abstrahere negligunt, cum possint, & debeant, qui odia, & inimicitias cum aliquo exercent, illi mortem, aut aliquod malum optant, vel imprecantur, qui injurias, & offensas acceptas ex corde remittere nolunt, qui ficte, & verbo tenus cum inimicis reconciliantur, vel quamvis condonent offensas, exteriora tamen charitatis officia exhibere recusant.

Item qui ex invidia, aut pravo aliquo affectu tristantur de proximi bonis, aut de ejusdem infortuniis lætantur, qui ex prava quadam animi dispositione cum proximo discordant in iis, quæ bona, & justa sūt, aut verbis cum illo contendunt, veritatemque agnitam impugnant, qui se ab unitate Ecclesiæ, & obediētia Summi Pontificis subducunt.

Item qui militant in bello, quod injustum esse certo sciunt, vel in bello quidem justo, sed cum prava intentione, v. g. ut expleant cupiditatem, libidinem, ambitionem, &c. vel qui in bello res sacras diripiunt, aut contra jus belli opprimunt, vel spoliant innocentes.

Item qui scandali occasionem aliis præbent, illosque ad peccandum inducunt, sive id directe, & expressa intentione faciant, sive indirecte, aliquid agendo, unde sciunt, alios ad peccandum fore inducendos.

2. Jam quod spectat ad specialia filiorum, parentum, & similium personarum officia, peccant in primis filii, qui parentibus amorem, reverentiam, & obedientiam debitam denegant, qui parentes odio prosequuntur, mortem, aut aliquod malum illis optant, qui in egestate illis subvenire, aut in adversis opem, & solatium ferre non curant, qui morientibus subsidia ad salutem necessaria, aut mortuis Ecclesiæ suf-

fragia debita non procurant, qui eorum testamenta, & ultimas voluntates adimplere negligunt, aut nimis diu differunt.

Item qui parentes contemnunt, aut irrident, in eos convicia, aut contumelias proferunt, illos percutiunt, vel se percussuros minantur, qui eorum jussa parvi pendunt, illis justa, & rationabilia præcipientibus obedire renuunt.

3. Similiter contra hoc præceptum peccant omnes inferiores, qui Superioribus obedientiam in iis rebus, in quibus illis subsunt, deferre nolunt.

Et ex adverso contra idem præceptum peccant parentes, qui infantes exponunt, qui filiis indigentibus, nec sibi providere valentibus alimenta denegant, illos in rebus ad salutem necessariis non instruunt, nec instrui curant, qui illos ad peccandum vel jussione, vel pravo exemplo inducunt, qui illos peccantes non corripiunt, vel non nisi irati, & furentes id præstant, qui avertunt illos ab aliquo statu perfectiori amplectendo, ad quem Deo inspirante vocantur, aut e contra invitos cogunt ad statum Religiosum amplectendum, aut Matrimonium contrahendum.

Peccant item domini, qui alimenta, aut mercedem servis debitam non tribuunt, qui illos in Fidei rudimentis, aliisque ad Fidem necessariis instrui non curant, eos peccantes non corripiunt, imo potius ad peccandum imperio, aut pravo exemplo inducunt.

SECTIO V.

Explicatur quintum præceptum.

Non occides.

AD faciliorem hujus quinti præcepti explicationem, ea, quæ de illo dicenda nobis sunt, quinque paragraphis complectemur, in quorum primo explicabimus, quomodo præceptum hoc intelligi debet, in secundo agemus de homicidio, & mutilatione sui ipsius, in tertio de homicidio, vel mutilatione alterius, in quarto inquiremus, quot modis peccetur contra hoc præceptum, in quinto denique investigabimus, quænam restitutio propter alterius injustam occisionem, aut mutilationem facienda sit.

§. I.

Quomodo hoc quintum Decalogi præceptum intelligi debeat.

1. HOc præcepto, secundum explicationem, & ampliationem a Christo Domino summo Legislatore appositam S. Matth. 5. tria præsertim prohibentur. Primum est quodcunque nocumentum corporale proximo injuste illatum, vel per seipsum, vel per alium, jubeu-

Jubendo, consulendo, consentiendo, aut alia quacunque ratione cooperando, ut explicatur in Catechismo Romano part. 3. cap. 6. Secundum est quodcunque convicium, aut probrosum, & injuriosum verbum, ex ira, & vindictæ appetitu prolatum. Tertium est quilibet deliberatus iræ motus, & vindictæ appetitus injustus, etiamsi neque actu, neque ullo verbo, aut signo exteriore se prodat. Hoc aperte colligitur ex his Christi Domini verbis S. Matth. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis, Non occides. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio, qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis*. Quibus verbis Christus Dominus docet, hoc Decalogi præcepto non modo prohiberi homicidium, sed etiam quemlibet injustum vindictæ appetitum, & quodlibet probrosum, & conviciosum verbum, aut aliud iræ, & malevolentiæ exterius signum, quibus veluti gradibus inter rixantes ad ultimum iræ, & vindictæ effectum, homicidium scilicet, pervenitur, quæ peccata, cum mortalia sint, digna esse censentur æterna pœna, quæ nomine judicii, concilii, & gehennæ, tanquam variis gradibus distincta, significatur, prout hunc locum explicant Hugo Cardinalis, Maldonatus, & alii communiter Interpretes.

2. Si tamen plena rationis advertentia, & deliberatio deesset, aut si vindicta aliqua levis duntaxat appeteretur, peccatum non esset, nisi veniale. Imo nullum esset peccatum, si justa aliqua irascendi causa subesset, & si correctionis solum gratia verba aliqua asperiora proferrentur, dummodo tamen nec ira, nec lingua ultra præscriptos a recta ratione limites excurrant. Unde S. Chrysost. in illa Psalm. 4. verba, *Irascimini, & nolite peccare*: *Licet*, inquit, *juste irasci. Nam & Paulus Elymæ succensuit, & Petrus Saphiræ. Sed id non iram dixerim absolute, sed Philosophiam, curam, & œconomiam. Irascitur enim pater filio, sed ejus curam gerens. Ille est, qui temere irascitur, qui seipsum ulciscitur*. Et S. Gregorius in cap. 5. Job: *Sciendum est*, inquit, *quod alia est ira, quam impatientia excitat, alia, quam zelus justitiæ format: illa ex vitio, hæc ex virtute generatur*.

Imo etiam ipsum homicidium actu perpetratum quandoque justum, & licitum esse potest, ut in sequentibus §§. explicabitur.

§. II.
De homicidio, & mutilatione sui ipsius.

1. Cum hoc præcepto prohibeatur occisio injusta, & mutilatio, aut quævis alia corporalis læsio alterius, a fortiori etiam sui ipsius injusta occisio, mutilatio, & qualibet corporis læsio prohibita esse censetur. Sunt tamen aliqui casus, in quibus occisio, vel muti-

mutilatio sui ipsius, aut alterius justa, proindeque licita esse potest.

Atque in primis, quod spectat ad occisionem, vel mutilationem sui ipsius, certum est, gravioris alicujus mali devitandi causa licitum esse seipsum mutilare, aut ab altero mutilari permittere, ut si ad mortem evitandam, quæ ex putrefactione alicujus membri sequeretur, aliquis sibi ejusmodi membrum abscindat, aut abscindi permittat, ut ex communi Theologorum sententia docet Toletus l. 5. c. 6. Quod quamvis possit, ad id tamen faciendum, aut permittendum sub peccato mortali non tenetur, sicut nec ad medicamenta quædam difficillima acceptanda, quamvis ex Medicorum consilio ad vitæ conservationem necessaria, ut observat idem Auctor.

Certum est præterea, se ipsum interimere gravissimum esse peccatum, neque id in ullo casu licitum esse, unico solum excepto, si nimirum Deus ita jubeat: quod fuse explicat, & probat S. August. l. 1. de civit. c. 21. & sequent. ubi expendit factum Sampsonis, qui se ipsum interfecit, & sanctarum quarundam virginum, quæ ex peculiari Dei instinctu se ipsas interemerunt.

Cum hæc duo certa sint, unum est, de quo dubitatur inter Theologos, nimirum an liceat seipsum permissive occidere; idest, an licitum sit, ut quis permittat se ab alio occidi, cum prohibere possit. Respondet Toletus supra, id esse illicitum, & ex se peccatum mortale, cum homo vitæ suæ non sit dominus, illique proinde secundum rectam rationem, in quantum potest, consulere teneatur.

2. Sunt tamen duo casus (ut idem Auctor docet) in quibus homo, cujus vita bono publico minime necessaria esset, illam exponere, seque ab alio occidi permittere potest. Primus est ob amici periclitantis defensionem, aut liberationem, juxta illud S. Joan. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Secundus casus est bonum spirituale proximi. E. g. si quis ab alio invasus eo redigatur, ut fugere non possit, nec aliter mortem evadere nisi occidendo invasorem, tunc, quamvis licite possit vim vi repellere, illumque occidere, potest etiam ex motivo Charitatis permittere se ab illo occidi, ne scilicet hostis in peccato mortali moriatur.

Addit idem Auctor tres alios casus, in quibus homo non solum licite potest, sed etiam tenetur vitam exponere, seque occidi permittere. Primus est in Fidei, vel virtutis defensionem, verbi gratia si quis sub interminatione mortis cogeretur Fidem negare, aut peccatum aliquod committere. Tunc enim mortem potius oppetere teneretur, quam in ullum peccatum consentire, ut per se patet. Secundus est, quando vitam exponere necessarium est ob boni publici conservationem, e. g. si aliqua civitas obsessa non posset aliter ab expugnatione, aut eversione liberari, nisi persona aliqua innocēs ad mortē hosti traderetur. Tūc enim deberet innocēs ille hosti postulāti se tradere.

re. Imo Navarrus, Lessius, Valentia, & alii, quos citat, & sequitur Laym. tr. 3. de just. part. 3. c. 1. asserunt, in tali casu Principem, vel Magistratum civitatis sicut alia virtutum officia bono publico necessaria, sic etiam istud illi præcipere posse; quod tamen negat Toletus supra, qui asserit, quod, quamvis tunc innocens tradere se teneatur, ad id tamen juste a civibus, aut Magistratu compelli non potest. Tertius denique est, quando quis juridice ad mortem est condemnatus. Tunc enim non solum potest, sed etiam tenetur mortem, quæ illi infertur, subire, nec inferenti resistere. Fugere quidem potest, si occasio se offerat, non tamen vi, aut armis se ex lictorum manibus liberare, ut docet idem Toletus supra.

3. Quæres, an peccent illi, qui joco, vel lucri alicujus captandi gratia, se probabili periculo mortis exponunt, v. g. funambuli, aut illi, qui ad probandam theriacam hauriunt venenum. Respondet Navarrus c. 15. num. 8. & post illum Toletus supra, peccare quidem eos, qui se præcipitio, aut certo mortis periculo exponerent, quod evadere neque scirent, neque possent, non vero qui ex artis peritia, vel certa experientia compertum habent; se probabiliter nullum subituros mortis periculum.

Unum hic ex eodem Toleto superest observandum, nimirum quod, quamvis licitum sit, imo valde laudabile, & etiam aliquando necessarium, jejuniis, & aliis macerationibus proprium corpus affligere, illiusque vires debilitare, sive ut promptius, & facilius spiritui subjiciatur, sive ut justitiæ Divinæ satisfactio aliqua exhibeatur, juxta quod dixit Apost. 1. Cor 9. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*: & Col. 1. *Adimpleo ea quæ desunt passionũ Christi in carne mea*, &c. Si quis tamen id indiscreto fervore, & cum notabili vitæ, aut virium detrimento præstaret, haud dubie peccaret, & quidem mortaliter, ut asserunt Sayrus, Petr. de Navar. & alii apud Laym. sup. nisi forte inculpabilis ignorantia, aut inadvertentia illum excusaret.

§. III.
De homicidio, & mutilatione alterius.

1. Certum est, homicidium injustum alterius esse peccatum mortale. Unde Apoc. 22. homicidæ a cœlesti gloria excluduntur. Nomine autem homicidii intelligimus cujusvis hominis occisionem. Est enim in confesso apud omnes, ut docet S. August. lib. 1. de civit. c. 20. occisionem animalium ad sustentationem humanæ vitæ non esse illicitam.

Sũt tamẽ aliquæ causæ, ob quas hominis occisio a peccato excusari potest, imo aliquãdo redditur licita, & justa. Tres cõmuniter a Theologis numerantur, scilicet justitia, necessitas, & inconsideratio: ex quibus duæ priores homicidiũ reddũt licitum, tertia vero illud a pecca-

to, saltem mortali, excusat. De singulis breviter aliquid dicendum est.

Homicidiũ ex justitia fieri dicitur, quando simul concurrunt quatuor conditiones, quarum prima est, ut fiat auctoritate publica, Principis. v.g. aut Magistratus ab eo potestatem habentis, ad quem tanquam Dei Ministrum pertinet jus gladii, ut declaratur Rom. 13. sine qua auctoritate nemini privato licet alium quantumvis flagitiosissimum, & nocentissimum, interficere, ut docet S. Thomas 2.2.q. 64. a. 3. Secunda conditio est, ut fiat ex causa justa, eaque gravi, & ad bonum publicum pertinente, ut docet idem Toletus supra: Tertia conditio est, ut fiat ex recta intentione, verbi grat. ex zelo justitiæ, amore boni publici, &c. Si enim Judex, verb. grat. ex aliquo pravo, & inordinato affectu, puta iræ, invidiæ, &c. judicium capitis proferat in aliquem sibi alias infensum, quantumvis legitima auctoritas, & causa justa subesset; graviter tamen peccaret, ut per se manifestum est. Quarta denique conditio est, ut fiat secundum juris ordinem, qui (ut docet Toletus, & Laymannus tractatu 6. de judiciis capite 2.) postulat in primis, ut præcedat accusatio, vel denuntiatio, aut saltem inquisitio juridica, si nullo accusante, aut denuntiante Judex ex officio procedere debeat: deinde ut crimen probetur sufficientibus testimoniis, aut indiciis, vel propria ipsius Rei confessione sponte facta: deniq;ut citetur Reus, locumque, ac tempus se defendendi accipiat; quamvis interdum (ut recte observat Toletus sup.) reus etiam inauditus morte plecti possit, si nimirum ob potentiam nimiam formidandum se præbeat, nec aliter justitia possit effectum suum sortiri, in quo tamen casu crimen debet esse notorium, vel tam evidenter probatum, ut nulla subsit ratio dubitandi. Plura super hac judiciorum forma in octavi præcepti explicatione dicentur.

Secunda causa, quæ homicidium licitum reddit, est necessitas, quando scilicet quis eo redactus est, ut vitam propriam aliter tueri non possit, quam occidendo invasorem: quod quidem licitum est, dummodo fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut docet S. Th. Quod autem de propria vita, hoc etiam de vita personæ alterius consanguinitatis, aut amicitiæ vinculo conjunctæ intelligendum esse, docet Toletus supra, & habetur Clement. un. de homicidio. Observat autem idem Toletus, quod si invasor esset persona bono Reipublicæ admodum necessaria, puta ex cujus occisione bella civilia, & alia similia damna publica emergere possent, tunc licitum non esset illum occidere, sed mors potius oppeti deberet.

2. Quæres, an sicut ad vitæ defensionem, sic etiam ad bonorum exteriorum conservationẽ liceat invasorem occidere, quando aliter bona illa salvari non possunt. Respondetur, etiam licitum esse, dummodo bona illa sint magni alicujus valoris, nec aliter cõservari possint. Id constat in primis ex Scriptura, Exod. 22. ubi dicitur: *Si effringẽs fur*

domum, sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Constat præterea ex cap. *olim*, de restitutione spoliatorum, & ex cap. *Dilecto*, de censura excomm. in 6. Idque docent S. Antoninus, Major, Sylvester, Cajetanus, Sotus, & alii, quos citat, & sequitur Laym. tract. 2. de just. par. 3. cap. 3. Addit tamen Toletus supra, id solummodo esse laicis licitum, non vero Ecclesiasticis, quos (ut habetur cap. *suscepimus*, de homicidio) *satius est, post tunicam relinquere pallium, quam pro rebus transitoriis tam acerbe in alium exardescere*.

Quod autem de bonis fortunæ, hoc etiam de fama, & honore dici posse, existimat idem Tolet. quod etiam docent Sotus, Navarr. Sylvest. & plures alii, quos citat, & sequitur Lessius l. 2. de just. & jur. cap. 9. dub. 8. juxta quorum sententiam, quamvis nobilis ab alio invasus posset vitam fugiendo salvare, si tamen inde aliquam notabilem contrahat infamiam, non tenetur fugere, sed invasorem occidere potest, si aliter vitam tutari nequeat. Observat autem Toletus, id non licere, nisi nobilibus, & personis iis, quæ suum honorem tutari maxime obligantur, idque solummodo ad vitandam aliquam notabilem infamiam, non vero ad injuriam acceptam ulciscendam, aut ad vanum aliquod nomen fortitudinis sibi comparandum. Addit insuper, idem quoque censendum esse de castitatis, & pudicitiæ defensione. Potest enim mulier ob defensionem castitatis occidere invasorem, si aliter illam propugnare nequeat.

3. Quod autem hic de occisione alterius dictum est, id etiam de illius mutilatione intelligi debet, scilicet ad vitæ, vel bonorum, seu honoris, vel pudicitiæ justam, & necessariam defensionem licitum esse alium mutilare, imo occidere. Cæterum si illum mutilando vita, vel honor, &c. propugnari potest, occidere non licet.

Quamvis vero licitum sit parentibus, dominis, & aliis Superioribus, ut docet S. Th. correctionis causa verberare, & percutere filios, servos, & alios inferiores, non tamen licet illos mutilare. Unde peccant, quando in correctione ex nimia ira modum excedunt, ita ut inferiores mutilentur, aut notabiliter in corpore lædantur.

Tertia denique causa, quæ homicidium a peccato excusat, est incōsideratio, si v.g. aliquis inadvertenter, & præter omnem intentionem alium occidat Cum enim, ut docet S.Th. q. 64. a 8. ea, quæ ex casu, & præter intentionem accidunt, sint involuntaria, hinc sequitur, non esse peccata, cum nullum sit peccatum nisi voluntarium. Recte tamen observat S Doctor, & post illum Lessius supra dub. 15. contingere posse, ut id, quod non est voluntarium in se, sit voluntarium in causa, ut quando quis aliquid facit, unde periculum est, ne sequatur mors alterius. Tunc enim nisi sufficientem ad periculum illud evitandum diligentiam adhibeat, homicidium, quod inde, licet casu, & præter illius intentionem, sequetur, censebitur voluntarium in sua causa.

E. g.

E. g. nobilis aliquis venatur, & ictu sclopi existimans impetere feram, occidit hominem: tunc si sufficientem non adhibuit diligentiam, ut occisionem illam præcaveret, censebitur ei voluntaria, eritque proinde illius homicidii reus. Est autem sufficiens illa diligentia pensanda juxta majus, vel minus periculum, quod imminet. Si enim v. g. locus illius venationis erat juxta viam publicam, per quam multi transire solebant, major haud dubie ad vitandum homicidii periculum adhiberi debebat diligentia, quam si fuisset desertus.

Idem quoque dici debet juxta S. Doct. mentem de illo, qui omittit aliquid facere, ad quod tenebatur, ex qua omissione sequitur præter ejus intentionem mors alterius. Tunc enim pro ratione majoris, vel minoris negligentiæ, aut ignorantiæ, quæ illius omissionis causa fuit, majoris, vel minoris peccati reus censebitur. E.g. si ex aliqua Medici ignorantia, vel negligentia mors infirmi sequatur, reus erit peccati gravioris, aut levioris, prout major, vel minor fuerit illa ejus ignorantia, aut negligentia, quod judicio viri prudentis perpendendum est.

Quæ autem hic de occisione dicta sunt, eadem etiam proportionaliter de mutilatione intelligi debent.

§. IV.

Quot modis peccetur in quintum Decalogi præceptum.

1. PEccant in primis, qui injustum vindictæ appetitum deliberate concipiunt, qui se motu aliquo iræ, ultra rationis, aut charitatis limites abripi sinunt, qui verba contumeliosa, & conviciis plena in alios proferunt, qui sibi ipsis ex desperatione mortem optant, aut inferre conantur, qui se temere, & sine ulla rationabili causa periculo mortis exponunt.

Qui aliquem sibi non subditum verberant, aut percutiunt, aut sibi quidem subditum, sed sine justa causa, aut licet ex justa causa, tamen cum notabili excessu, unde læsio gravis, aut mutilatio, & etiam mors sequatur.

Item qui sine legitima auctoritate alterum mutilant, vel occidunt, aut cum legitima auctoritate, sed sine justa, & sufficienti causa, vel ex prava intentione; qui alium occidunt ob vitæ, vel honoris, aut pudicitiæ, vel fortunarum defensionem, sed non servata moderatione inculpatæ tutelæ; qui alium casualiter quidem, & præter intentionem occidunt, sed non adhibita sufficienti diligentia, aut qui ignorantia, vel negligentia omittunt aliquid facere, ad quod tenebantur, ex quo tamen sequitur mors alterius.

2. Peccant etiam, qui alios ad duellum provocant, aut provocationem illam acceptant, item qui in duellum aliorum consentiunt, aut non impediunt, cum possint, qui duello tanquam patrini, ut loquuntur, aut spectatores intersunt, aut qui consilio, favore, aut quavis alia ratione duello cooperantur.

Pec-

peccant etiam contra hoc præceptum mulieres, quæ pharmacum sumunt, aut aliquando aliud adhibent remedium directe tendens ad impediendam conceptionem fœtus, vel ad expulsionem, & abortum illius, sive animatus sit, sive non: peccant matres, quæ infantes in eodem lecto secum ponunt, cum periculo illos opprimendi.

Sunt autem hic obiter observandæ duæ circunstantiæ homicidii in Confessione necessario declarandæ. Prima circunstantia est personæ occisæ, aut mutilatæ, v. g. an sit sacra, & Ecclesiastica, vel laica, & si laica est, an sit pater, vel mater, aut Superior, &c. Secunda circunstantia est loci, nimirum an occisio, vel percussio alterius facta sit in Ecclesia, aut aliquo loco sacro cum sanguinis effusione, unde locus ille pollutus fuerit.

§. V.

De restitutione ob alterius occisionem, vel mutilationem facienda.

1. DUo præsertim circa restitutionem illam explicanda sunt, primo, quantum sit ob mutilationem, vel occisionem alterius restituendum, secundo quibus sit restituendum.

Quod ad primum spectat, certum est, pro alterius occisione, aut mutilatione nullam præcise loquendo condignam restitutionem fieri posse; cum vita hominis nullo pretio pecuniario æstimari possit, ut ex communi Theologorum consensu docet Lessius lib. de just. & jure, c. 9. dub. 13. Quod quamvis verum sit, ordo tamen justitiæ postulat, ut damna omnia ex occisione, vel mutilatione alterius secuta resarciantur ab eo, qui injuste occidit, vel mutilavit, sive aggressor fuerit, sive seipsum defendendo moderamen inculpatæ tutelæ notabiliter excesserit, ut recte observat Navar. c.15. n.27. & Lessius supra, dub.21. Atque in primis expensæ omnes factæ pro curatione mutilati, vel occisi restitui debent: item restituenda sunt lucra omnia, & emolumenta, quæ is, qui occisus est, ex artificio, negotiatione, vel officio probabiliter consequi poterat, detractis tamen his, quæ ipse consumpsisset, quod etiam similiter dici debet de eo, qui mutilatus est, pro eo tempore, quo ratione læsionis acceptæ artificium, negotiationem, aut officium exercere non potuit. Quæ omnia viri prudentis, & docti judicio in casibus particularibus determinanda sunt, ut præfati Auctores fusius docent.

Quæres, quomodo facienda sit æstimatio lucri futuri, cum ignoretur, quandiu victurus fuisset is, qui occisus est. Respondetur, non posse ad id dignoscendum regulam certiorem, & commodiorem præscribi, quam ut tantum restituatur, quantū probi, prudentesque viri, spectatis viribus, ætate, complexione illius, qui occisus est, aliisque similibus circunstantiis, & habita ratione lucri cessantis, vel damni ex illius occisione emergentis, æquum esse judicaverint. Quod etiam serva-

servata proportione debita dici debet, si alicujus vita ex injusta percussione, aut quavis alia læsione brevior effecta sit. Tunc enim erit facienda similiter æstimatio temporis, quo ille vitam ulterius secundum communem naturæ cursum fuisset producturus.

Recte etiam monet idem Lessius supr. dub. 25. æquissimum esse, ut is, qui aliū injuste occidit, pro illius anima orationibus, eleemosynis, aliisque piis operibus Deo satisfaciat, ac præsertim sanctum Missæ Sacrificium pro refrigerio illius offerri curet, idque proinde pro aliqua satisfactionis Sacramentalis parte illi cōvenienter injungi posse.

2. Quod spectat ad secundum. quibus scilicet restitutio ob injustā alterius occisionem facienda sit, docent cōmuniter Doctores, faciendam illam esse parentibus, filiis & uxori. Ita Bannes, Sotus, & plures alii, quos citat, & sequitur Lessius supr. dub. 26. Obligatio autē ad illam restitutionem (quod observandū est) oritur, non ex jure, quod hæ personæ habent in bona defuncti, cum ipse defunctus nullum jus habuerit ad illam restitutionem, cujus faciēdæ obligatio non aliunde, quam ex ejus morte orta est, sed ex arctissima illa conjunctione, quæ inter defunctū, & ejusmodi personas intercedebat, ratione cujus censebantur quodammodo una cum ipso defuncto persona, & competebat illis speciale quoddam jus postulandi ab eo alimenta, & alia ad decentem vitæ sustentationem necessaria. Unde sequitur, quod occisor eadem illis præstare obligetur, ad quæ occisus obligatus fuisset.

Quæres, an similiter creditoribus defuncti restituere teneatur. Respondetur, plures Theologos, quibus subscribit Laym. tr. 3. de justitia par. 3. c. 6. existimare, illum teneri. Lessius vero supra dub. 23. contendit, neq; creditoribus, neque etiā hæredibus occisi (si tamen parentes, uxor, & filii excipiantur) ullam ex rigore justitiæ restitutionem esse faciendam; cum neque creditoribus, neque etiam hæredibus defuncti jus ullum nisi in bona competat, ea vero, quæ ob illius occisionem restituuntur, inter ejus bona connumerari non possint. Quæ quidem sententia tum ob illam rationem, tum etiam ob Bannis, & Soti, quos pro illa citat, auctoritatem, probabilis, ac in praxi tuta videtur.

SECTIO VI.

Explicatur sextum Decalogi præceptum.

Non mœchaberis.

MOnet Catechismus Rom. par. 1. c 7. specialem cautelam, ac prudentiam, nec non delectum verborum requiri in explicanda hujus præcepti materia, *quæ*, ut ait, *moderationem potius desiderat, quam orationis copiam.* Quod ut præstemus, & brevitati simus, ac honestati consulentes, nihilque omittamus eorum, quæ a Sacerdotibus sciri debent, ut lepram a lepra discernere possint, omnia, quæ dicēda nobis

nobis sunt, tribus paragraphis conplectemur, in quorū primo investigabimus, quid hoc sexto præcepto prohibeatur, in secundo quot modis in illud peccetur, in tertio denique restitutiones quasdā in certis casibus ob hujus præcepti transgressionem faciendas explicabimus.

§. I.

Quid hoc sexto Præcepto prohibeatur.

1. SAnctus Augustinus qu. 17. super Exod. explicans hoc sextum præceptum, docet, illo prohiberi non modo adulterium, quod nomine mœchiæ designatur, sed in genere omnem illicitum concubitum, ac quencunque luxuriæ actum sive externum, sive internum.

Sunt autem sex luxuriæ species, ut docet S. Th. 2.2. quæst. 14. a. 1. & seq. & declaratur cap. *Lex illa*, qu. 1. scilicet fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, raptus, & peccatum contra naturam; quibus aliqui Theologi addunt sacrilegium, quando peccatum istud committitur cum persona Deo sacra, quod tamen S. Thom. reducit ad speciem adulterii, quia personæ sacræ connubio quodam spirituali sunt Deo conjunctæ.

Fornicatio est concubitus illicitus soluti cum soluta, id est hominis nullo conjugii vinculo, aut castitatis voto, aut Religiosi, vel Ecclesiastici status conditione obligati, cum fœmina, quæ nec conjugio, aut aliquo voto castitatis obstricta est, nec Religiosi status susceptione Deo mancipata. Hanc autem simplicem fornicationem esse peccatum mortale, adeo certum est, ut oppositum pertinaciter asserere sit hæreticum, ut definitum est in Clement. *Ad nostrum*, de hæreticis: & expressis verbis dicit Apostolus Eph. 5. *quod omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in Regno Christi*. Excipitur tamen casus ille, in quo mulier vim ab alio pateretur. Tunc enim, quamvis delectationem sentiat, si tamen impudico actui non consentiat, nullatenus peccat, ut fuse declarat, & probat S. Aug. lib. 1. de Civ. cap. 7.

2. Ad hoc peccatum reducitur concubinatus, quo nomine nihil aliud intelligitur, quā fornicatio continuata cum certa persona soluta, & cohabitatio cū illa. Est autem hoc peccatum grave, & periculosum, eo quod hominem in continuo statu peccati detineat. Nec absolvi debent concubinarii, nisi prius a concubinis separentur.

Porro recte observat Lessius l. 4. de just. & jur. c. 3. dub. 7. fornicationis peccatū in Christianis specialem habere deformitatem, ratione Sacramentorum Baptismi, & Eucharistiæ, per quorum susceptionē singulari quodam modo uniuntur Christo Dom. & fiunt membra Christi. Unde Apost. 1. Cor. 6. *Nescitis*, inquit, *quoniam corpora vestra mēbra sunt Christi? tollens ergo membra Christi, faciā meretricis? absit*.

Stuprum est virginis defloratio. Estq; hoc peccatum gravius simpli-

ex fornicatione, eo quod præter illius malitiam habeat specialem deformitatem propter violationem signaculi virginalis, & maximum deinceps peccandi periculum, cui virginem sic defloratam exponit. Existimat tamen Lessius l. 2. cap. 10. dub. 3. probabiliter dici posse, stuprum tunc solummodo esse peccatum specie distinctum a simplici fornicatione, quando virgini vis infertur, illaque per violentiam defloratur.

Adulterium est illicitus concubitus cum persona conjugata, sive vir tantum, aut mulier, sive uterque conjugio copulati sint. Est autem gravius fornicatione, & etiam stupro, tum propter violationem fidei conjugalis, tum etiam propter damnum filiorum legitimorum, & alia similia mala, quæ ex eo peccato consequuntur, de quo loquens Job c. 31. *Hoc nefas est*, inquit, *& iniquitas maxima, & ignis usque ad perditionem devorans, & eradicans genimina.*

3. Sacrilegium est illicita copula cum persona sacra, seu quæ Deo consecrata est, & dicata, sive per votum castitatis, sive per ordinis sacri susceptionem. Addit etiam Toletus l. 5. c. 12. sacrilegium committi, si quis in minoribus constitutus luxuriæ peccatum committat, vel si quis in loco sacro actum venereum exerceat, quamvis sit conjugalis, ut existimant Paludanus, Tabiena, & alii apud eundem Toletum. Unde circa hoc peccatum circunstantia personæ, vel loci declaranda est. Locus autem sacer dicitur, qui solemni ritu Divino cultui dicatus est, ut Ecclesia, & Capellæ illi adjacentes, necnon Sacristia, ut pars illius, ac etiam cœmeterium.

Incestus est copula illicita cum persona consanguinitatis, aut affinitatis nexu intra quartum gradum conjuncta. Quam vero grave sit hoc peccatum, ex eo colligitur, quod in veteri lege constituta erat mortis pœna in incestuosos, & additur hæc causa Lev. 20. *quia rem nefariam operati sunt*. Est autem eo gravius peccatum, quo major est inter peccantes personas conjunctio, imo specie distinctum esse existimat Navarr. c. 19. n. 3. asseritque proinde gradum consanguinitatis, aut affinitatis esse declarandum.

Observat etiam Less. violationem cognationis spiritualis per actum luxuriæ, quamvis proprie ad hanc incestus speciem non pertineat, habere tamen specialem deformitatem, ratione cujus circunstantiam cognationis spiritualis in Confessione declarandam esse existimat. Quod similiter dicendum est, si hoc peccatum committeretur cum filia spirituali Confessionis, id est cum ea, cujus quis Confessionem Sacramentalem excipit. Quod quam grave peccatum sit, constat ex cap. *Omnes*, & cap. *Non debet* 30. qu. 1. ubi depositio ab Ordine Sacerdotali, & perpetua pœnitentia usque ad exitum vitæ decernitur in eum, qui tale scelus perpetraverit.

Raptus, quantum ad ipsum actum luxuriæ, modis omnibus supra dictis committi quidem potest, sed addit præterea violentam, & inju-

stam

ftam perfonæ a domo fua,vel paterna fubtractionem, & in aliena detentionem. Unde raptus cum fimplici fornicatione, vel adulterio, vel facrilegio, vel inceftu fimul committi poteft. Et hæ circunftantiæ cum illa, quæ ipfius raptus eft propria, debent in Confeffione declarari. Peccatum denique contra naturam eft illud (ut explicat S. Doct. q. 154. art. 11.) *quod repugnat naturali ordini venerei actus, qui convenit speciei humanæ.* Additque, illud quatuor præfertim modis contingere poffe, *uno quidem modo, fi abfque omni concubitu, caufa delectationis venereæ, pollutio procuretur, & vocatur mollities; alio modo, fi fiat per concubitum ad rem non ejufdem fpeciei, & vocatur beftialitas; tertio fi fiat per concubitum ad non debitum fexum, puta mafculi ad mafculum, fœminæ ad fœminam, ut Apoftolus dicit Rom. 1. quod dicitur Sodomiticum vitium; quarto fi non fervetur naturalis modus concumbendi, aut quantum ad inftrumentum non debitum, aut quantum ad alios monftrofos, & beftiales concumbendi modos.*

4. Et hi quatuor modi fpecie diftinguuntur, ut obfervat Leffius l. 4. c. 3. dub. 13. cum unufquifque illorum contineat fpecialem turpitudinem caftitati repugnantem. Quam nefandum autem, & quam deteftabile fit illud peccatum, fatis conftat ex horrenda punitione Sodomitarum, Gen. 19. & Onam filii Judæ Gen. 38. ubi dicitur, quod *percuffit eum Dominus, eo quod rem deteftabilem faceret.* & Levit. 20. morti adjudicantur, qui peccatum iftud commiferint. Neque tantum Divinis legibus, fed & humanis hæc peccatorum monftra damnantur. In Codice enim Theodofiano l. 9. tit. 7. edicitur, quod *hujufmodi fcelus fpectante populo flammæ vindices expiabunt.*

Eft autem obfervandum circa peccatum mollitiei, pollutionem omnem directe in fe voluntariam effe peccatum mortale, nec unquam quovis prætextu etiam tuendæ fanitatis effe licitam, ut ex communi Doctorum confenfu probat, & docet Leffius fup. dub. 14. imo & illam etiam, quæ indirecte tantum voluntaria eft; ideft quæ fequutura prævidetur ex aliqua caufa, quæ tamen non evitatur, cum poffit, & debeat evitari.

Si tamen jufta aliqua ratio fubfit ejufmodi caufam non evitandi, ut fi quis libros de ejufmodi rebus tractantes legat, ut alios doceat, aut Confeffionibus excipiendis vacet, unde turpes imaginationes, & delectationes in parte inferiori, ac exinde pollutiones confequantur; tunc non erit peccatum, dummodo non fubfit periculum confenfus, ut docent Leffius fup. Navar. c. 19. n. 6. & alii communiter. Quod fi pollutio nullo modo fit voluntaria, ut quando inter dormiendum accidit, neque poftquam quis plene expergefactus eft, in delectationem ex illa provenientem deliberate confentit, tunc non effe peccatum, iidem Auctores proxime citati docent.

5. Præter has luxuriæ fpecies funt alii plurimi ejufdem peccati actus tam exteriores, quam interiores ad unamquanque illarum per-

tinentes, hoc sexto præcepto prohibiti. Atque in primis prohibentur morosæ delectationes, quæ ex rebus obscœnis cogitatione, vel imaginatione apprehensis, cum pleno, & deliberato voluntatis consensu, percipiuntur. Et etiam ipsæ cogitationes, & imaginationes turpes, quamvis nulla ex illis sequatur turpis delectatio, si tamen illius percipiendæ causa animo versentur, & foveantur, æqualem cum ipsis obscœnis delectationibus censentur habere malitiam, scilicet mortalem, quamvis nulla subsit voluntas rem illam turpem opere implendi. Quod melius explicare simul, & probare non possumus, quam his S. Aug. verbis lib. 12. de Trinit. c. 2. *Totus*, inquit, *homo damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris Gratiam remittantur.*

Prohibentur etiam a fortiori obscœna omnia desideria, & turpes affectus, quando quis deliberate appetit, & vult actum aliquem luxuriosum perpetrare. Et hæc desideria eandem cum ipsis actibus desideratis deformitatem induunt. Unde qui mulierem conjugatam turpiter concupiscit, *jam mœchatus est eam in corde suo*, ut ait Christus Dom. S. Matth. 5. & coram Deo adulterii reus efficitur.

Præterea oscula, tactus, & aspectus, qui fiunt ob carnalem, & veneream delectationem, quæ ex illis percipi potest, sunt etiam peccata mortalia hoc præcepto prohibita. Quamvis enim, ut recte observat S. Doct. 2. 2. q. 154. a. 4. hæ, & similes actiones sint ex genere suo indifferentes, possintque secluso quovis libidinoso affectu licite exerceri, e. g. si quis mulierem osculetur eam salutando, quia talis est consuetudo patriæ, vel ob aliquam aliam causam rationabilem; si tamen nulla ejusmodi causa subsit, nec aliud in osculis, tactibus, & aspectibus intendatur, quam delectatio illa, quæ carnem afficit, & ad libidinem excitat, tunc secundum mentem S. Doct. peccati mortalis reatus incurritur.

§. II.

Quot modis peccetur in sextum Decalogi præceptum.

1. EX dictis colligi potest, quot, & quam variis modis peccetur in hoc Decalogi præceptum. Atque in primis peccant contra illud, qui turpium rerum cogitationibus, aut imaginationibus deliberate intendunt, ut illis delectentur, qui delectationes illas suboriri advertunt, nec illas protinus abjiciunt, sed potius fovent, qui legunt libros impudicos, unde tales cogitationes, & delectationes plerunque oriri solent, qui intendunt in imagines, aut picturas obscœnas, & ad libidinem aspectu sui excitantes, aut illas domi expositas habent, unde alii occasionem peccandi sumere possunt, qui turpes cantilenas, aut verba obscœna proferunt, aut ab aliis prolata libenter audiunt, qui comœdiis, aut aliis spectaculis,

vel saltationibus, & choreis delectantur, in quibus advertunt, se graves adversus castitatem tentationes experiri, iisque ut plurimum succumbere, qui notabiliter in cibo, vel potu excedunt, unde in ipsis motus impudici, & aliquando pollutiones oriri solent, quibus fere semper consensum præbent.

2. Qui vestitu, aut gestu aliquo immodesto, vel aspectu aliis hujus peccati occasionem præbent, qui se, vel alias personas impudice aspiciunt, qui osculis, aut tactibus libidinosis delectantur, qui voluntate sola, aut etiam actu ipso committunt peccatum fornicationis, stupri, adulterii, sacrilegii, incestus, aut raptus, qui in peccatum mollitiei deliberate incidunt, pollutionibus deliberate delectantur, aut eas sibi tactibus impudicis, vel aliis modis procurare conantur, qui infandum Sodomiæ, aut bestialitatis crimen perpetrant, aut aliis illicitis, & infamibus concumbendi modis se polluunt.

§. III.

Quænam restitutiones ob hujus præcepti transgressionem faciendæ sint.

1. DUobus præsertim casibus obligatio restitutionis alicujus faciendæ hujus præcepti transgressoribus incumbere potest, nimirum ratione stupri, vel adulterii.

Quod ad stuprum spectat, certum est in primis, illum, qui virginem aliquã conjugii promissione decepit, & sub ejusmodi spe corporis illius usuram impetravit, ad eam in matrimonium ducendã obligari, etiam si ficte tantum, & dolose promiserit. Ita Navarr. Sotus, Adrianus, & alii apud Lessium l. 2. c. 10. dub. 3. Si tamen sit conditionis valde inæqualis, aut si promissionem adimplere non possit, puta quia est conjugatus, aut si ex illius promissionis impletione grave aliquod scandalum timeatur; tunc promissioni satisfacere censebitur, si sufficientem illi, pro ratione conditionis, & status, dotem tribuat, ut docet Navarrus c. 16. n. 8. & post illum Toletus, lib. 5. c. 11.

2. Certum est etiam, illum, qui violentia, aut importunis precibus, aut falsis, & dolosis persuasionibus virginem ad stuprum induxit, teneri illam vel ducere, vel convenienter dotare, ut habetur ex *c. si seduxeris*, de adulteriis. Quod si virgo nulla vi, aut promissione, nullis item importunis precibus, aut dolosis persuasionibus ad peccatum inducta est, sed ipsa sponte, & libere in illud consensit, nulla restitutionis faciendæ obligatio incumbit, ut docet Navarrus supra, Lessius sup. dub. 2. & alii, quia juxta regulam 28. juris in 6. *Scienti, & consentienti non fit injuria*, legesque Canonicæ, ut observat Navar. ibid. non obligant ad restitutionem, nisi eum, qui aut violentiam, aut dolum, seu deceptionem ad stuprum perpetrandum adhibuit. Quod etiam similiter dicendum existimat idem Navarrus, si virgo per stuprum deflorata æque commode, & convenienter nupsit, ac

si minime peccasset, quia stuprum illius nemini innotuit. Tunc enim, quamvis ille, qui eam ad peccandum induxit, gravem, & rigidam pœnitentiam coram Deo subire teneatur, ad nullam tamen restitutionem illi faciendam tenebitur; quia scilicet nullum damnum passa est, quod pecunia æstimari possit.

Quod spectat ad adulterium, si mulier conjugata filium ex adulterio suscepit, tenetur omnibus modis quibus potest, citra famæ dispendium, aut vitæ periculum, procurare, ne legitimi hæredes ratione hujus illegitimæ prolis aliquid detrimenti patiantur. Unde si habet bona aliqua præter dotem sibi propria, quæ possit, quibus velit, tribuere; tenetur ex illis tantum legitimis hæredibus applicare, quantum satis erit ad compensationem damni per spurium illati, aut inferendi. Ita Cajetanus opusc. 31. resp. 15. Navarr. c. 16. n. 47. Tolet. lib. 5. c. 11. Less. lib. 2. c. 10. dub. 7. & alii communiter.

3. Quod si mulier nulla ejusmodi bona possideat, neque ullo alio modo damnum illud cõpensare possit, quærunt Theologi, an teneatur etiam cum periculo vitæ, vel dispendio famæ, crimen suum marito, vel filio suo spurio prodere. Responderur ex communi Doctorũ sententia, ut videre est apud Lessium, & Toletum supra, non teneri cum periculo vitæ. Quamvis autem aliqui existiment ad id obligari cũ honoris, & famæ dispendio, probabilis tamen, & tuta in praxi est sententia Soti, Innocentii. Panormitani, Caietani, Navarri, & aliorum, quos refert, & quibus subscribit Lessius supra, dub. 7. qui negãt, mulierem cum notabili famæ, honorisque dispendio, ad crimen suũ marito, vel filio spurio revelandum obligari. Quorum ratio est, quod fama, cum sit bonum superioris ordinis, non videatur in tali casu necessario exponenda pro alio bono inferioris ordinis, præsertim cum illius dictis neq; maritus, neq; spurius filius credere teneantur, juxta regulam Juris. *Allegan i suam turpitudinẽ nulla debetur fides*, proindeq; ex illa peccati sui declaratione nihil aliud sequeretur, nisi scandalum in familia & discordia inter filios. Unde etiam cap. *Officii*, de pœnit. & remiss. nihil aliud præscribitur respectu mulieris, quæ filiũ supposuerat, nec suppositionem illam marito revelare volebat, sicut nec alterius, quæ prolem ex adulterio susceperat, nisi ut competens satisfactio per discretum Sacerdotem utrique injungatur. Quare juxta illum Canonẽ prudentis erit Confessarii ejusmodi mulieri præter alia opera satisfactoria præcipere, ut solitas expensas, quantum poterit, habita ratione status, valetudinis, &c. imminuat, & majori sedulitate rem domesticam administret, & si quid lucri proprio labore captare possit, illud in compensationem filiorum, aut hæredum applicet, & alia similia præstet, quibus si non totum damnum, saltem illius partem aliquam compensare conetur.

Quæres, utrum ipse adulter ad restitutionem aliquã faciendã obligetur. Respondetur, si moraliter ei certum sit, filium, qui ex muliere,

re, cum qua peccavit, natus est, esse suum, obligari adulterum ad compensationem damnorum, quæ legitimo marito, aut ejus hæredibus obvenire possunt, sive ratione alimentorum, quæ illi præstantur, sive ratione hæreditatis, quam cum aliis legitimis filiis tanquam unus ex illis aditurus est. Et hæc est communis sententia Doctorum, paucis exceptis, quorum opinionem, ut minus probabilem, & tutam, merito rejicit Lessius supra dub. 6.

SECTIO VII.

Explicatur septimum Decalogi præceptum.

Non furaberis.

CUm hoc septimo præcepto, ut observat Catech. Rom. par. 3. c. 8. Deus in tutelam veluti suam bona nostra exteriora susceperit, ita ut nullus ea injuste surripere, aut invitis nobis detinere possit, quin injuria illa in ipsum etiam Deum refundatur, ac obedientia illi debita violetur; hinc patet, quanti facienda sit hujus præcepti observatio, & quo studio illius obligationes omnes pervestigandæ sint, præsertim cum innumeris prope modis in illud peccetur. Ut igitur majori cum luce in illius explicatione procedamus, ipsius juris, ac justitiæ principia breviter consideranda nobis sunt, ut ex illis postea rationes omnes, quibus erga proximi bona obstringimur, enucleatius cognoscamus.

§. I.

Quid juris, quid justitiæ nomine intelligendum sit.

1. NOmen juris (ut illius varias, & multiplices acceptiones omittamus) in duplici præsertim significatione sumi solet. Primo pro lege tam naturali, quam positiva, sive Divina, sive humana, quo sensu dicimus, e. g. parentibus honorem deferre, esse de jure naturali; Sacramentum Baptismi recipere, esse de jure Divino positivo, quo etiam sensu legum, & sanctionum Ecclesiasticarum collectionem Juris Canonici nomine indigitamus. Secundo sumitur pro facultate illa, seu potestate legitima, quam quis habet ad rem aliquam obtinendam, aut retinendam, vel ad aliquid faciendum, ita ut ab illius rei obtentione, aut retentione, vel ab illa actione facienda impediri licite non possit.

Similiter justitiæ nomen duobus potissimum modis accipitur. Primo pro virtute quadam generali, quam S. Anselmus dial. de verit. c. 13. vocat *Rectitudinem voluntatis*, quo sensu virtutes omnes in se complectitur, & pro illis sive generatim, sive speciatim significandis plerumque in Scriptura ponitur, ut Matth. 5. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justi-*

justitiam. & cap. 6. *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*.

Secundo pro virtute particulari, quæ a S.Doct.1.2.q.58 a.1. & a Jurisconsultis communiter definitur, *Constans, & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi*, quorum verborum sensus est, justitiam esse virtutem, quæ inclinat, & firmat voluntatem ad tribuendum unicuique, quod suum est. Qua in acceptione una est ex quatuor illis virtutibus, quæ a S. Ambr. in c.6. S. Lucæ vocantur *Cardinales*, eo quod sint aliarum virtutum tanquam cardines, ita ut sicut ostium in cardine, sic (ut loquitur S. Greg. l. 2. mor. c. 36.) *omnis honestæ vitæ ratio, & universa boni operis structura illis inniti quodămodo videatur*.

2. Dividitur autẽ justitia a S.Doct. q. 61.a.1. in commutativam, & distributivam. Justitia distributiva illa est, quæ dividit, & distribuit munera, officia, bona, onera, & alia similia Communitatis alicujus propria secundum proportionem, quam vocant geometricam, idest considerando non solum valorem, & quantitatem bonorum illorum, aut onerum, &c. sed etiam personarum conditionem, idoneitatem, merita, &c. Commutativa vero illa est, quæ constituit æqualitatem inter personas particulares secundum proportionem arithmeticam, idest considerando solum valorem, vel quantitatem rerum, sine ullo respectu ad personas. V. g. mutuatus est aliquis centum aureos, qualiscunque sit, dives, aut pauper, nobilis, aut ignobilis, debet centum aureos reddere.

§. II.
Quid sit jus ad rem, & jus in re.

1. CElebris illa divisio juris, quæ a Theologis, & Jurisperitis tractatur, lucem dabit variis difficultatibus circa hujus præcepti violationem occurrentibus, ideoque a nobis prætermitti non debuit. Jus igitur ad rem est illud, quod habetur per alicujus contractus stipulationem, puta per donationem, emptionem, &c. antequam illius rei, quæ donata, vel empta est, traditio fiat. Jus in re est illud, quod per ipsam rei traditionem acquiritur.

Hæc est autem utriusque differentia, quod jus in re ita faciat illam propriam ejus, qui acquisivit, ut quocunque in loco sit, & in cujuscunque manus pervenerit, facultatem habeat eã ubicunque repererit, & recipiendi, & a quocunque repetendi, & obligetur ex justitia eam ei restituere quisquis acceperit; jus vero ad rem non tribuat facultatem ejusmodi in ipsam rem, sed solummodo titulum justum, & aptum ad habendum illius rei dominium. V g. quis emit equum ab altero, illiusque pretium solvit, si equus ille nondum ei a venditore traditus sit, habet tantum jus ad illum equum, non vero in illo. Unde si venditor fraudulenter eundem equum alteri vendat, & tradat, primus emptor

non

non poteſt ab illo altero equum repetere, ſed agere tantum poteſt in venditorem, ut pretium reſtituat, ſibique præterea perſolvat, quantum ſua intererat, contractum illius venditionis antea celebratum firmum eſſe, & ad plenum effectum perduci: e contra ſi equus ille venditus, ſed nondum traditus moriatur, aut furto abducatur, venditori perit, & non emptori.

2. Ex quibus intelligi poteſt, quid ſibi velint leges Civiles, dum dicunt, ei, qui habet jus in re, competere actionem realem, quæ *vindicatio* vocatur, qua res ipſa repeti, & ſumi poſſit, ubicunque reperiatur, ei vero, qui habet tantummodo jus ad rem, competere actionem perſonalem, non qua res ipſa, in cujuſcunque manus devenerit, poſſit vindicari, & accipi, ſed qua traditio ejus poſſit exigi a perſona, cum qua ſtipulatio de illa interceſſit.

§. III.

Quid ſit dominium, & quibus perſonis competat.

1. PLures ſunt juris particularis ſpecies, variæque rationes, quibus competere poteſt alicui facultas accipiendi, aut retinendi rem aliquam, vel de illa diſponendi, inter quas præcipua, & ad quam reliquæ aliquo pacto reducuntur, eſt dominium: ex cujus proinde explicatione, quid de aliis ſentiendum ſit facile poterit intelligi.

Ac in primis obſervandum eſt, duplex eſſe dominium, juriſdictionis ſcilicet, & proprietatis. Dominium juriſdictionis eſt poteſtas gubernandi ſibi ſubditos, illis aliquid præcipiendi, aut prohibendi, judicandi, puniendi, vel præmiandi.

Dominium vero proprietatis eſt jus poſſidendi rem aliquam, & de illa tanquam ſua diſponendi. Eſtq; rurſum duplex, perfectum ſcilicet, & imperfectum. Dominium perfectum, quod & plenum dicitur, continet proprietatem rei, & commodorum ejus, extenditque ſe ad omnem ejus uſum, & diſpoſitionem, niſi lege aliqua Divina, vel humana prohibeatur. Dominium vero imperfectum habet tantum proprietatem abſque emolumentis, vel emolumenta abſq; proprietate. Primum vocant Juriſperiti dominium directum, quale eſt Principis reſpectu feudorum, aut illius, qui dedit agrum in emphyteuſim: ſecundum vocant dominium utile, quale habet feudatarius, emphyteuta, uſufructuarius, &c.

2. Quod autem ſpectat ad ſubjectum dominii, ſeu perſonas illius capaces, Theologi communiter docent, illud non niſi naturæ rationali competere poſſe; cum per ſolam rationem quiſq; poteſtatem habeat immediate in actus ſuos, & per hos in alias res exteriores.

Atque in primis certum eſt, Deum in omnes creaturas ſummum quoddam, & abſolutiſſimum obtinere dominium, quod Scriptura innumeris prope in locis teſtatur, proindeq; illum libere, & prout ipſi pla-

placuerit, de omnibus creaturis sine cujusquã injuria disponere posse. Certum est etiam, hominem esse dominii capacem, juxta illud Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, & bestiis terræ*, &c. ubi tribuitur homini præfectura, & dominium in alias creaturas inferiores, ratione imaginis Divinæ, quam gerit, quæque in intellectu rationis capaci, & libera voluntate consistit. Sed difficultas est de quibusdã hominibus in particulari, an de facto dominium aliquod, & quarumnam rerum habeant: ac præsertim de filiisfamilias. De quibus breviter dicimus, quod secundum juris dispositionem, quandiu sub patria potestate constituti sunt, duo sunt tantummodo genera bonorum, quorum perfectum dominium habere possunt, castrensia scilicet, & quasi castrensia. Bona castrensia sunt illa, quæ in militia, vel occasione militiæ juste acquiruntur, ut stipendia, donaria Ducum, &c. Quasi castrensia vero sunt ea, quæ ex Beneficio Ecclesiastico, aut Officio publico Judicis v. g. aut Advocati, aut ex professione alicujus artis liberalis proveniunt. Bonorum autem illorum, quæ adventitia vocantur, id est quæ vel ex aliorum donatione, vel ex propria industria, negotiatione, &c. proveniunt, dominium quidem directum habere censentur, non tamen de iis disponere possunt absque consensu patris, penes quem illorum administratio, & utilitas remanet. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Navar. c. 17. n. 41. Lessium lib. 2. c. 4. dub. 3. & alios.

§. IV.

Quibus modis dominium proprietatis acquiratur.

1. Res externæ, quæ sub dominium proprietatis cadere possunt, duplicis sunt generis: vel enim nullius sunt, vel alicujus propriæ. Et de utrisque quæstio proposita intelligi potest.

Atque in primis quod spectat ad res illas, quæ nullius domini sunt, dicendum est, spectato communi naturæ ac gentium jure, illas fieri primi occupantis, nisi leges civiles, & locorum consuetudines de aliquibus in particulari aliter constituant, proindeque hanc occupationem esse legitimum modum, quo prædictarum rerum dominium acquiritur. Id patet ex §. *feræ*, instit. de rer. divis. & ex leg. 1. ff. de acquirenda possess. item ex l. 1. & 3. ff. de acquirendo rer. domin. quibus legibus omnes Theologi subscribunt.

Hinc colliges, feras, & animalia sylvestria, quæ in nullius potestate sunt, vel quæ jam ab aliquo capta illius potestatem evaserunt, & in libertatem naturalem se vindicarunt, ubicunque reperta fuerint, capi posse, e contra vero animalia illa, quæ natura mansueta sunt, & domestica, quamvis e domini domo effugerint, ubicunque oberrantia reperiantur, esse restituenda, quia tanquam ad dominum pertinen-

tinentia considerantur, ut fusius explicat Lessius l. 2. de just. & jure c. 5. dub. 6. Unde parag. *Gallinarum*, instit. de rerum divisione, ille dicitur furtum committere, qui ejusmodi animalia, cum effugerint, detinet. Simili ratione lapilli, gemmæ, margaritæ, & alia similia, quæ nunquam dominum habuerunt, & in litore maris, aut in aliis locis inveniuntur, sunt primi occupantis.

2. Secus vero dicendum est de rebus illis, quæ dominum habuerunt, & casu aliquo fuerunt amissæ, v.g. quæ naufragio facto ejectæ sunt ad litus maris. Quisquis enim res ejusmodi reperit, illas dominis restituere debet, si dignoscere possit, & ad illos dignoscendos moralem diligentiam adhibere tenetur. Quod si illarum rerum domini dignosci non possint, tunc secundum S. Doct. 2. 2. q. 66. a. 5. cui plurimi alii Theologi subscribunt, illæ pauperibus erogandæ, vel in alios pios usus insumendæ. Ratio est, quia rerum illarum non desinit esse dominus, qui eas amisit, ideoque, si ipsimet restitui nequeunt, saltem restitui debent illis, quibus velle præsumitur; nemo est autem, qui amissam rem suam non malit pauperibus dari, quam in alios usus expendi.

3. Non desunt tamen Doctores, qui sententiam contrariam tueantur, asserantque res illas inventas, domino minime comparente, post diligentem inquisitionem, ab inventore posse retineri, cum nullo jure naturali, aut Ecclesiastico id prohibeatur. Ita Sotus, Medina, & alii apud Layman. l. 3. de just. tract. 1. c. 5. qui recte concludit, quod, quamvis hæc posterior sententia sit probabilis, neque temere damnandus esset, qui eam sequeretur, prior tamen est magis pia, & in praxi tuta, præsertim cum secundum illam, ut monet Navar. c. 17. n. 170 possit inventor, si aliqua egestate laboret, sibimet rem inventam, aut partem illius retinere, maxime de consilio prudentis Confessarii, cujus erit determinare, quod in ejusmodi casu magis expedire videatur.

Quod spectat ad res illas, quæ sunt alicujus propriæ, dicendum est, rerum ejusmodi dominium acquiri, vel per voluntatem propriam domini rei illius suæ dominium in alterum transferentis (quod duobus potissimum modis in genere fieri potest, scilicet vel per aliquem contractum, puta venditionem, permutationem, &c. aut absque contractu per donationem, promissionem, &c.) vel per voluntatem Superioris, aut dispositionem legis ob justas causas rei alicujus dominium ab uno in alterum transferentis, quod præsertim fit per præscriptionis legem. De quibus omnibus, & singulis in sequentibus paragraphis agendum erit.

§ IV.

De Præscriptione.

1. PRæscriptio, seu usucapio, ut loquuntur Jurisperiti, est modus quidã acquirendi dominii per possessionem alicujus rei certo

to

to temporis ſpatio legibus definito continuatam. Hic autem acquirendi dominii modus Civili Jure introductus eſt, *Ne diu, & fere ſemper*, ut habetur lege 1. de uſurp. & uſucap. *quarumdam rerum dominia incerta eſſent*. Et locum habet, non ſolum in foro exteriori, ſed etiam in foro conſcientiæ, ita ut poſſit quis licite rei alicujus dominiū titulo præſcriptionis acquirere, ut pluribus probat Leſſius lib.2. c.6. dub. 17. dummodo tamen præſcriptio illa legitima ſit, habeatque requiſitas a jure conditiones. Quæ quatuor communiter a Doctoribus numerantur. Prima eſt poſſeſſio. Nam ſecundum regulam juris 3. in 6. *Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit*. Secunda eſt bona fides, ſiquidem, ut ibidem habetur, Reg. 2. *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit*. Tertia eſt titulus probabiliter præſumptus, puta donationis, emptionis, ſucceſſionis, &c. ut conſtat ex digeſt. l. 41. tit. 4. & ſeq. Quamvis interdum bona fides etiam ſine titulo ad præſcriptionem ſufficiat, quando ſcilicet nulla præſumptio in contrarium habetur, nec jus commune contradicit. Quarta denique eſt continuatio poſſeſſionis tempore legibus definito.

2. Quæres, quantum temporis requiratur ad legitimā præſcriptionem. Reſpondetur ex communi Doctorum ſententia apud Leſſium ſup. c.6. dub. 2.3.4. & ſeq. ad præſcriptionem, ſeu uſucapionem rerū mobilium quaruncunq; cum titulo probabiliter præſumpto, requiri poſſeſſionem per triennium bona fide continuatam, ſine titulo vero, per triginta annorum ſpatium. E.g. aliquis bona fide tibi rem alienam dono dedit, quam ſuam putabat, tuque bona fide illam acceptaviſti, tunc triennii poſſeſſione tibi acquiritur res illa ratione tituli donationis: quod ſi nullo titulo, bona tamen fide, illam poſſideas, tua non fit, niſi triginta annorum continuata poſſeſſione.

Ad præſcriptionem autem rerum immobilium cum titulo requiritur ſpatium decem annorum inter præſentes, id eſt eos, qui in eodem territorio habitant, quamvis non in eadem urbe, & viginti annorum inter abſentes, triginta vero annorum, ſi nullus adſit titulus, ut ſupra de mobilibus rebus dictum eſt.

Excipiuntur tamen bona immobilia Eccleſiæ, Monaſterii, Hoſpitalis, & aliorum piorum locorum, ad quorum præſcriptionem requiruntur anni quadraginta. Quod ſi bona illa ſint Eccleſiæ Romanæ, non niſi annorum centum ſpatio præſcribi poſſunt. Bona vero pupillorum, ſive mobilia, ſive immobilia, quandiu in illa ætate ſunt, nullo temporis lapſu præſcribuntur, ſicut nec res Eccleſiæ, quæ alienari prohibitæ ſunt, aut uſibus tantum ſacris ſunt deſtinatæ.

Eſt autem obſervandum, non eaſdem ubique leges circa tempus, & modum præſcriptionis eſſe receptas, ac proinde cujuſque Regni, aut loci ſpeciales leges, & legitimas conſuetudines eſſe ſuper hac re conſulendas.

§. VI.

§. VI.

De contractibus in genere.

1. NOmine cōtractus intelligitur conventio aliqua inter duos facta, ex qua in utroque, vel saltem in alterutro illorum obligatio aliqua nascitur. Sunt autem alii contractus, qui vocantur *nominati*, alii *innominati* dicuntur. Contractus *nominati* sunt illi, qui speciali nomine inter se distinguuntur, ut emptio, venditio, locatio, &c. Contractus vero *innominati* sunt illi, quibus nullum speciale nomen assignatum est. Dividunturq; a Jurisperitis in quatuor species, quæ his verbis exprimūtur, *Do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias*.

His prænotatis, dicendum 1. contractum omnem sponte, ac libere factum, quamvis in eo non serventur juris formalitates, obligare tamen in foro conscientiæ, ita ut alterutro contrahentium invito, rescindi non possit, nisi jure aliquo positivo irritus sit, aut irritari possit. Ita Gomesius, Covarruvias, & alii, quos citat, & sequitur Lessius sup. dub. 4 Ratio est, quia jure naturæ tenetur quisque servare, quod promisit, altero acceptante, ut ex infra dicendis plenius constabit.

2. Dicendum 2. contractum illum, in quo contingit error circa substantiam rei, jure naturæ irritum, & invalidum esse. Ita S. Anton. Sotus, Cajet. & alii apud eundem Lessium supra dub. 5. quia, ut dicitur leg. 9. C. de juris, & facti ignorantia, *Errantis nullus est consensus*, sine consensu autem nullus est contractus. E g. si quis gemmam vendat existimans esse crystalli fragmentum, emptor re comperta tenebitur ad restitutionem gemmæ, aut ad justum ejus pretium venditori persolvendum. Secus vero si error solummodo sit circa qualitatem rei, ut si cognoscens esse gemmam, sed valorem ejus ignorans, vili pretio eam vendiderit. Tunc enim validus quidem erit contractus, sed tenebitur emptor, postquam id resciverit, supplere id, quod justo gemmæ pretio defuit, ut docent supra citati Auctores.

Dicendum 3. contractum illum, cui alterutrius contrahentium dolus causam dedit, non esse omnino jure naturæ irritum, sed tamen pro arbitrio ejus, qui deceptus est, si contractus solubilis sit, irritari posse. Ita Ægidius Koninch, & alii apud Laym. l. 3. de just. tr. 4. c. 5. & Lessius supra. Quod non sit irritus, patet ex eo, quod, si is, qui deceptus est, velit contractum subsistere, deceptor resilire non potest, *Ne lucrum ex dolo suo reportet*, ut habetur c. 1. de eo, qui duxit in matrimonium: quod vero irritari possit, pro arbitrio illius, qui deceptus est, constat etiam ex eo, quod qui dolo inducit alterum ad contrahendum, injuriam ei facit, ac proinde tenetur eum restituere in integrum, & reddere omnia infecta, si deceptus velit.

3. Dicendum 4. contractus omnes ex aliquo gravi metu injuste incusso celebratos non esse quidem jure naturæ irritos, sed irritari pos-

se,

se, & revocari in foro conscientiæ pro arbitrio ejus, qui metum injuste passus est. Ita Sotus, Palud. Ricard. & alii apud Les. sup. dub. 6. Id patet tum ex eo, quod, ut habetur c. 1. de his, quæ vi, metusque causa fiunt, *quæ vi, & metu fiunt, debet in irritum revocari*, tum etiã, quia, ut dicit S. Th. 2. 2. q. 89 a. 7. ad 3. *qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissio non servetur*. Eadem etiam ratio. quæ supra de dolo allata est, potest de metu injuste illato intelligi. Qui enim metum injuste incussit, injuriam alteri intulit; unde tenetur illum in priorem statum restituere, & alter jus habet exigendi hanc restitutionem. Per metum vero gravem intelligimus illum, qui est de malo aliquo, quod viro constanti formidabile est, eumque merito commovere potest, qualis est metus mortis, exilii, carceris, infamiæ, amissionis bonorum, &c. Ad metum quoque gravem pertinere, dicit Lessius supra, metum reverentialem, quo filius timet gravem offensionem patris, subditus Principis, uxor mariti, &c. Ubi recte observat, metum etiam gravem dici posse illum, qui respective solum talis est, ut si sit de aliquo malo, quod quamvis viro constanti non sit formidabile, fœminæ tamen, vel puero, vel seni formidandum merito videtur.

§. VII.
De promissionibus, donationibus, & testamentis.

1. PRomissionis nomine intelligimus hic non promissionem illam, quæ fit sub aliquo onere, vel conditione, quæque ut sic extendi potest ad omnes fere stipulationes, & contractus, in quibus ut plurimum promissio aliqua reciproca intervenit, sed promissionem simplicem, & gratuitam, qua ex mera liberalitate, aut gratitudine aliquid alteri promittitur: de qua

Dicendum 1. promissionem, antequam acceptetur, nullam parere obligationem naturalem, aut civilem: quod & similiter de donatione intelligendum est. Unde sequitur, quod utraque ante acceptationem possit licite revocari. Ita Sotus l. 4. de just. q. 5. ar. 1. Suarez to. 2. de relig. l. 8. c. 2. Lessius l. 2. c. 18. dub. 6. & alii communiter. Ratio est, quia omnis promissio, & donatio suapte natura respectiva est, cujus proinde obligatio ex alterius partis consensu dependet.

Excipiunt tamen Doctores aliqui promissiones factas Ecclesiæ, Hospitali, Monasterio, aliisque locis piis, existimantque, etiam ante acceptationem, promissiones, & donationes ejusmodi obligare. Alii vero Theologi hanc exceptionem non admittunt, asseruntque, universim promissionem non acceptatam minime obligare: quam sententiam probabilem, & in praxi tutam existimat Laym. sup. tr. 41. cap. 1. & pro illa Sotum, aliosque Doctores citat.

2. Dicendum 2. promissionem serio, & deliberate factam, & ex animo vere promittendi, seque alteri obligandi, ex virtute fidei, seu fide-

fidelitatis, ubi acceptata fuerit, obligare etiam sub peccato mortali, si res promissa sit alicujus momenti. Ita Navarrus, Sotus, & plures alii, quos citat, & sequitur Lessius sup. dub. 8. Ratio est, quia omnis promissio dat jus ad rem promissam, quod etiam ad hæredes promissarii transit, & si fiat in forma stipulationis, datur etiam actio in foro exteriori, & promissor cogi potest sententia Judicis ad promissionem implendam; unde sequitur, illam inducere strictam aliquam obligationem, quæ proinde sub peccato obliget. Quod si quis utatur verbis quidem promissoriis, non tamen animo serio promittendi, sed solummodo ad significandum solum propositum, vel ad firmius asseverandum, ut ei credatur, tunc, ut recte observat idem Lessius, non censetur obligatus sub peccato mortali ad implendum id, quod sic promisit, nisi forte ex ficta illa promissione notabile aliquod damnum alterius sequatur; & hoc sensu dicit, intelligendas esse promissiones plurimorum, qui solent multa se promittere facturos, cum tamen non intendant serio se ad id obligare, aut aliis jus exigendi tribuere, sed duntaxat firmiter id asseverare.

Quæres, quanti valoris, aut momenti esse debeat res promissa, ut promissionis violatio censeatur esse peccatum mortale. Navarrus c. 18. n. 6. existimat, sufficere valorem rei promissæ talem esse, qui in furto ad peccatum mortale sufficeret: probabilius tamen Lopez l. 2. de contract. c. ult. & Lessius supra docent, in promissione ad materiam peccati mortalis constituendam longe majorem valorem, quam in furto requiri, qui tamen valor difficile determinari potest, sed viri prudentis judicio ex æquo, & bono dijudicari debet. Certe communi hominum æstimatione major injuria fieri censetur, si quis aureum unicum surripiat, quam si quatuor, vel quinque aureos ex liberali promissione debitos non solvat.

3. Dicendum 3. promissionem alteri factam, & ab eo acceptatam desinere obligare, si res promissa fiat inutilis, aut illicita, aut impossibilis: item si status rerum, aut personarum ita mutetur, ut secundum judicium viri prudentis promissor non videatur illum eventum voluisse comprehendere, quod ex conditione rei promissæ, aut ipsius promissionis, vel etiam promissarii, aliisque circumstantiis dijudicandum est. Ita Cajetanus, & alii, quos citat, & sequitur Lessius supr. dub. 10. Ratio est, quia promissio non censetur habere vim, nisi ex voluntate, & intentione, quam promittens explicite, & implicite habuit, dum promisit; ex quo sequitur, quod ultra hanc intentionem expressam, vel prudenter interpretatam non possit obligari.

4. Dicendum 4: donationem illam, quæ dicitur inter vivos, id est cum quis ex mera liberalitate sic donat, ut etiam se vivo velit rem donatam esse alterius, factam ab eo, qui donare potest, id est qui dominium, & administrationem habet rei, quam donat, cum facultate illam alienandi, posse etiam post donatarii acceptationem revoca-

vocari, ob quasdam causas legibus expressas, quarum præcipua est ingratitudo ipsius donatarii, ut si donatarius injurias atroces in donantem effuderit, si violenter illum percusserit, si ex certa malitia notabile damnum bonis ejus intulerit, aut si ad gravem inopiam redactum non aluerit. Ita Sylvester, Gomesius & alii, quos citat, & sequitur Lessius cit. sup. dub. 14. ubi tamen observat, donatarium ante Judicis sententiam non teneri ad restitutionem, quia est pœna, quæ prærequirit donatoris querelam, & ingratitudinis probationem.

5. Dicendum 5. donationem, quæ fit causa mortis, id est cum quis ita donat, ut rem non velit absolute, & irrevocabiliter esse alterius, nisi post suam mortem, qualiter in testamentis, & codicillis fieri solet, posse ad arbitrium donantis revocari. Ita communiter Doctores. Unde Apostolus Heb. 9. dicit, quod *Ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris, alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est*. & Jurisperiti communiter dicunt, *Ambulatoriam esse testantis voluntatem usque ad supremum vitæ exitum*. Est tamen difficultas inter Theologos, utrum testamentum sit validum in foro conscientiæ, si desint ei solemnitates legibus requisitæ. Omissis aliorum sententiis, probabilis, & in praxi tuta videtur esse illa, quam propugnant Adrianus, Angelus, Tabiena, Sylvester, Joannes Medina, Lopez, & alii, quos citat, & sequitur Lessius supr. c. 19. dub. 3. quæ asserit, ejusmodi testamentum in foro conscientiæ validum esse, & licite retineri posse id, quod ex tali testamento habetur, sive titulo hæreditatis, sive legati. Ratio est, quia, ut dicitur paragrapho, *Per traditionem*, Institution. de rerum divisione: *Nihil est tam conveniens naturali æquitati, quam voluntatem Domini volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi*. Præterea testamentorum solemnitates a legibus eo solum fine introductæ sunt, *ne quid falsitatis in testamentis incurrat*, ut dicitur *l. quæstionem* 23. C. de fideicommissis: quare dummodo certo constet de ultima testantis voluntate, potest quis rem sibi ejus testamento relictam tuta conscientia retinere.

§. VIII.

De emptione, & venditione.

1. DUæ sunt præcipuæ conditiones in qualibet emptione, & venditione observandæ, ut docet S.Th. 2.2. q.77. a.1. & seq. Prima est, ut fraus omnis, & dolus absit, tam ex parte venditoris, quam emptoris. Ex quo sequitur, contra justitiam esse, si quis vendat rem habentem vitium aliquod, seu defectum in quantitate, aut qualitate, eodem pretio, quo venderetur, si ejusmodi defectu, & vitio careret; proindeque peccare, qui mensuras adhibent illegitimas, aut pondera dolosa, juxta illud Prov. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Dominum*,

num, item qui mixtione aliqua res efficiunt deteriores, ut caupones aquam vino miscentes, frumentarii, qui tritico miscent alia semina deteriora sicut illi Amos 8 dicebant: *Quisquilias frumenti vendamus*.

Unde idem S. Doctor sup. art. 3. asserit, rei, quæ venditur, vitia occulta, quæ ab emptore deprehendi non possunt, quæque illius valorem notabiliter diminuunt, aut illam emptori inutilem, vel incommodam reddunt, esse manifestanda. Quod etiam docuit S. Ambros. lib. 3. de offic. cap. 10. *In contractibus*, inquit, *vitia eorum, quæ veneunt, prodi jubentur, ac nisi intimaverit venditor, quamvis in jus emptoris transierint, doli actione tenetur*.

Quæ autem de venditore, hæc etiam de emptore intelligi debent, omnem scilicet fraudẽ ab emptione abesse debere, proindeque contra justitiam esse rem aliquam pretiosam pro vili, puta gemmam pro fragmento vitri, emere ab alio, qui ejus valorem ignoret: secus, si in aliqua regione res parvi æstimarentur, quæ tamen alibi censentur pretiosissimæ, puta margaritæ, gemmæ, aut alia id genus, quæ ut plurimum in Indiis, & aliis dissitis regionibus pro cultellis, tintinnabulis, & aliis similibus crepundiis licite permutantur.

2. Secunda conditio ad justitiã emptionis, & venditionis ex mente S. Doct. necessaria est, ut res neque carius vendatur, neque vilius ematur, quam illius pretium exigat. Pro cujus intelligentia observandum est, duplex esse justum pretium alicujus rei. Primum est, quod a potestate publica taxatum est, & vocatur a Doctoribus pretium legitimum, quasi lege definitum, & illud augere in vendendo, aut minuere in emendo non licet. Secundum est illud, quod communi hominũ æstimatione determinatur, quando a publica potestate minime taxatum est, & pretium vulgare, seu commune dicitur, habetque quandam latitudinem. Cum enim ex plurimorum æstimatione pendeat, qui non eodem modo de rerum valore judicant, hinc fit, quod aliqui, v. g. decem nummos valere arbitrentur, quod alii undecim, alii vero tantum novem æstimant. Unde a Doctoribus hoc vulgare, & commune pretium triplex esse dicitur, infimum scilicet, medium, & summum, quod etiam rigorosum nominatur. Quamvis autem in exteriori foro actio minime detur ei, qui emendo carius, vel vendendo vilius non est deceptus ultra dimidium justi pretii; in foro tamen conscientiæ omnis venditio, in qua justi pretii latitudo exceditur, & omnis emptio, in qua justi pretii quantitas non attingitur, injusta est, & Divinæ legi contraria. Ita S. Th. a. 1. ad 1. & hæc est etiam expressa doctrina S. Aug. lib. 13. de Trinit. c. 3.

3. Sunt tamen duæ causæ, ob quas licitum est rem pluris aliquando vendere, quam per se valeat. Prima est ratione officii mercandi. Mercatori siquidem merces suas paulo pluris vendere licitum est, quam ab aliis venderentur, qui non ex officio, sed ex occasione aliquid vendunt. Ita Joannes Medina, Cajetanus, & alii apud Lessium

supr. c. 1. dub. 4. Ratio est, quia pretio aliquo æstimabile censetur, quod mercator curas, & cogitationes suas, ac omne tempus suum in mercibus illis conquirendis, conservandis, & distrahendis assidue impendit. Secunda est ratione damni emergentis, aut lucri cessantis, quando quis in solam emptoris gratiam rem aliquam vendit, quæ sibi est plurimum utilis, commoda, & etiam necessaria. Quo in casu, ut dicit S. Doct. supra art. 1. *Justum pretium erit, ut non solum respiciatur ad rem, quæ venditur, sed etiam ad damnum, quod venditor ex venditione incurrit; & sic licite poterit aliquid vendi pluris, quam valeat secundum se*, quod quidem est judicio viri prudentis æstimandum. Si vero res, quæ venditur, esset maxime commoda emptori, nec venditor ex illius distractione damnum ullum, aut incommodum pateretur; tunc, ut recte monet S. Doct. supra, *non deberet eam supervendere, quia utilitas, quæ alteri accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione ementis; nullus autem debet alteri vendere id, quod non est suum.*

4. Sunt etiam duæ causæ, ob quas interdum potest quis licite rem minori pretio emere, quam alias valeret. Prima est, si emptori parum utilis sit, illamque solummodo emat in gratiam venditoris; quia tunc pretium, & valor illius secundum communem hominum æstimationem vilescere censetur, ut docet Lessius supra. In quo tamen cavendum est, ne a pauperibus, aliisque, quos adigit egestas ad propriam supellectilem v. gr. distrahendam, aliquid vilius, quam par sit, emendo, justitia, vel charitas violetur. Secunda causa oritur ex ratione, & modo vendendi, ut in auctionibus publicis, in quibus sicut aliquando rerum commune pretium ex emptorum contralicitatione augetur, sic etiam interdum ex defectu emptorum minuitur, ut observat Navarrus c. 23. num. 85.

Quæres, quid de quibusdam rebus censendum sit, quæ nullum certum pretium habent, ut sunt quædam gemmæ, picturæ veteres, &c. an scilicet tanti eas vendere liceat, quanti vendi poterunt. Respondet Lessius sup. cap. 21. dub. 3. quamvis Sotus, & quidam alii Theologi ita fieri posse arbitrentur, longe tamen probabilius esse, & tutius in conscientia, res ejusmodi non posse licite vendi pro arbitrio venditoris, sed juxta æstimationem intelligentium, aut etiam ipsius venditoris, spectatis bona fide circumstantiis omnibus ad ipsius rei valorem facientibus.

§. IX.
De mutuo, commodato, deposito, & locato.

1. HOrum quatuor contractuum, qui frequentiores sunt, & ad quos cæteri aliquo pacto reduci possunt, notitiam hic aliquam generalem proponemus, ut facilius dignosci possit, quibus in

casibus hoc septimum Decalogi præceptum occasione illorum violetur, & etiam qua ratione sub illorum obtentu usuræ interdum palliatæ committantur, de quibus postea.

Per mutuum intelligitur traditio rei alicujus numero, pondere, vel mensura constantis, facta eo animo, ut sit accipientis, cum obligatione tamen, ut similis in specie, ac bonitate restituatur.

Per commodatum vero, rei alicujus quoad solum usum gratuita concessio, cum obligatione eandem numero restituendi.

Per depositum, rei alicujus ad solam custodiam traditio, cum obligatione eandem integram restituendi.

Per locatum denique, seu locationem significatur rei alicujus ad usumfructum, certa pretii conventione facta, concessio.

Differunt autem inter se hi contractus, primo in eo, quod mutuum fiat tantum de rebus mobilibus. reliqui tres contractus de rebus etiā immobilibus fieri possint, ut fuse ex diversis legibus declarat Lessius.

2. Differunt 2. in eo, quod per mutuum transferatur rei mutuo datæ dominium, sufficiatque, ut similis in specie restituatur, per alios vero tres contractus non transferatur rei dominium, sed eadem numero debeat restitui, ut docet idem Lessius, & ex iisdem legibus probat lib. 2. c. 20. & seq.

Differunt 3. in eo, quod mutuatarius rem mutuo datam pro libito consumere possit, commodatarius, & locatarius ea tantummodo uti, vel fructus illius percipere, depositarius vero nec illa uti, nec ex ea fructus ullos suos facere licite possit, ut explicat, & probat idem Lessius.

3. Differunt 4. in eo, quod, si res mutuo data, & tradita pereat, soli mutuatario pereat, cum in dominium ejus transierit, quoad alios vero contractus, in quibus dominium non transfertur, si res aliena apud depositarium, vel commodatarium, vel locatarium casu fortuito, & sine ulla eorum culpa pereat, domino suo pereat, nec illis incumbat ulla faciendæ restitutionis obligatio. nisi aliter expresse conventum sit, vel aliqua alia ratio specialis ad id obliget, ut ex communi legum usu, & Theologorum consensu tradit idem Lessius. Quod si res illa ex aliqua culpa pereat, commodatarius quidem, ob cujus solius utilitatem res gratuito commodata est, illam tenebitur restituere, si vel levissima ejus culpa perierit, ut habetur c. un. de commodato; locatarius vero, qui rem alterius conduxit pretio, non nisi ex levi, depositarius autem, qui rem alienam gratuito custodit, non nisi ex culpa lata; quia scilicet locatum cedit in commodum locatarii simul, & domini, depositum vero solius domini utilitatem respicit.

Differunt denique in eo, quod ratione mutui præcise, ut mutuum est, nihil a mutuatario ultra rem mutuatam, aut illius valorem exigere licitum sit, in contractu vero locationis id licite, & juste fieri possit, ut ex ante dictis intelligitur, & plenius ex dicendis constabit.

§. X.
Quid hoc septimo Decalogi præcepto prohibeatur.

1. HOc septimo præcepto prohibetur, non solum quævis injusta rei alienæ acceptio, & detentio, quæ furti nomine designatur, sed etiam (ut explicat S. Aug. q.71. in Exod.) quævis alia injusta rei alienæ contrectatio, aut damni illatio, & consequenter deliberata quævis voluntas alterius rem injuste usurpandi, vel detinendi, aut damnum illi inferendi. Ut enim docet S. Th. 1. 2. q. 72. a. 7. peccata voluntatis, & operis ejusdem sunt speciei, cum hac tamen differentia, quod peccata operis contra hoc septimum præceptum ad restitutionem obligent, non vero peccata solius voluntatis.

Est autem observandum, solam illam rei alienæ invito domino usurpationem, ac detentionem, quæ injusta est, hoc præcepto prohiberi, quia, ut ex communi Theologorum doctrina observat Toletus l. 7. cap. 14. variis ex casibus ablatio rei alienæ invito domino fieri potest absque ullo justitiæ detrimento, v. g. cum fit ex legitima Superioris auctoritate, qui ex causa justa, & rationabili, bona unius in alterum transfert; qua ratione Israelitæ non peccaverunt, cum Deo jubente spoliaverunt Ægyptios: item cum fit in utilitatem domini, ut cum a furioso ensis subripitur, ne ullum percutiat, dummodo tamen valor, & pretium ejus in utilitatem domini convertatur. Qua ratione dicit idem Auctor non committi furtum ab uxore, quæ pecunias clam aufert a marito suo, ne (quod sæpissime scit ab illo fieri) ludis, & comessationibus eas profundat, dummodo tamen in usum familiæ pecunias illas convertat: nec etiam peccare illum, qui vinum alterius diffundit, ne inebrietur, nec qui chartas rumpit, & lacerat, ne alii ludendo blasphemias proferant, aut alia ratione peccent.

2. Docet etiam idem Toletus, non committi furtũ ab eo, qui clam aliquid accipit, quod sibi alias debetur, quando scilicet certo scit, illud sibi deberi, nec potest coram Judice debiti solutionem exigere, quia debitor est potens, aut debitum probare non potest, aut inde sibi aliquod malum timet. Si enim via juridica debiti solutionem obtinere posset, peccaret occulte rapiendo, quamvis ad restitutionem minime teneretur. Monet tamen cavendum esse, ne ex illa secreta ablatione, quamvis justa, scandalum aliquod, aut damnum alterius sequatur, puta ne alii in suspicionem furti veniant, neve is, a quo accepit, rursus idem debitum solvat, ac denique ut nihil aliud accipiat, præterquam quod ipsi debetur. Verbi gratia si pactum de certa mercede inter dominum, & famulum intercessit, & famulus libere in illud consensit, non potest famulus ultra illam quidquã sibi sumere, nisi forte adigatur ab ipso domino ad alia opera præstanda, de qui-

bus

bus inter eos non convenerat. Tunc enim teneretur dominus solvere ultra pactum, & eo denegante, famulus, quod sibi juste deberetur, posset accipere.

Sunt autem duæ species injustæ ablationis rei alienæ, scilicet furtum, cum aliquid secreto ab alio injuste aufertur, & rapina, cum palam, & violente aufertur. Qua ratione (ut docet S. Th. 2. 2. q. 63. a. 4. & 9.) rapinæ peccatum non solum specie differt a furto, sed & illo gravius est, quia præter injustam rei alienæ ablationem, violentiæ illatæ injuria etiam in eo reperitur, quæ circumstantia ideo in Confessione declaranda est.

3. Cum vero quævis rei alienæ ablatio, & detentio injusta sit ex genere suo mortale peccatum, ut docet S. Th. sup. a. 6. nisi rei furto ablatæ parvitas excuset; difficultas est inter Theologos, quænam quantitas, seu quisnam valor rei ablatæ sufficiat ad peccatum mortale in materia furti constituendum. Variæ sunt Doctorum super hac re sententiæ. Navar. c. 17. n. 4. dimidium regalem (qui ætate illius quinque solidis, aut circiter æstimabatur) existimat sufficere ad peccatum mortale in materia furti, Toletus l. 5. c. 6. unum regalem, aut duos etiam, respectu ditissimi, Sotus l. 5. q. 3. a. 3. ad 3. unum, vel duos aureos. In re maxime difficili probabilissime loqui videntur illi, qui hanc furti quantitatem viri prudentis, & pii arbitrio esse definiendam existimant, idque non solum ex valore, aut quantitate rei ablatæ, sed etiam spectatis circumstantiis tum personæ, cui ablata est, tum damni, quod injuste illatum est, tum etiam pravæ dispositionis illius, qui rem alienam abstulit. Ex quo fit, ut peccatum mortale committatur interdum rem modici valoris auferendo, si persona, cui surripitur, inops sit: Ut si quis viduæ Evangelicæ Christi Domini ore laudatæ duo illa minuta, quæ in gazophylacium misit, abstulisset, totum illius victum (ut idem Dominus loquitur Marci 12.) surripuisset. Item si quis rem modicam furetur, unde damnum aliquod notabile sequatur, ut si a sartore acum, a sutore subulam, a scriba calamum surripiat, qui ejusmodi instrumenta ad præstanda opera sua plurimorum dierum spatio reperire non possent: item si quis modicum quid furto acciperet, sed animo, & voluntate plura surripiendi: haud dubie in his, & similibus casibus modicus valor, & exigua quantitas ad peccatum mortale furti constituendum sufficere posset. Præterea vix est ullus conscientiæ utcunque timoratæ, qui si dimidiam, vel etiam tertiam partem aurei a quocunque furetur, se peccatum mortale committere non arbitretur. Unde videtur magis expedire, ut prudens Confessarius in hac furti materia, sive pro restitutione injungenda, sive pro pœnitente suo ab hoc peccato infami deterrendo, rigidiorem potius, quam laxiorem sententiam amplectatur, ut sapienter monet Lessius, c. 12. dub. 8.

4. Quæres 1. quid censendum sit de eo, qui plura modica furta committit.

mittit. Respondetur cum distinctione. Si enim per modica illa furta intendat conquirere notabilem aliquam quantitatem, peccat mortifere per illam pravam intentionem, & etiam per quodvis exterius furtum, licet modicum, quod ex illa intentione facit: si vero absque tali intentione, sed ex occasione solum res aliquas modicas diversis vicibus furetur, licet unaquaque vice in particulari non peccet nisi venialiter ob materiæ levitatem, ubi tamen res illæ simul junctæ constituunt quantitatem notabilem ad peccatum mortale sufficientem, tunc, si hoc advertat, resque illas injuste acceptas velit retinere, aut aliquam aliam, quæ quantitatem illam peccati mortalis compleat, denuo surripere, peccabit mortaliter, ut ex communi Doctorum consensu docet Lessius supra dub. 8. Qui etiam recte observat, moraliter loquendo, majorem quantitatem ad peccatum mortale requiri, quando quis valde dissitis temporum intervallis aliquid eidem subtrahit, quam si brevi tempore, aut simul accipiat: item majorem adhuc quantitatem requiri, quando quis a diversis modicas res furatur, quam si ab uno easdem res furetur, eo quod minus illi singuli lædantur, quam si aliquis solus totum illud damnum sustineret.

§. XI.

Quot modis peccetur contra hoc septimum Decalogi præceptum.

1. EX paragraphis præcedentibus satis constat, quam varii sint, & multiplices modi, quibus in hoc præceptum Divinū peccatur. Ac in primis peccant contra illud, qui rem alienam furantur, aut injuste detinent, vel furari, aut detinere injuste volunt, qui debita non solvunt, aut solvere nimis diu differunt, cum possint, præsertim si creditor dilationem illam moleste ferat, aut ex illa incommodum, aut damnum aliquod patiatur, qui cum violentia rem alienam rapiunt, qui metu injuste incusso, aut dolo aliquo alterum adigunt, ut contractui oneroso, atque damnoso subscribat.

Qui rem aliquam suam, vel sibi debitam apud alterum furtim surripiunt, quando illam commode alia ratione repetere possunt, præsertim si inde sequatur scandalum aliquod, aut damnum alterius, cui licet innocenti furtum illud fortasse imputabitur.

Qui promissionem alteri serio factam, & ab eo acceptatam in re notabili exequi nolunt; qui cum sint alterius hæredes, aut testamenti executores, illius debita, aut legata solvere non curant.

2. Qui damnum aliquod alteri deliberate inferunt, vel alterius damno cooperantur aliquo ex novem modis, quos memoriæ juvandæ causa Doctores duobus his versibus complexi sunt:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

1. *Jussione* filios, servos, aut alias personas sibi subditas ad furtum fa-

faciendum, aut damnum alteri inferendum compellendo, aut furtum factum, aut damnum illatum ratum habendo. 2. *Consilio*, alteri suadendo, vel promissionibus, aut precibus illum promovendo. 3. *Consensu*, injustæ alicui actioni consensum præbendo. 4. *Palpatione*, seu adulatione, ac ementitis laudibus alterum ad aliquid contra justitiam faciendum inducendo. 5. *Recursu*, offerendo, vel præbendo refugium iis, qui damnum injustum alteri intulerunt, eorum instrumenta occultando, aut furta receptando, & sic peccatum illorum fovendo. 6. *Participatione*, sive in actione furti, rapinæ, &c. sive in præda, & lucro inde obveniente. 7. *Silentio* seu omissione correctionis, aut inhibitionis ad furtum, aut damnum alterius impediendum necessariæ, si sit superior, vel recti, & æqui consilii, si consultor, vel debitæ vigilantiæ, & custodiæ, si custos existat. 8. *Non obstando* damno, quod injuste infertur, & minime faciendo, quo damnum impedire possit, præsertim si ad id ex officio teneatur. 9. *Non manifestando* malefactorem, cum ad id tenetur ex officio, sive ut damnum impediatur, antequam fiat, sive ut resarciatur, postquam factum est.

3. Peccant etiam contra hoc præceptum, qui rem aliquam emunt, quam sciunt, vel dubitant esse furtivam, ut sibi retineant; secus vero, ut eam vero domino restituant.

Qui res inventas, cum possint, vero domino non restituunt, vel diligentiam requisitam ad illum dignoscendum adhibere non curant.

Qui in emendo, aut vendendo dolo, vel fraude utuntur, qui rem aliquam notabiliter pluris vendunt, aut minoris emunt, quam valeat, qui rem defectuosam pro integra vendunt, nec illius defectum occultum emptori patefaciunt, qui in pondere, numero, aut mensura fraudem aliquam committunt, qui monopolium aliquod injuste faciunt, quando scilicet plures mercatores simul conspirant, ut merces omnes alicujus generis coemant, easque postea ultra justum pretium pro arbitratu suo vendant.

Qui servis, aut mercenariis stipendium debitum, aut mercedem detinent, aut absque ulla ratione solutionem notabiliter differunt, quod quidem peccatum adhuc gravius est, si ex illa dilatione damnum, aut incommodum aliquod notabile illis obveniat.

Peccant etiam, qui ad lucrum in ludis, vel sponsionibus faciendum fraude, vel dolo utuntur, qui res alienas ludo, & aleis exponunt, vel proprias, sed alendæ familiæ necessarias, qui alium minis, conviciis, fraude aliqua, &c. ad ludum pertrahunt, qui aleis, & similibus ludis Jure Civili prohibitis immodicam pecuniæ quantitatem exponunt. Denique contra hoc septimum præceptum peccant illi, qui ex mutuo usuras exigunt. Quæ, quoniam variis artibus ut plurimum teguntur, & palliantur, idcirco paulo fusius de illis agendum est.

§. XII.

Quibus modis usuræ peccatum committatur.

1. SUpponimus usuræ nomen juxta communem, & usitatam significationem sumi vel pro lucro usurario, quod ex mutuo provenit, vel pro actione, qua lucrum injuste acquiritur, seu pro contractu, in quo mutuum datur cum pacto expresso, vel tacito, aut saltem cum voluntate accipiendi a mutuatario ultra sortem principalem aliquid pretio æstimabile, tanquam debitum ratione ipsius mutui. Unde S. Aug. dixit in Psal. 36. *fænerari esse mutuam pecuniam tuam dare ei, a quo aliquid plus, quā dedisti, expectes accipere*. Ex quo intelligitur, usuram tripliciter committi posse, scilicet vel sola voluntate, & intentione, vel pacto explicito, vel implicito; unde consurgit usura mentalis, usura formalis, & usura palliata.

2. Est autem certum, quascunque usuras, & quovis modo fiant, esse illicitas, ac prohibitas. Id constat in primis ex Scriptura, Ps. 14. ubi postquam Propheta Regius dixit, *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* respondet, *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*. Ezech. 18. ubi Propheta declarans, quis vere justus dici possit, inter alias conditiones hanc apponit, *Si ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit*. S. Luc. 6. ubi Christus expressis verbis edixit, *Mutum date, nihil inde sperantes*. Quæ Christi Domini verba continent non modo consilium, ut scilicet mutuum detur ex mera charitate, & nihil inde ne gratuitum quidem speretur; sed etiam præceptum prohibitivum, ne quid ratione mutui exigatur tanquam ex justitia debitum. Quo sensu verba illa intellexit Urbanus III. c. *Consuluit*, extra de usuris, ubi, postquam quæstionem hanc sibi factam proposuit. *An ille in judicio animarum quasi usurarius debeat judicari, qui nō alias mutuo traditurus, eo proposito mutuū pecuniam credit, ut licet omni conventione cessante, plus tamen sorte recipiat*, &c. *item an negotiator pæna cōsimili debeat cōdemnari, qui merces suas lōge majori pretio distrahit, si ad solutionē faciendā prolixioris tēporis dilatio prorogetur, quam si ei in continenti pretiū persolvatur*, respondet: *Verum quia quid in his casibus tenendū sit, ex Evāgelio Lucæ manifeste cognoscitur, in quo dicitur, Date mutuum, nihil inde sperantes, hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent (Cum omnis usura, & superabundantia prohibeatur in lege) judicandi sunt male agere*. Id constat præterea ex capite, *Quia in omnibus*, ibidem, in quo prohibitum est, ne usurarii manifesti ad Communionem altaris admittantur, neve Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam. Et Clem. un. de usuris, in Concilio Viennensi decernitur, velut Hæreticum esse puniendum illum, qui pertinaciter affirmare præsumpserit, exercere usuras non esse peccatum.

Id

Id etiam hac ratione probat S. Doct. 2.2.q.98.a.1. quia illicitum est, ac injustum, ut pro eadem re duplex pretium exigatur, vel ut vendatur id, quod non est vendentis; atqui is, qui usuras exigit, duplex ejusdem rei pretium exigit, aut vendit id, quod non est suum. Vel enim usuras accipit pro pecunia, quam mutuo dedit, vel pro usu illius pecuniæ: si primum, duplex pretium ejusdem rei accipit, nempe summam sorti principali æqualem, & præterea usuræ fœnus; si secundum, vendit rē non suā. Cū enim per mutuum trāsferatur dominiū rei mutuatæ in mutuatariū, consequenter usus est illius, non vero mutuātis. Ex dictis concludes, peccatum usuræ committi, quotiescunque hæc duo simul concurrunt, verum scilicet mutuum, & pactum, vel propositum, seu intentio recipiendi aliquid pretio æstimabile, ultra sortem principalem, tanquam ratione mutui debitum. Ex qua regula dignosci possunt varii, & multiplices casus, in quibus aliquando usuræ peccatum incurritur, aliquando vero minime incurritur.

3. Atque in primis sequitur ex illa regula, usuræ peccatum in censibus minime reperiri, cum in illis non sit verum mutuum, sed potius species quædam venditionis, ut explicat Lessius lib. 2. c. 22. ubi etiam docet, & pluribus probat, non tantum census reales, sed etiam personales (qui hodie sunt in usu) esse licitos, nec (si modo nullus subsit fucus) usuram ullo pacto redolere. In illis siquidem venditur, & emitur, non usus pecuniæ, sed jus exigendi quotannis certam pecuniæ quantitatem, cujus pretium justum vel ex Principis lege, vel ex naturali æquitate dijudicandum est.

Sequitur 2. in Cambiis, si bona fide, & seclusa omni simulatione fiant, nullam inesse usuram. In reali enim, & legitimo Cambio non reperitur mutuum verum, sed permutatio pecuniæ pro pecunia, sive fiat localiter, seu, ut vulgo dicitur, per literas, quando v. g. datur pecunia Parisiis, ut tantundem Romæ reddatur, sive fiat simplex mutatio numismatum diversæ rationis, & speciei, ut aureorum cum argēteis, patriorum cum externis. In iis enim permutationibus, sive ratione translationis, & assecurationis pecuniæ, ut in cambiis localibus, sive ratione officii Cāpsoris Regia, aut publica auctoritate cōstituti, ut in cābiis simplicibus, sive ob alias quasdā rationabiles causas, quæ in cambiis occurrunt (de quibus fuse Lessius agit c.23. dub. 2.) lucrū aliquod moderatum licite accipi potest, quod cum non accipiatur ratione mutui, ad usuram minime pertinere dignoscitur. Si vero in illis propter solam dilationem solutionis aliquid exigeretur, cābiū illud esset usurarium. Tunc autem cēsetur in cambio lucrum ob solā dilationem accipi, quando pecunia solvitur cum augmento in eodē loco, in quo accepta fuit, ob fictam illius in alium locum translationē.

4. Sequitur 3. neque etiam in ipso mutuo committi usuram, si non ratione mutui, sed aliqua alia de causa lucrum aliquod ultra sortem accipiatur. Duæ autem ejusmodi causæ a Doctoribus præcipue assignan-

gnantur. Prima est ratione damni emergẽtis, ut docet S. Th. supra art. 1. ad 1. Si enim mutuans damnum aliquod, aut incommodum pretio æstimabile in rebus suis patiatur ratione mutui, potest licite damni illius cõpensationẽ aliquã a mutuatario accipere. Secunda est ratione lucri cessantis. Quamvis enim quidam Doctores id negent, Joannes Major tamen, Medina, Cajetanus, Lessius, & plures alii, quos citat, & sequitur Laymannus l. 3. de just. tract. 4. c. 16. supr. id licitum esse docent, dummodo, ut monet Navarrus c. 11. n. 211. & commẽtario de usuris num. 43. omnis dolus, & fraus, aut usuræ palliatio absit. Observat autẽ recte Lessius, ut hæc pactio licita sit, requiri, ut mutuatio sit vere causa lucri cessantis, v. g. si quis mutuet alteri pecuniam, quam habet proxime destinatam negotiationi, aut emptioni rei frugiferæ: item ut compensatio lucri illius cessantis non ad æqualitatem, sed ex æquo, & bono secundum viri prudentis, & pii judicium fiat, deducta æstimatione laborum, & expensarum, & etiam periculi, quod lucri illius faciendi causa subeundum fuisset.

5. Addunt aliqui tertiam causam, ob quam in mutuo ultra sortem aliquid accipi possit, scilicet ratione periculi, cui pecunia mutuata interdum exponitur, ut si quis mutuum det homini decoctori, aut dubiæ fidei, vel a quo non nisi difficulter, & cum multis fortasse expensis pecunia mutuo data recipi poterit: docentque, periculum illud, ac expensarum, & difficultatum metum esse quid pretio æstimabile. Ita Sylvest. Medina, Corduba, & alii, quos citat, & sequitur Lessius sup. dub. 13. quorum sententia licet probabilis videatur, contraria tamen, quæ lucrum hujusmodi illicitum esse asserit, quamque Navarrus c. 23. nu. 81. amplectitur, asseritque, esse communem Theologorum, & Canonistarum, probabilior videtur, & in praxi tutior, ea præsertim ratione, quod quamvis prior illa sententia pluribus rationibus, quas affert Lessius, niti videatur, in praxi tamen (quod maxime attendere debent Confessarii) sit periculosa, & usuris facilem aditum præbeat. Quis enim in quacunque mutui dandi occasione non deprehendat varias timendi causas, ne pecunia mutuata periclitetur, neve in illius recuperatione difficultates aliquæ subeundæ sint, aut expensæ faciendæ, sicque possit semper obtendere quasdam rationes lucri ultra sortem principalem accipiendi?

Ex eadẽ regula infertur, contraria ratione plurimos contractus esse usurarios, qui prima specie tales esse minime videñtur, quales sũt illi, in quibus ratione mutui exigitur a mutuatario ultra sortẽ principalem, non quidem pecunia, sed aliquid aliud pretio æstimabile, quodcũque tandem illud sit: verbi gratia, si quis mutuo det pecunias alteri, ut domum ejus viliori pretio conducat, ut ab illo munus aliquod, vel obsequium a lingua, vel a manu accipiat, ut satisfactionẽ aliquã ex justitia, ratione injuriæ debitam, ipsi remittat, &c. Ista enim, & similia sunt pretio æstimabilia, proindeque ratione mutui accipi, aut inten-

intendi sine labe usuræ non possunt. Quare diligenter, & attente perpendendum est, quoties in mutuo conditio aliqua onerosa mutuatario imponitur, an sit pretio æstimabilis, & an ratione mutui apponatur; quia in ejusmodi appositione usura deprehenditur.

§. XIII.

Solvuntur quædam dubia circa usuræ materiam frequentius occurrentia.

1. PRimum est, an liceat dare mutuum ea conditione, ut si mutuatarius termino constituto non reddat mutuum, in pœnam dilationis aliquid ultra sortem principalem solvat Respondetur juxta sententiam Sylvestri, Medinæ, Navarri, & aliorum apud Lessium dub. 15. id licitum esse, dummodo tamen nulla fraus, aut intentio usuraria subsit; alias, si mutuans lucrum illud principaliter intendat, & terminum aliquem brevem mutuatario præscribat, eo solum fine, ut causam aliquam lucri ex mutuo captandi prætexere possit, usuram haud dubie committit. Quod etiam de illo dicendum videtur, qui principaliter intendens ex mutuo lucrum, nullam quidem pœnā conventionalem apponit, sed cum mutuatario convenit, ut termino aliquo brevissimo, quem illi ad solvendum præscribit, elapso, eum coram Judice pro mutui solutione citet, ut sic a die primæ citationis ad solvendum interesse, ut vocant, sententia Judicis pro pecunia mutuata obligetur. In hoc enim casu, & aliis similibus cōmittitur usura mentalis, cū ipsius mutuantis intentio primo, & principaliter in lucrum ex mutuo sola mutui ratione percipiendū feratur.

2. Secundum est utrum liceat creditori pignus aliquod frugiferum accipere in assecurationem debitorum, & ex illo, donec debita solvantur, fructus percipere, e. g. fundum aliquē frugiferum, puta hortum, pratum, &c. ex quo fructus aliquos annuatim colligat, donec mutuatarius ei debitum restituat. Respondetur, posse quidem ejusmodi pignus percipere, sed teneri fructus collectos in sortem principalem sibi debitam computare, ut docet Navar. & alii apud Lessiū dub. 19. Ratio est, quia ejusmodi fructus nullo alio, quam mutui, titulo sibi retinere potest; atqui, ut jam dictum est, sola mutui ratione lucrum nullum, nullique proinde fructus licite accipi possunt.

Excipitur communiter unus casus, qui habetur capite *Salubriter*, de usuris, ubi Innoc. III. decernit, *generum ad fructus possessionum, quæ sibi a socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ, in sortem computandos non esse obligandum*: quod æquissime a Pontifice constitutum est, non ratione mutui, quo socer erga generum obligatur, sed ratione damni emergentis propter onera matrimonii sustinenda, quibus gener titulo promissæ dotis, & tamen nondū solutæ obstringitur.

Addit etiam Navar. c. 17. n 217. si feudatarius debeat aliquid domino

no directo, eique in pignus tradat feudum, item si Emphyteuta simili ratione oppignoret domino directo rẽ Emphyteuticā, quod in utroq; illo casu dominus directus feudi, vel rei Emphyteuticæ potest illius fructus sibi retinere, nec illos in sortem principalem computare tenetur, idque non ratione mutui, sed ne res apud dominum directum existens fructificet alteri, quod rationi consentaneū minime videtur.

3. Tertium est, utrum licitum sit inire societatem cum altero, ex conditione, ut salvo capitali, lucrum aliquod certum quotannis accipiatur. Ut huic difficultati, quæ hactenus difficillima etiam doctissimis Theologis visa est, lucem aliquam afferamus, supponimus, hunc societatis modum tribus communiter contractibus perfici.

Primus contractus est, quo quis præsentes habens pecunias, societatem init cum viro industrio, puta cum mercatore, easque illi credit ad lucrum ex illius in negotiando industria, laboreque suo comparandum, ea conditione, ut sicut cum illo lucri obvenientis particeps esse intendit, sic etiam damni partem sustineat, si quod in illa negotiatione ferendum sit. Secundus contractus est, quo cum mercatore illo paciscitur, aliquam lucri sibi obventuri partem illi cedendo, ut assecuret sibi summam illam principalem illi collatam, ita ut quocunque eventu salva sibi, & integra remaneat. Tertius denique est, quo ad suspiciones tollendas, & evitandas molestias reddendarum rationum, cum eodem rursus convenit, ut certum aliquod lucrum annuum sibi assecuret, minus tamen illo, quod ei verisimiliter ex ejusmodi negotiatione obvenire posset.

4. Cum igitur hi tres contractus seorsim licite fieri posse videantur, quæritur, an etiam conjunctim cum uno, eodemque licite possint iniri.

Multi graves, & magni nominis Theologi id licite fieri posse asserunt, quorum antesignanus fuit olim Joannes Major almæ Facultatis Parisiensis Doctor celeberrimus in 4. Sent. dist. 15. q. 49. cui postea subscripserunt Gabr. Sylvest. Angel. Navar. Covar. Tolet. & plures alii, quos cit. & sequitur Lessius c. 25. dub. 3. & nuperrime Ludovicus Bailljus Propœnitentiarius Parisiensis in triplici examine titulo de examine pœnitent. q. 70. & Raymundus Bonaldus in cursu Theologiæ Moralis auctoritate Illustrissimi Archiepiscopi Tolosani recenter edito tom. 1. tract. 16. lect. 26.

E contra Cajetanus, Sotus, & plures alii non minus eruditi Theologi tres illos contractus conjunctim factos omnino repudiant, & plane usurarios esse contendunt.

Quamvis in quæstione adeo ancipiti, atque perplexa nobis præstaret silere potius, quam eloqui; ne tamen lectorem dubium, & incertum relinquamus, tria hic breviter dicimus.

5. Primum est, posse salva fide in utranque partem super hac quæstione disputari, quod satis cōstat ex eo, quod tot, & tā magni nomi-

nis

nis Theologi, tam veteres, quam recentiores, quæstionis circa præfatos contractus propositæ partem alii negativam, alii affirmativam amplectuntur, & propugnant, quod procul dubio minime facerent, si salva fide facere non liceret. Neque enim Bulla Xysti V. quæ incipit *Detestabilis avaritiæ*, tres illos contractus condemnat, prout supra explicati sunt, ut fuse ostendit Lessius supr. Unde etiam, ut idem Auctor observat, post Bullam illam publicatam Toletus, & alii Doctores Romæ tres illos contractus licitos esse publice docuerunt, & scriptis ediderunt, quod haud dubie non fecissent, si id prohibitum fuisset. Atque, dum nihil adhuc super aliqua quæstione definitum expresse ab Ecclesia fuerit, nullus temerario, aut præcipiti zelo condemnandus est. Unde merito Joannes Gerson lib. de vita spirit. an. lection. 4. Theologos omnes admonet: *Ne faciles sint asserere, actiones aliquas, aut omissiones esse peccata mortalia, præsertim sub verbo universali, & dum prædicandum erit ad populum*. Additque se a litterato quodam, & experto viro didicisse: *Perniciosam esse in omni arte, vel doctrina assertionem audacem, & extremam, maxime ubi observatio communis obnititur, obviatque, & nunquam quemlibet oblivisci debere, quam incerta sit scientia nostra, ita ut sæpe idem homo brevi momento temporis nunc in hanc, nunc in oppositam feratur sententiam*. Et subjungit, *fieri quandoque ut per tales assertiones publicas nimis duras, & strictas, præsertim in non certissimis, nequaquam eruantur homines a luto peccatorum, sed in illud eo profundius, quo desperatius, immergantur*.

6. Secundum est, præfatum contractum societatis ex tribus aliis supra explicatis conflatum, quamvis speculative loquendo videatur inniti rationibus aliquibus probabilibus, in praxi tamen doctis quibusdam, & piis viris merito videri suspectum. Primo, propter periculum pravæ, & usurariæ intentionis, quæ illi ut plurimum subesse potest. Quotus enim quisque est hodie inter homines, qui in ejusmodi negotiatione hoc primum, & solum sincere coram Deo intendat, scilicet societatem inire cum mercatore, & cum illo de lucro, ac damno periclitari, posteaque perspecto ejusdem mercatoris animo, illi potius, quam sibi gratum aliquid præstare cupiens, de capitalis sui, ac lucri certi assecuratione, abstrahendo semper ab omni usurario affectu, cum illo paciscatur? quis non videat, quam lubrica sint ista, & quam dubius, & incertus in ejusmodi angustiis justitiæ limes, a quo si vel minimum deflectas, in horrendum usurarum, fraudum, & cujusvis injustitiæ barathrum delabaris? Deinde quis non perspiciat, ejusmodi societatis contractum omnibus aliis contractibus usurariis aditum non modo patefacere, sed etiam præmunire? Quamvis enim non jam mercatori, aut industrio viro, sed pauperi, & egestate laboranti pecunia mutuo detur; nullus est, qui, si ex illo mutuo lucrum, id est usuram, accipere velit, obtendere non possit causam

lucri cessantis, ac dicere, se ad contractum dictæ societatis cum alio mercatore ineundum semper paratum esse.

Tertium denique est, quod, quamvis ob rationes allatas longe tutius sit ab his, & similibus lucris, & negotiationibus, quæ usuram utcunque redolent, abstinere; si tamen aliquis bona fide, & virorum aliquorum piorum, & doctorum consilio fultus, præfatos contractus, aut alios similes ineat, non ideo præcipiti judicio damnandus, aut a tribunali Pœnitentiæ arcendus est, sed aliquando consultissimum erit, si aliud ei suaderi non possit, illum in bona fide relinquere, ac dummodo dispositiones aliæ necessariæ non desint, illi beneficium absolutionis impertiri, præsertim in iis casibus, in quibus sine scandalo, aut salutis periculo denegari non potest.

§. XIV.

De restitutione ob violationem hujus septimi præcepti facienda.

1. Restitutionis nomine intelligitur actus justitiæ commutativæ, quo res alterius, quæ juste retineri non potest, eidem restituitur, vel damnum injuste illatum compensatur. Hanc autem ad salutem esse necessariam, constat ex S. Doct. & communi Theologorum omnium consensu, quibus suffragatur S. Aug. Epist. 54. ad Macedonium, ubi sic loquitur: *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non reddatur, pœnitentia non agitur, sed simulatur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si (ut dictum est) restitui possit.*

2. Est autem restitutio ita necessaria, ut non modo non possit absolvi, qui alienum injuste retinet, nec illud vult restituere, sed etiam (ut recte docet, & probat Lessius lib. 5. dub. 1.) continuo actu peccet toto eo tempore, quo non restituit, si id possit, non quidem addendo novum peccatum, sed idem injustitiæ peccatum continuando, quod ea ratione singulis momentis crescit, tum ratione diuturnioris durationis, tum etiam ratione majoris nocumenti, quod per illam injustam rei alienæ detentionem diutius continuatam ejus domino infert. Unde Confessarius non modo non debet absolvere illum, qui restituere non vult, cum tenetur, & potest, sed etiam illum, qui restituere neglexit, quando commode potuit, nisi prius actu restituat, aut ita serio id promittat, ut Confessarius verbis illius fidem merito adhibere possit: alias cum in statu peccati remaneat, incapax est absolutionis.

Ex variis autem, & multis, quæ circa restitutionis materiam disputari a Theologis solent, nos præcipua, & scitu maxime necessaria selegimus, majorisque facilitatis gratia, propositis aliquot quæstiunculis, explicabimus.

QUÆ-

QUÆSTIUNCULA I.

Quisnam restituere teneatur.

1. AD restitutionem faciendam obligatur primo is, qui injuste rem alienam accepit, vel qui injuste alteri damnum intulit, idque non modo cum per se, sed etiam cum per alios, sive directe, sive indirecte id præstitit: quod S. Th. q. 62. art. 6. & 7. docet posse fieri novem modis supra §. 11. citatis.

Circa quos recte observat Valentia disp. 5. q. 6. de restit. pun. 3. duo requiri ad restitutionis obligationem inducendam. 1. ut effectu ipso res aliena fuerit injuste ablata, aut damnum injuste illatum. 2. ut quis causam injustæ illius ablationis, aut damnificationis vere dederit, sive directe jussione, consilio, consensu, adulatione, recursu, participatione alium ad id ita inducendo, ut re ipsa propter hujusmodi jussionem, consilium, &c. res aliena fuerit injuste ablata, aut damnum illatum: sive indirecte, non obstando, ac impediendo, quando scilicet ad id ex officio, & justitia tenebatur, ut docet S. Th. sup. a. 7. ad 3.

Quod si plures simul concurrant ad unam, & eandem injustam actionem, ut ad spoliandam, vel incendendam domum, tunc quilibet illorum tenetur in solidum ad totius damni compensationem, quia (ut ex Cajet. & aliis adnotat Valentia) quilibet tunc est causa totius damni, quamvis non solus. Qui enim una cum alio aliquid efficit, vere illud efficere censetur.

Quod si unus illorum damnum illatum resarciret, non amplius obligarentur alii ad restitutionem erga illum, qui damnum passus est, sed unusquisque teneretur refundere pro rata sua parte ei, qui totum damnum compensavit, ut docet S. Thom. supra ad 2.

2. Obligatur 2. ad restitutionem is, qui rem injuste acceptam apud se habet, sive bona fide, sive mala illam habeat. E. g. si quis equum furto ablatum emat a fure, sciens ejusmodi equum esse furtivum, dicitur mala fide possidere; si autem nesciat esse furtivum, nec ejus venditorem esse furem, tunc bona fide possidere dicitur. Et utrovis modo possideat, tenetur semper rem alienam vero domino restituere, cum hac tamen differentia, quod malæ fidei possessor, quomodocunque pereat res illa, quam mala fide possidet, teneatur non solum eam vero domino restituere, sed etiam omne damnum, quod ex mora restitutionis sequitur, compensare; at vero possessor bonæ fidei teneatur tantum ad restitutionem rei, si adhuc illam habeat, quando alterius esse deprehendit, non vero, si stante bona fide res illa periit, aut in ejus potestate esse desiit, & ad ea solummodo restituenda, in quibus factus est ditior, idest ad ea, quæ habet ultra id, quod habiturus fuisset, si rem illam non habuisset. Quod si postquam deprehendit rem, quam bona fide possidet, esse alie-

alienam, illam vero domino restituere negligat; tunc, si res pereat, tenetur ad restitutionem, sicut de malæ fidei possessore dictum est, eo quod amplius eam bona fide non possideat. Ita Toletus l. 5. c. 17. Præterea qui bona fide rem alienam possidet, potest illam præscribere, id est si toto tempore ad præscriptionem a jure præfinito bona fide illam possideat, amplius illam restituere non tenebitur: at vero malæ fidei possessor nullo tempore præscribere potest, ut docet idem Toletus, & ex ante dictis constat.

3. Obligatur denique ad restitutionem is, qui rem alienam apud se justo quidem titulo habet, sed eam juste contra domini voluntatem diutius retinere non potest. Et hac ratione, quicunque habet apud se rem commodatam, locatam, vel depositam, elapso tempore præfixo, illam invito domino retinere non potest, sed illi tenetur restituere, ut ex communi Theologorum sententia docet Toletus supr. Similiter qui mutuum accepit, termino constituto, illud solvere tenetur, alias invito domino rem illius detinere, si restituere possit, est illicitum. Unde qui sine ulla ratione diuturnas trahunt moras in solvendis debitis, aut in reddendis rebus alienis, quas apud se habent, haud dubie contra justitiam peccant; præsertim si illi, ad quos pertinent, dilationem solutionis, aut restitutionis inviti ferant, aut ex illa damnum patiantur.

QUÆSTIUNCULA II.

Cui sit restituendum.

1. SAnctus Doctor supr. a. 5. dicit, restitutionem illi ipsi faciendam esse, a quo res accepta est, vel cui damnum illatum est, & si ille mortuus sit, ejus hæredibus. Quod si rei illius dominus, aut ejus hæredes ignoti sint, nec lapsu temporis possint deprehendi, tunc Christo Domino (*quem*, ut ait Apostolus Heb. 1. *Deus constituit hæredem universorum*) in membris suis, id est pauperibus, secundum mentem S. Doctoris, debet fieri restitutio: & si is, qui ad illam tenetur, pauper sit, poterit de consilio Pastoris, aut Confessarii partem rei restituendæ, vel etiam totam illam sibi applicare, vel ex ejusdem consilio erogare Ecclesiæ, aliisque piis locis, ut ex communi Theologorum doctrina docet Navarrus cap. 17. num. 93.

2. Dubitant autem Theologi, utrum qui rem emit a fure, teneatur eam vero domino restituere, etiam cum dispendio pretii, quo illam emit, & utrum licitum sit illi ad recuperandum pretium datum, illā furi restituere. Navarrus supra respondet cum distinctione, asseritque illum, qui bona fide rem ejusmodi emit a fure, posse illi reddere, ut pretium suum recuperet; illum vero, qui mala fide, id non posse, sed ad restituendum vero domino teneri. Verum Alexander Alensis, & Sylvester, quos citat, & sequitur Toletus supra, probabilius existimāt,

utri-

utrique id licitum esse, si fiat non ex animo verum dominum re sua fraudandi, sed pretium a se datum recuperandi.

QUÆSTIUNCULA III.
Quid, quando, & quo ordine sit restituendum.

1. Docet S. Th. q. 63. a. 2. id, quod injuste ablatum est, necessario esse restituendum, id est, rem eandem, quæ alterius est, & invito illo juste retineri non potest, ipsi esse reddendam. Nec satisfaceret is, qui solum illius valorem daret, ut observat Toletus supra c. 22. nisi in tribus casibus. Primus est, cum res deperdita est, vel non est amplius in potestate illius, qui restituere tenetur. Tunc enim sufficit rei valorem reddere. Secundus est, cum res accepta deterior facta est. Tunc enim vel illius valor reddendus est, aut illius defectus, vel diminutio supplenda, prout dominus elegerit. Possessor tamen bonæ fidei, sicut de amissione rei, quam bona fide possedit, sic etiam de illius imminutione, aut in deterius commutatione respondere non tenetur. Tertius casus est, si ex ejusmodi rei restitutione fama restituentis periclitaretur, aut aliquod notabile damnum ipsi timeretur. Tunc enim sufficit illius valorem reddere.

Qui autem injuste damnum aliquod intulit, tenetur illud compensare secundum æstimationem viri prudentis. Unde qui animal aliquod in tenera ætate occidit, vel novellas arborum plantationes eradicavit, tenetur restituere, non quantum res illæ in perfecta ætate valituræ forent; sed quantum illarum damnum a viris prudentibus hic, & nunc æstimabitur.

2. Quod spectat ad tempus, docet idem S. Thomas, restitutionem rei alienæ, quæ injuste ablata est, aut mala fide possidetur, statim, si possibile sit, esse faciendam: & recte observat Toletus supra c. 24. universim loquendo, cujuscunque rei alienæ, quocunque titulo apud alterum sit, restitutionem, ubi primum commode fieri potest, esse faciendam, quando illius dominus est rationabiliter invitus, nec ullam vult ferre dilationem, alias, si invito domino retineatur, contra hoc præceptum peccabitur.

Excipe tamen, si restitutio non nisi cum summa difficultate, aut notabili restituentis detrimento fieri possit. Tunc enim, ut docet Toletus supra, si is, cui facienda est, nullum detrimentum patitur, per aliquod tempus poterit differri: item si is, cui restitutio facienda est, expresse, vel tacite in illius dilationem consentiat, vel eam non multum ægre ferat. Secus vero, si repetat debitum, urgeatque debitorem, vel quamvis urgere illum præ aliquo illius metu non audeat, sciat tamen debitor, illum invito animo ferre hanc dilationem; tunc haud dubie peccabit, si debitum non re-

stituat, cum possit. In quo aliqui interdum graviter contra justitiam peccant, qui notabilem aliquam summam operariis artificibus, aut mercatoribus debentes, per diuturnum aliquod tempus solvere debita non curant, quamvis commode possint, multasque alias inutiles, ac superfluas expensas, & aliquando etiam eleemosynas, ac largitiones pias, ac inordinatas, neglectis creditoribus, faciunt.

3. Quod spectat denique ad restitutionis ordinem, si debitor habeat in bonis tantum, quantum satis est ad hoc, ut creditoribus omnibus satisfaciat, nullus certus ordo in restitutione necessarius est, dummodo, prout tenetur, omnibus satisfaciat. Quod si bona ejus minime sufficiant, communis Theologorum sententia est, debita certa prius solvenda esse, quam incerta, & ex debitis certis prius reddenda esse illa, quæ extant, quorum dominium mansit penes creditorem. ut deposita, commodata, locata, &c. ex debitis autem certis, quæ non extant, prius solvenda illa esse, quæ privilegiata vocantur, ut est dos uxoris, &c. exinde illa, quæ sunt antiquiora, nam (ut habet regula juris) *qui prior est tempore, potior est jure*. Quæ tamen regula exceptionem aliquam recipere potest, ut si creditorum aliquis gravem necessitatem patiatur. Tunc enim charitatis ordo videtur postulare, ut illi prius, quam aliis solutio debiti fiat. Quæ omnia fusius explicata, & probata apud Gregorium a Valentia disp. 5. q. 6. de rest. part. 10. videri possunt.

QUÆSTIUNCULA IV.

Quænam causæ a restitutione excusent.

1. PRima est creditoris remissio, ac debiti condonatio, quæ tamen, ut valide excuset, debet esse omnino libera, neque fraude, vel metu extorta. Ita Lessius lib. 2. cap. 16. dub. 2.

Secunda est cessio bonorum, quæ tamen, ut recte monet Navarrus c. 17. dub. 86. non excusat in foro conscientiæ, nisi ratione necessitatis: imo non magis excusat, quam ipsa necessitas sine cessione excusaret. Unde si is, qui bonis cessit, ad pinguiorem postea fortunam redeat, tenebitur integre debitoribus satisfacere.

Tertia est inopia, seu necessitas, cum scilicet quis aut nullo modo habet, unde restituat, aut si aliquid habet, quod restituat, eo tamen indiget ad sublevandam suam necessitatem, vel extremam (de qua omnes conveniunt) vel etiam gravem, ita ut si restituat, status sui decentiam nulla ratione conservare possit, dummodo tamen status ille sit honeste, & juste acquisitus, & creditor non æque gravi necessitate urgeatur. Ita S. Antoninus, Navarrus, Sotus, & plures alii apud Valentiam supra pun. 7. Quod si utriusque necessitas esset extrema, posset debitor sibi potius, quam creditori consule-

sulere, ut iidem Doctores sentiunt. In extrema enim necessitate qualiscunque res desinit esse alicujus propria, & fit communis.

Quarta denique causa excusans a restitutione est damnum grave, quod debitor in rebus propriis incurreret, ut in vita, libertate, fama, vel distractione possessionum suarum vili pretio facienda, dummodo tamen creditor simile damnum non patiatur. Ita præfati Auctores, qui recte observant, in proposito subjecto non esse reputandum magnum damnum, quod quis multum debens carebit magna pecuniæ summa, si debitum reddat, vel magno lucro, quod ex ea pecunia posset acquirere, neque etiam cujuscunque famæ jacturam excusare a restitutione, sed tantummodo illius, quæ viri prudentis, ac pii judicio, consideratis omnibus circumstantiis, pluris æstimanda censeretur, quam commodum, quod ipsa restitutio afferret creditori.

SECTIO VIII.

Explicatur octavum Decalogi Præceptum.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

1. HOc præcepto prohibetur non solum injustitia, quæ per falsum testimonium, aut alia quavis ratione in judicialibus actibus contra proximum committitur, sed etiam ea, quæ extra judiciales actus per detractionem, contumeliam, judicium temerarium eidem proximo irrogatur, ut explicant Navar. cap. 18. n. 1. Bonac. in præf. disp. 10. de hoc Decalogi præcepto, & plures alii Theologi. Quæ quidem injustitia, quoniam ut plurimum cum mendacio solet conjungi, idcirco primum de illo agemus, tum de injustitia, quæ in actibus judicialibus tam ex parte Judicis, quam accusatoris, testis, & Rei committi potest, ac demum de aliis injuriis, quæ extra judicium proximo per detractiones, contumelias, & judicia temeraria inferuntur.

§. I.

De Mendacio.

1. MEndacium (ut docet S. Aug. lib. 1. contra mendacium, c. 41.) *est Enuntiatio falsa cum voluntate ad fallendum prolata*: & c. 22. Enchiridii dicit, quod *ille mentitur, qui contra id, quod animo sentit, loquitur, voluntate fallendi*. Unde secundum ejus mentem duo ad rationem mendacii requiruntur; scilicet voluntas fallendi, seu falsum enuntiandi, & locutio, seu enuntiatio, vel significatio aliqua exterior mentis judicio contraria.

B b 2 Fuit

Fuit autem sententia quorundam antiquorum (ut videre est apud Cassian. Coll. 17. c. 8.) mendacium aliquando non modo licitum, sed etiam necessarium esse, *Illoque utendum esse tanquam helleboro, quod sumitur imminente aliquo exitiali morbo*. Verum hæc sententia, tanquam erronea, & sacræ Scripturæ contraria, refutata est a S. August. lib. 1. contra mendacium c. 5. & seq. & ab Innocentio III. c. *Super* de usura, ubi dicit, *Scripturam sacram prohibere, ne quis etiam pro alterius vita servanda mentiatur*.

2. Ex quo sequitur, omne mendacium esse intrinsece malum, ac proinde peccatum, quando formalis ratio mendacii in eo reperitur. Duplex est enim falsitas (ut recte observat S. Doct. 2. 2. q. 110. art. 5.) alia materialis solummodo, quam dicit esse *præter intentionem loquentis*, quando scilicet aliquis falsum dicit, putans esse verum, *qui* (ut ait S. Aug c. 18. Enchir.) *judicandus non est mentiri, quoniam, quantum in ipso est, non fallit ille, sed fallitur*. Alia vero formalis, quando quis ex intentione fallendi, aliquid tanquam verum asseverat, quod existimat esse falsum, sive id re vera falsum sit, sive contra ejus opinionem verum existat, quia, ut dicit S. Doct. quidquid sit de re illa, quam asseverat; etiamsi de facto vera sit, *actus ejus, in quantum est voluntarius, & moralis, habet per se falsitatem, & per accidens veritatem*. Docet autem idem S. Th. mendacium esse aliquando mortale peccatum, aliquando vero veniale: mortale quidem, quando charitati adversatur, quod dupliciter contingere potest, uno modo secundum se, quando ex falsa significatione grave aliquod præjudicium in Divinum honorem derivatur, vel grave aliquod nocumentum proximo infertur: alio modo secundum finem intentum, quando scilicet in aliquem pravum finem dirigitur, v. g. si quis mentiatur, ut proximi famam graviter lædat, vel ut notabile aliquod damnum ejus fortunis inferat: & utroque isto modo dicitur mendacium perniciosum.

Veniale autem, quando ex ratione sui, aut finis intenti, neque Dei, neque proximi charitati contrariatur; quod S. Doctor supra contingere ait dupliciter, scilicet in mendacio jocoso, in quo levis aliqua delectatio intenditur, & in mendacio officioso, in quo utilitas aliqua proximi spectatur. Quod etiam docuit sup. S. Aug. his verbis: *Duo sunt genera mendaciorum, in quibus non est magna culpa, sed tamen non sunt sine culpa, cum aut jocamur, aut proximo consulendo mentimur*.

Monet tamen recte supra S. Doct. mendacium ejusmodi jocosum, vel officiosum, licet ex se non sit nisi veniale, posse per accidens fieri mortale, ratione scandali, quod causare potest, ut si quis Religiosus, sive vir Deo sacer coram aliis mendacium jocosum tale proferat, ex quo aliqui desumant gravis scandali occasionem.

§. II.

§. II.

De iis, quæ ad processum judicialem spectant, ac primo de Judice.

1. QUatuor sunt præcipuæ conditiones ad hoc requisitæ, ut quis officio Judicis rite fungatur, de quibus agit S. Doct. qu. 67. art. 1. & seq.

Prima est, ut habeat legitimam judicandi potestatem, quæ quadruplex est, ut observat Toletus l. 5. c. 56. una ordinaria, quæ ipsi competit ratione officii, altera delegata, quæ est ex commissione Ordinarii; tertia arbitraria, qualis est ejus, qui ex consensu partium in Judicem eligitur; quarta denique accessoria, quam quis habet in eum, qui licet sibi subditus non sit, delictum tamen commisit intra limites suæ jurisdictionis. Qui autem absque potestate legitima se in officium Judicis ingerit, mortalis peccati reatum incurrit, & obligatur ad restitutionem damni, si quod ex illius illegitimæ potestatis usu sequatur, ut docet Toletus ibid.

Secunda conditio est, ut judicet secundum veritatem, quæ, ut declarat S. Doct. sup. innotescit illi, tam in generali per leges Divinas, ac humanas, quas idcirco optime callere debet, ne si earum laboret ignorantia (quæ in illo nullatenus excusari potest) aliquid decernat ipsis legibus contrarium, ac proinde iniquum, quam in particulari per instrumenta, testes, aliaque similia documenta, quæ (ut mónet ibidem S. Doctor) sequi magis in judicando debet, quam id, quod ipse tanquam privata persona novit, ex quo tamen juvari potest ad probationes inductas accuratius discutiendas, ut possit earum defectum investigare.

2. Est autem controversum inter Theologos, an Judex teneatur secundum allegata, & probata ferre sententiam, ita ut condemnare debeat illum, quē ex privata scientia certo scit esse innocentem. Variæ sunt super hac re illorum sententiæ. Alii siquidem existimant, nunquam licere Judici, ne in causis quidem civilibus, contra veritatem sibi etiam prius privatim notam judicare, alii ad solas criminales causas id restringunt, alii vero e contra in omnibus tam civilibus, quam criminalibus Judicem probationes publicas sequi debere asserunt: quorum sententia cæteris probabilior eo præsertim nomine censeri debet, quod illi S. Doct. aperte subscribit sup. ar. 2. & post illū plurimi alii magni nominis Theologi, quos citat, & sequitur Valentia disp. 5. q. 11. de jud. pun. 2. quibus accedit auctoritas S. Ambr. qui super illa Ps. 118. verba, *Miserationes tuæ multæ nimis*, sic loquitur: *Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, sed juxta leges, & jura pronuntiat, statutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum, & meditatum domo refert, sed sicut audit, ita judicat.*

Quid igitur, dicet aliquis, faciet Judex in eo casu, in quo cer-

noscit, innocentem aliquem falso accusari, & falsis testimoniis, ac probationibus de crimine aliquo convinci? Respondetur, in tali casu Judicem teneri ad faciendum quidquid potest citra populi scandalum, ut sententia contra innocentem non feratur, v. g. impediendo accusationem, protrahendo judicium, aperiendo carceres, testes ipsos per varia intervalla pluries interrogando, ab iisque separatim circunstantias loci, temporis, personarum strictius inquirendo, ut ex illa inquisitione testimonium illorum falsitatis convincere possit. Quod si hæc, & similia ad innocentis justificationem nihil proficiant, sicut non potest ipsum innocentem absolvere, quandiu is secundum publicas probationes nocens apparet, sic etiam illum, quantumvis probationibus illis convictum, morti adjudicare, aut condemnare nunquam debet, si ejus innocentiam privatim perspectam habeat. Quare vel causam remittere debet ad Judicem superiorem, si ipse sit inferior, ac deposita Judicis persona, officium testis assumere apud illum, si hac ratione putet innocentem posse liberari, vel quavis alia ratione ab hoc judicio abstinere, imo etiam potius officium Judicis dimittere, quam innocentis condemnationi subscribere; cum vitam innocenti adimere sit intrinsece malum, quod proinde nunquam facere licitum est. Ita Panormitanus, Hostiensis, & plures alii, quos citat, & sequitur Lessius cap. 29. dub. 10.

3. Tertia conditio est, ut in judicando formam a jure, & legibus præscriptam servet. Ac in civilibus quidē causis procedere non solet, nisi postulatus; quin & tunc operam dare debet, ut si fieri possit, partes ad concordiam revocentur. Qua ratione l. *Quidam*, ff. de rebus creditis dicitur, quod *ad officium Judicis pertinet lites diminuere*.

In criminalibus autem causis duobus modis procedere potest, vel ad petitionem partis, seu instantiam accusatoris, ut §. seq dicetur, vel deficiente accusatore, per viam inquisitionis. Quamvis autem (ut ex communi Theologorum sententia docet Lessius sup. dub 13.) ad inquisitionem generalem faciendam nulla requiratur præcedens personæ, vel delicti infamia, cum in jure præcipiatur Ecclesiasticis Prælatis, & Superioribus, ut suo tempore faciant visitationes, & inquisitiones generales, ut habetur ex cap. *Perniciosa*, 2. de offic. Judicis; ad inquirendum tamen contra aliquem particularem requiritur, ut illius infamia aliqua præcesserit, ut habetur ex c. *Inquisitioni*, & cap. *Qualiter* 2. de accusat. Hæc enim infamia (ut ait S. Doct. sup. ar. 3. ad 2.) accusatoris vicem supplet.

4. Observat autem Laym. lib. 3. de just. tr. 6. c. 1. præter infamiam, alia interdū suppetere posse indicia, ex quibus Judices, præsertim sæculares, boni publici causa moveri solent ad inquirendum, & procedendum cōtra criminosos, ne si crimina remaneant impunita, majorem aliis similia patrandi audaciam tribuant. Quod quidem licitum esse,

esse, docet Lessius sup. dub. 15. si circunspecte, & secundum leges, aut consuetudines receptas in furtis, homicidiis, aliisque criminibus Reipublicæ perniciosis id fiat.

Hæc autem indicia ex una parte tanto majora requiruntur ad inquirendum de persona aliqua, quanto insigniori dignitate præfulget, ut constat ex canone 2. q. 5. & ex c. *qualiter*, *& quando* 2. de accusationibus, ex altera vero parte tanto leviora plerunque sufficiunt, quanto perniciosius crimen est, de quo Judex debet inquirere, qualis est proditio, hæresis, latrocinium publicum, &c. Quæ fusius explicata videri possunt apud eundem Layman. supra.

Quarta denique conditio est, ut in exequenda sententia a se juste lata firmus sit, & constans, nec ullo favore, timore, aut respectu humano se flecti sinat. Unde Eccl. 7. dicitur: *Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis.*

5. Quæret aliquis, num Judex pœnam a jure decretā licite relaxare possit. Respondetur 1. nunquā id licitum esse, si sit contra publicam utilitatem, ut docet S. Tho. sup. a. 4. Unde Deut. 13. dicitur de illo, qui seducit alios, & ad idololatriam inducit: *Non parcat illi oculus tuus, ut miserearis, & occultes eum, sed statim interficies*. Respondetur 2. ex eodem S. Doct. hanc esse differentiam inter Judices inferiores, & supremum Judicem, seu Principem, cui plenarie potestas publica commissa est, quod inferior semper tenetur sententiam ferre secundum jura, illamque exequi, non modo cum is, qui damnum passus est, id postulat, sed etiam quamvis a tali postulatione desistat, sibique satisfactum esse dicat, licet viam appellationis denegare non debeat, nisi in casibus a jure expressis: supremus autem Judex, seu Princeps, si is, qui passus est injuriam, velit eam remittere, poterit Reum eximere a pœna, si hoc publicæ utilitati conducere, aut saltem minime nocere perspexerit: quod si læsus nolit injuriam remittere, poterit nihilominus Princeps, satisfactione debita erga ipsum læsum injuncta, pœnam in jure decretam relaxare, vel in aliam leviorem commutare, quod tamen non nisi rarissime facere debet, & ob causas tales, quæ illum apud summum omnium Judicem Deum ab omni culpa immunem reddere possint.

§. III.
De accusatore.

1. Duo præsertim quæri possint, primum est, quis accusare teneatur, secundum, quomodo in accusatione se gerere debeat. Quod spectat ad primum, observandum est ex communi Doctorū cōsensu, duplicem esse viam in jure expressam (ut habetur ex c. *super his* extra. de accusat.) qua crimen aliquod ad publicā potestatem de-

fieri potest, denuntiationis scilicet, & accusationis, quæ in eo differunt, quod accusatori incumbat onus probandi criminis, nō item denuntiatori, sed solum aperiendi indicia, quibus Judex ex officio moveri potest ad ulteriorem inquisitionem. Rursus denuntiatio dupliciter fieri potest, vel charitative, cum quis admonitione privata præmissa, nec secuta proximi emendatione, peccatum ejus defert ad Superiorem tanquam ad patrem, ut efficacius remedium adhibeat, juxta illud Christi Dom. S. Matth. 16. *Si te non audierit, dic Ecclesiæ*, vel judicialiter, cum quis ad vindictam, & punitionem criminum ob bonum publicum denuntiat illa Superiori, tanquam Judici.

2. Hac observatione præmissa, docet S. Th. eum, qui crimen aliquod Reipublicæ maxime perniciosum, qualis est hæresis; proditionis, falsæ monetæ, &c. certo cognoscit, ac potest, teneri ad criminosum accusandum, aut saltem judicialiter denuntiandum.

Quod si tale crimen jam emendatum sit, eumque, qui illud perpetravit, ejus pœnituit, & ad meliorem frugem se recepit, tunc nullam amplius remanere accusandi, aut denuntiandi obligationem docet Toletus l. 5. c. 57. nisi forte quis de illo juridice interrogetur. Tunc enim verum respondere tenebitur.

In aliis autem criminibus, quæ non vergunt in detrimentum Reipublicæ, nulla est obligatio instituendæ accusationis, aut judicialis denuntiationis, sed tantum fraternæ correctionis, ut ex S. Doct. probat Valentia disp. 1. q. 12. de accus. pun. 1.

Excipit tamen Toletus supra crimen illud, ex quo grave nocumentum personæ alicui immineret, ut si quis sciret, alteri parari insidias, in quibus ejus vita periclitaretur. Tunc enim, si via correctionis fraternæ id impedire non potest, denuntiare debet Judici, aut admonere illum, in quem struuntur insidiæ, ut sibi caveat, non tamen illi aperire, quis sit ille, a quo sibi cavere debet, ne aperiendo contra charitatem peccet. Recte etiam idem Toletus monet, Clericos in causis criminalibus, ob quas mors, aut mutilatio infligi potest, non posse accusatoris partes suscipere, sed tantum denuntiare juridice, præmissa tamen protestatione, quod illius, cujus crimen ab ipsis defertur, neque mortem, neque mutilationem intendant.

3. Quod spectat ad modum, quo accusatio, vel denuntiatio fieri debet, ut neque contra justitiam, neque cōtra charitatem peccetur; docet S. Th. a. 3. accusationem, seu denuntiationem ex omni parte debere esse justam, ita ut nullus in ea calumniæ, prævaricationi, aut tergiversationi locus sit: requiri præterea, ut ex intentione justa, & recta procedat, non vero ex odio, ira, aut alio simili pravo affectu.

Quamvis autem nullus ex justitia teneatur præmittere secretā, & fraternam correctionem ante accusationem, aut denuntiationem; tenetur tamen ex charitate, si delictū sit occultum, sitque spes aliqua, reum ejusmodi correctione fraterna esse emendandum, & ad debitā

satis-

satisfactionem inducendum. Si tamen nulla sit ejusmodi spes, nec profutura censeatur admonitio, tunc ad illam præmittendam nulla est obligatio. Imo quando crimen est contra bonum publicum, urgetque illius periculum, tunc sine ulla mora publicæ potestati denuntiandum est. Ita Lessius c. 30. dub. 2. Toletus l. 5. c. 57. Bonacina disp. 10 q. 3. pun. 1. & alii communiter.

4. Observat tamen Lessius c. 29. dub. 13. quando crimen occultum est, nec ullo modo probari potest, tunc fore contra justitiam illud per viam accusationis, aut denuntiationis judicialis aperire. Cum enim probari non possit, non potest quoque puniri, proindeque ex ejus manifestatione nihil aliud, quam alterius infamia sequi potest. Excipit tamen duos casus, in quibus licitum est patefacere Superiori crimen occultum alterius, quamvis probari non possit. Primus est, quando id conducere existimatur ad emendationem illius, qui crimen ejusmodi commisit, tunc Superiori, non quidem ut Judici, sed ut patri manifestari potest, præmissa tamen admonitione fraterna, ut supra dictum est. Alter est, quando ex occulto illo crimine grave aliquod malum spirituale, vel temporale imminet, quod non nisi Superioris potentia, vel auctoritate averti potest.

§. IV.
De Testibus.

1. CErtum est, testem interrogatum a Judice secundum ordinem Juris supra explicatum §. 2. obligari ad ferendum testimonium, & ad declarandum crimen, quod ab altero commissum esse cognoscit. Ita S. Doct. q. 70. a. 1. & cum illo communiter omnes.

Excipiuntur tamen aliqui casus. Primus est, si quis crimen ex sola Confessione Sacramentali cognoscat. Tunc enim nullatenus illud unquam declarare debet, ut expresse docet S. Th. resp. ad 1. & satis constat ex illis, quæ in Tractatu præced. c. 5. dicta sunt.

Secundus est, quando in causis criminalibus, in quibus mortis, vel mutilationis sententia infligenda censetur, testimonium ferendum est. Ad illud enim Clerici non tenentur; imo nec testimonium in ejusmodi causis ferre debent, ut docet S. Th. sup. ad 3.

Tertius est, si crimen suũ quis alteri sub secreto declaravit, consilii, vel auxilii petendi causa, ad salutẽ propriam spiritualem, aut corporalem, ut fieri solet Medico, Advocato, obstetrici, &c. Tunc enim nullus arcanum suæ fidei commissum declarare tenetur, nisi forte criminis illius testificatio necessaria sit ad aliquod grave damnum publicum, vel privatum avertendum. Tunc enim promissio secreti, etiam juramento confirmata, non obligat, cum nullum juramentum promissorium cedens in damnum injustum alterius obliget; proindeque is, qui crimen ejusmodi novit, tenetur illud interroganti Judici

pate-

patefacere. Ita S.Doct.in resp. ad 2.& post illū Lessius sup.c.3.dub.6.

Quartus est, quando Judex procedit per viam inquisitionis generalis ad cognoscenda, & punienda crimina. Tunc enim si quis ab illo interrogetur, v. g.utrum in tali loco sint aliqui adulteri, incestuosi, &c. non tenetur, imo non debet adulterium, aut incestum alicujus patefacere, si omnino sit occultum,ut patet ex c. *qualiter*, *& quando*,2. de accusationibus, & docet Sylv..& plures alii apud Less. sup.

2. Quæres, quid igitur faciet testis in casibus supra relatis, si a Judice, juramento interposito, ut semper fit, compellatur ad interrogata respondere? Si enim dicat, peccabit contra charitatem, imo contra religionem, & sigillum Confessionis, si manifestet peccatum aliquod in Confessione declaratum: si autem neget id, quod verum esse cognovit, mendacii, imo perjurii reatum incurret.

Facilis est aliquorum responsio, testem in casibus illis a testimonio ferendo abstinere debere, & si a Judice urgeatur, declarare, se justa aliqua ratione impediri, quominus id facere possit. At quid si a Judice his non obstantibus,cogatur ad veritatem patefaciendam,quid in illis angustiis? Perplexa est haud dubie,& difficilis hæc quæstio, cujus solutio,qualiscunque afferatur, facilius carpi, & argui poterit, quam prout ad conscientiarum levamen expedit, explicari. Ne tamen Lectorem ambiguum, & hærentem relinquamus, tria breviter hic proponimus, ex communi, & recepta probatorum Auctorum doctrina.

3. Primum est,quod quotiescunque quis sive testis,sive reus, secundum ordinem juris a Judice, vel Superiore, Ecclesiastico, sive Laico, interrogatur de aliqua re, quæ sine ullo peccato declarari potest; tunc candide, ac sincere, & seclusa omni ambiguitate, vel restrictione mentali, secundum mentem interrogantis, respondere tenetur. Quamvis enim multi Doctores existiment, reum non esse obligatum confiteri crimen morte, vel mutilatione dignum, quod alias scit plene probari non posse, ut Angelus, Sylvester, Armilla verbo *Delicti confessio*, Rosella verbo *Accusatus*, Panormitanus c. 2. de Confessione, Pesantius in 2.2. q. 70. disp. unic. in fine, & alii, quorum sententiam probabilem existimat Bonac. ad 8. Decalogi præceptum disp. 10. qu. 3. punct. 2. num.7. longe tamen probabilior est aliorum sententia, qui existimant, etiam in casu supra relato reum, quando a proprio Judice interrogatur secundum juris ordinem, idest de crimine aliquo, de quo præcessit infamia, aut de quo suppetunt Indicia, aut semiplena probatio, teneri ad fatendum crimen, & verum manifestandum, etiamsi ex ejus Confessione mors sequatur. Ita docet S. Thom.2.2. qu. 69. art. 1. & post illum plures alii, ac præsertim Toletus l. 5. c. 58. Torres in 2.2. disp. 50. dub.2 Filliucius tract. 40. nu. 263. Becanus l. 5. manual. c.21. n. 4. Lessius l. 2. c. 31. n. 12. & Layman. tract.6. de judiciis cap. 5.

4 Secundum est,posse interdum talem causam suppetere, ex qua licitum

citum fiat, imo etiam necessarium non aperte profiteri veritatem, sed illam vel aliquibus verbis multiplici sensu vertibilibus, seu æquivocatione aliqua, vel restrictione aliqua mentali tegere. Exemplum profert S. Thomas in 4. dist. 1. q. 3. ar. 1. q. 1. ad 2. & 3. de Confessario, qui de peccato sibi in Confessione declarato a Judice interrogaretur, asseritque, posse illum etiam juramento affirmare, se nescire ejus peccatum, cum hac restrictione mentali, quod nesciat, ut interroganti subditus. Ita cum S. Doctore sentiunt Altisiodorensis l. 3. summæ, tract. 18. q. 2. sub finem, Durandus in 4. dist. 21. q. 4. nu. 10. Paludanus ibid. qu. 3. art. 3. Major ibid. q. 3. ad 9. Adrianus in tr. de Confessione, qu. de Confessore, Joannes Medina, Cod. de pœnitentia, tr. 2. q. 25. qui omnes unanimiter idem asserunt, quod ex S. Doctore supra relatum est. Et præterea Dominicus Soto lib. 5. de just. q. 6. art. 2. concl. 7. docet, testem, qui contra juris ordinem interrogaretur de crimine, quod secreto cognovit, posse absque mendacio respondere. & etiam juramento affirmare, se illud nescire, cum hac restrictione mentali, quod nesciat, ut alteri contra justitiæ ordinem interroganti revelet: quod etiam asserit, & fuse probat Dominicus Bannes in 2. 2. q. 69. art. 2. dub. 1.

Tertium est, causa legitima, & rationabili deficiente, nemini unquam fas esse, ut docent sup. cit. Auctores, & alii Theologi communiter, verbis ambiguis, aut æquivocis, vel mentali restrictione inter loquendum uti; alias usus, in quem instituta sunt verba, perverteretur, & omnis colloquiorum, & sermonum certitudo, adeoque omne humanum commercium, & fructus Civilis, ac Christianæ societatis tolleretur, semperque inesset ratio suspicandi, dolum aliquem in verbis latere, & ambiguitatem, & mentalem restrictionem subesse.

§. V.

De Reo.

1. TRia præsertim circa obligationes Rei quæri possunt. Primum est, utrum teneatur fateri veritatem, quando a Judice interrogatur. Responsio facilis est ex dictis paragrapho præcedenti. Si enim a Judice legitimo interrogetur secundum formam juris, tenetur verum respondere: e contra si Judex legitimam non habeat potestatem, aut formam juris non servet, id est, si infamia non præcesserit de crimine, de quo fit interrogatio, aut saltem illius criminis semiplena probatio, vel indicia sufficientia non suppetant, tunc respondere ad interrogata non tenetur; quod si a Judice cogatur, quod tamen sine peccato facere non potest, nec ab illo per appellationis viam declinare possit, tunc poterit respondendo crimen occultare, ac tegere eo modo, quo præcedenti §. explicatum est. Obser-

servat etiam Toletus l. 5. cap. 58. simili ratione reum non teneri ad complices suos revelandos, nisi illorum infamia aliqua præcesserit, id est, nisi ex fama constet, illum socios habuisse, vel quando crimen tale est, ut sine sociis non committatur: quod etiam docet Lessius cap. 29. dub. 17.

2. Secundum est, an licitum sit Reo ad superiorem Judicem appellare. Respondet S. Doctor id ei licitum esse, si causam suam justam esse confidat, vel se ab inferiori Judice gravatum esse arbitretur: illicitum vero, si appellatio fiat solum ad moram afferendam, ne vel justa sententia feratur, vel si lata est, executioni mandetur, ut habetur cap. *omnino* 2. q. 6.

Tertium est, utrum Reus condemnatus possit se per vim defendere, ne sententia in eum lata executioni mandetur. Respondet S. Doctor, id licitum esse, si injuste condemnatus sit, dummodo tamen nullum inde scandalum, neque gravis aliqua perturbatio in Communitate timeatur. Addit S. Doctor, illum, qui ad mortem juste damnatus est, posse licite fugere, si occasio se offerat, dummodo nullam Judici, vel ejus ministris vim in eorum persona inferat.

§. VI.
De Advocato, & Procuratore.

1. SAnctus Thomas 2. 2. q. 71. docet, quatuor præsertim conditiones requiri in Advocato, quæ etiam, servata debita proportione, de Procuratore intelligi debent.

Prima est peritia, qua, ut dicit S. Doct. art. 2. *possit convenienter assumptæ causæ justitiam ostendere*. Unde, ut dicit Toletus l. 5. c. 60. si ex ignorantia in causa est, cur cliens causa alioquin justa decidat, peccat, & damnum illatum resarcire tenetur: quod etiam similiter dicendum censet de ejus negligentia.

Secunda conditio est justitia in exhibendo patrocinio. Qui enim scienter injustam causam defendit, absq; dubio graviter peccat, ut asserit S. Doct. ar. 3. teneturq; ad restitutionẽ damni, quod pars adversa incurrit, nisi per clientem suum resarciatur. Quod si causa dubia sit, nec satis ex utraque parte justitia dignoscatur, potest quidem ejus patrociniũ suscipere, dummodo paratus sit quamprimum ab illo patrocinio abstinere, si in progressu litis ejus injustitiam deprehendat.

2. Tertia conditio est ab omni avaritiæ labe immunitas. *Quamvis enim*, ut dixit S. August. ep. 54. ad Maced. *Advocatus justum patrocinium, & Jurisperitus verum consilium licite vendere possit*, patrocinii tamen, vel consilii illius pretium moderate accipere debet, *considerata*, ut loquitur S. Doct. art. 4. *conditione personarum, negotiorum, laboris, & consuetudinis Patriæ*.

Quarta deniq; conditio est charitas, qua tenetur Advocatus pau-

po-

erum causas suscipere, illisque patrocinari, quando aliter ipsis subve-
ri non potest, eadem ratione, qua tenentur omnes necessitatem pa-
enti misericordiæ opus impendere, ut fusius explicat S. Doctor a. 1.

§. VII.

e injuriis honoris, & famæ per detractionem, & contumeliam.

HOnoris nomine intelligitur testificatio quædam exterior excellentiæ alterius, per famam vero significatur multorum æstimatio de vita, moribus, & actibus ejusdem, ut docet S. Th. q. 72. : 73. Unde per detractionem fama præsertim læditur, honor vero er contumeliam. Detractio siquidem est alienæ famæ occulta, & njusta denigratio; contumelia vero addit novam injuriam, qua non intum fama, sed etiam honor violatur. Non enim occulte, & in abentia ut fit per detractionem, sed coram, & in præsentia honor per ontumeliam cum quodam contemptu impetitur. Ex quo fit, ut quamis detractio sit ex genere suo peccatum mortale, & quidem gravissinum, ut docet S.Th. q. 73. a. 2. contumelia tamen sit peccatum adhuc llo gravius, quia magis lædit, & acerbiorem infert injuriam.

Diximus, *detractionem esse injustam famæ alienæ denigrationem*, quia ion erit detractio, si juste fama aliena denigretur, v g. si quis ex motio justitiæ, vel charitatis alicujus crimen, quod vel bono publico perniciosum est, vel alteri injuriosum, & nocivum, Superiori, aut alicui lteri aperiat, qui remedium afferre potest. Quod si fama auferatur x intentione nocendi, tunc illius ablatio ad detractionem pertinet.

2. Hæc autem intentio nocendi, ut observat Tolet. supr. cap. 61. lupliciter in detrahente reperiri potest, uno modo directe, cum uis per detractionem reipsa nocere intendit, altero modo indirecte, cum licet expresse id non intendat, ea tamen dicit, ex quibus iocumentum famæ alterius injuste sequitur, ut qui ex joco, vel oquacitate alteri notabiliter detrahit.

Docet præterea S. Th. ar. 2. ad 3. detractionem octo potissimum modis committi posse, nimirum quatuor modis directe, & quatuor indirecte. Directe quidem 1. imponendo alteri falsum crimen, 2. crimen illius verum verbis adaugendo, 3. manifestando crimen verum, sed occultum, 4. malitiose, ac perperam alterius factum bonum interpretando, qui quartus modus, ut notat Lessius l. 2. c. 31. dub. 2. quatenus per illam pravam interpretationem fama proximi læditur in animo audientis, pertinet ad detractionem, quatenus vero concipitur in animo illius, qui sic malitiose interpretatur, pertinet ad judicium temerarium, de quo seq. §. agetur.

Indirecte autem committitur detractio, 1. negando recte facta, aut egregias dotes alterius, 2. verbis extenuando, 3. reticendo bona alterius eo tempore, & loco, quo silentium istud ejus famæ nocere

Fuit autem sententia quorundam antiquorum (ut videre est apud Cassian. Coll. 17. c. 8.) mendacium aliquando non modo licitum, sed etiam necessarium esse, *Illoque utendum esse tanquam helleboro, quod sumitur imminente aliquo exitiali morbo*. Verum hæc sententia, tanquam erronea, & sacræ Scripturæ contraria, refutata est a S. August. lib. 1. contra mendacium c. 5. & seq. & ab Innocentio III. c. *Superior*, de usura, ubi dicit, *Scripturam sacram prohibere, ne quis etiam pro alterius vita servanda mentiatur*.

2. Ex quo sequitur, omne mendacium esse intrinsece malum, ac proinde peccatum, quando formalis ratio mendacii in eo reperitur. Duplex est enim falsitas (ut recte observat S. Doct. 2. 2. q. 110. art. 5.) alia materialis solummodo, quam dicit esse *præter intentionem loquentis*, quando scilicet aliquis falsum dicit, putans esse verum, *qui* (ut ait S. Aug c. 18. Enchir.) *judicandus non est mentiri, quoniam, quantum in ipso est, non fallit ille, sed fallitur*. Alia vero formalis, quando quis ex intentione fallendi, aliquid tanquam verum asseverat, quod existimat esse falsum, sive id re vera falsum sit, sive contra ejus opinionem verum existat, quia, ut dicit S. Doct. quidquid sit de re illa, quam asseverat; etiamsi de facto vera sit, *actus ejus, in quantum est voluntarius, & moralis, habet per se falsitatem, & per accidens veritatem*. Docet autem idem S. Th. mendacium esse aliquando mortale peccatum, aliquando vero veniale: mortale quidem, quando charitati adversatur, quod dupliciter contingere potest, uno modo secundum se, quando ex falsa significatione grave aliquod præjudicium in Divinum honorem derivatur, vel grave aliquod nocumentum proximo infertur: alio modo secundum finem intentum, quando scilicet in aliquem pravum finem dirigitur, v. g. si quis mentiatur, ut proximi famam graviter lædat, vel ut notabile aliquod damnum ejus fortunis inferat: & utroque isto modo dicitur mendacium perniciosum.

Veniale autem, quando ex ratione sui, aut finis intenti, neque Dei, neque proximi charitati contrariatur; quod S. Doctor supra contingere ait dupliciter, scilicet in mendacio jocoso, in quo levis aliqua delectatio intenditur, & in mendacio officioso, in quo utilitas aliqua proximi spectatur. Quod etiam docuit sup. S. Aug. his verbis: *Duo sunt genera mendaciorum, in quibus non est magna culpa, sed tamen non sunt sine culpa, cum aut jocamur, aut proximo consulendo mentimur*.

Monet tamen recte supra S. Doct. mendacium ejusmodi jocosum, vel officiosum, licet ex se non sit nisi veniale, posse per accidens fieri mortale, ratione scandali, quod causare potest, ut si quis Religiosus, sive vir Deo sacer coram aliis mendacium jocosum tale proferat, ex quo aliqui desumant gravis scandali occasionem.

§. II.

§. II.

De iis, quæ ad processum judicialem spectant, ac primo de Judice.

1. QUatuor sunt præcipuæ conditiones ad hoc requisitæ, ut quis officio Judicis rite fungatur, de quibus agit S. Doct. qu. 67. art. 1. & seq.

Prima est, ut habeat legitimam judicandi potestatem, quæ quadruplex est, ut observat Toletus l. 5. c. 56. una ordinaria, quæ ipsi competit ratione officii, altera delegata, quæ est ex commissione Ordinarii; tertia arbitraria, qualis est ejus, qui ex consensu partium in Judicem eligitur; quarta denique accessoria, quam quis habet in eum, qui licet sibi subditus non sit, delictum tamen commisit intra limites suæ jurisdictionis. Qui autem absque potestate legitima se in officium Judicis ingerit, mortalis peccati reatum incurrit, & obligatur ad restitutionem damni, si quod ex illius illegitimæ potestatis usu sequatur, ut docet Toletus ibid.

Secunda conditio est, ut judicet secundum veritatem, quæ, ut declarat S. Doct. sup. innotescit illi, tam in generali per leges Divinas, ac humanas, quas idcirco optime callere debet, ne si earum laboret ignorantia (quæ in illo nullatenus excusari potest) aliquid decernat ipsis legibus contrarium, ac proinde iniquum, quam in particulari per instrumenta, testes, aliaque similia documenta, quæ (ut mónet ibidem S. Doctor) sequi magis in judicando debet, quam id, quod ipse tanquam privata persona novit, ex quo tamen juvari potest ad probationes inductas accuratius discutiendas, ut possit earum defectum investigare.

2. Est autem controversum inter Theologos, an Judex teneatur secundum allegata, & probata ferre sententiam, ita ut condemnare debeat illum, quē ex privata scientia certo scit esse innocentem. Variæ sunt super hac re illorum sententiæ. Alii siquidem existimant, nunquam licere Judici, ne in causis quidem civilibus, contra veritatem sibi etiam prius privatim notam judicare, alii ad solas criminales causas id restringunt, alii vero e contra in omnibus tam civilibus, quam criminalibus Judicem probationes publicas sequi debere asserunt: quorum sententia cæteris probabilior eo præsertim nomine censeri debet, quod illi S. Doct. aperte subscribit sup. ar. 2. & post illū plurimi alii magni nominis Theologi, quos citat, & sequitur Valentia disp. 5. q. 11. de jud. pun. 2. quibus accedit auctoritas S. Ambr. qui super illa Ps. 118. verba, *Miserationes tuæ multæ nimis*, sic loquitur: *Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, sed juxta leges, & jura pronuntiat, statutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum, & meditatum domo refert, sed sicut audit, ita judicat.*

Quid igitur, dicet aliquis, faciet Judex in eo casu, in quo cer-

esse, docet Lessius sup. dub. 15. si circumspecte, & secundum leges, aut consuetudines receptas in furtis, homicidiis, aliisque criminibus Reipublicæ perniciosis id fiat.

Hæc autem indicia ex una parte tanto majora requiruntur ad inquirendum de persona aliqua, quanto insigniori dignitate præfulget, ut constat ex canone 2. q. 5. & ex c. *qualiter*, *& quando* 2. de accusationibus, ex altera vero parte tanto leviora plerunque sufficiunt, quanto perniciosius crimen est, de quo Judex debet inquirere, qualis est proditio, hæresis, latrocinium publicum, &c. Quæ fusius explicata videri possunt apud eundem Layman. supra.

Quarta denique conditio est, ut in exequenda sententia a se juste lata firmus sit, & constans, nec ullo favore, timore, aut respectu humano se flecti sinat. Unde Eccl. 7. dicitur: *Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis.*

5. Quæret aliquis, num Judex pœnam a jure decretā licite relaxare possit. Respondetur 1. nunquā id licitum esse, si sit contra publicam utilitatem, ut docet S. Tho. sup. a. 4. Unde Deut. 13. dicitur de illo, qui seducit alios, & ad idololatriam inducit: *Non parcat illi oculus tuus, ut miserearis, & occultes eum, sed statim interficies.* Respondetur 2. ex eodem S. Doct. hanc esse differentiam inter Judices inferiores, & supremum Judicem, seu Principem, cui plenarie potestas publica commissa est, quod inferior semper tenetur sententiam ferre secundum jura, illamque exequi, non modo cum is, qui damnum passus est, id postulat, sed etiam quamvis a tali postulatione desistat, sibique satisfactum esse dicat, licet viam appellationis denegare non debeat, nisi in casibus a jure expressis: supremus autem Judex, seu Princeps, si is, qui passus est injuriam, velit eam remittere, poterit Reum eximere a pœna, si hoc publicæ utilitati conducere, aut saltem minime nocere perspexerit; quod si læsus nolit injuriam remittere, poterit nihilominus Princeps, satisfactione debita erga ipsum læsum injuncta, pœnam in jure decretam relaxare, vel in aliam leviorem commutare, quod tamen non nisi rarissime facere debet, & ob causas tales, quæ illum apud summum omnium Judicem Deum ab omni culpa immunem reddere possint.

§. III.
De accusatore.

1. DUo præsertim quæri possunt, primum est, quis accusare teneatur, secundum, quomodo in accusatione se gerere debeat.

Quod spectat ad primum, observandum est ex communi Doctorū cōsensu, duplicem esse viam in jure expressam (ut habetur ex c. *super his* extra. de accusat.) qua crimen aliquod ad publicā potestatem de-

fieri potest, denuntiationis scilicet, & accusationis, quæ in eo differunt, quod accusatori incumbat onus probandi criminis, nō item denuntiatori, sed solum aperiendi indicia, quibus Judex ex officio moveri potest ad ulteriorem inquisitionem. Rursus denuntiatio dupliciter fieri potest, vel charitative, cum quis admonitione privata præmissa, nec secuta proximi emendatione, peccatum ejus defert ad Superiorem tanquam ad patrem, ut efficacius remedium adhibeat, juxta illud Christi Dom. S. Matth. 16. *Si te non audierit, dic Ecclesiæ*, vel judicialiter, cum quis ad vindictam, & punitionem criminum ob bonum publicum denuntiat illa Superiori, tanquam Judici.

2. Hac observatione præmissa, docet S. Th. eum, qui crimen aliquod Reipublicæ maxime perniciosum, qualis est hæresis; proditionis, falsæ monetæ, &c. certo cognoscit, ac potest, teneri ad criminosum accusandum, aut saltem judicialiter denuntiandum.

Quod si tale crimen jam emendatum sit, eumque, qui illud perpetravit, ejus pœnituit, & ad meliorem frugem se recepit, tunc nullam amplius remanere accusandi, aut denuntiandi obligationem docet Toletus l.5. c.57. nisi forte quis de illo juridice interrogetur. Tunc enim verum respondere tenebitur.

In aliis autem criminibus, quæ non vergunt in detrimentum Reipublicæ, nulla est obligatio instituendæ accusationis, aut judicialis denuntiationis, sed tantum fraternæ correctionis, ut ex S. Doct. probat Valentia disp. 1. q. 12. de accus. pun. 1.

Excipit tamen Toletus supra crimen illud, ex quo grave nocumentum personæ alicui immineret, ut si quis sciret, alteri parari insidias, in quibus ejus vita periclitaretur. Tunc enim, si via correctionis fraternæ id impedire non potest, denuntiare debet Judici, aut admonere illum, in quem struuntur insidiæ, ut sibi caveat, non tamen illi aperire, quis sit ille, a quo sibi cavere debet, ne aperiendo contra charitatem peccet. Recte etiam idem Toletus monet, Clericos in causis criminalibus, ob quas mors, aut mutilatio infligi potest, non posse accusatoris partes suscipere, sed tantum denuntiare juridice, præmissa tamen protestatione, quod illius, cujus crimen ab ipsis defertur, neque mortem, neque mutilationem intendant.

3. Quod spectat ad modum, quo accusatio, vel denuntiatio fieri debet, ut neque contra justitiam, neque cōtra charitatem peccetur; docet S.Th. a.3. accusationem, seu denuntiationem ex omni parte debere esse justam, ita ut nullus in ea calumniæ, prævaricationi, aut tergiversationi locus sit: requiri præterea, ut ex intentione justa, & recta procedat, non vero ex odio, ira, aut alio simili pravo affectu.

Quamvis autem nullus ex justitia teneatur præmittere secretā, & fraternam correctionem ante accusationem, aut denuntiationem; tenetur tamen ex charitate, si delictū sit occultum, sitque spes aliqua, reum ejusmodi correctione fraterna esse emendandum, & ad debitā

satis-

satisfactionem inducendum. Si tamen nulla sit ejusmodi spes, nec profutura censeatur admonitio, tunc ad illam præmittendam nulla est obligatio. Imo quando crimen est contra bonum publicum, urgetque illius periculum, tunc sine ulla mora publicæ potestati denuntiandum est. Ita Lessius c. 30. dub. 2. Toletus l. 5. c. 57. Bonacina disp. 10 q. 3. pun. 1. & alii communiter.

4. Observat tamen Lessius c. 29. dub. 13. quando crimen occultum est, nec ullo modo probari potest, tunc fore contra justitiam illud per viam accusationis, aut denuntiationis judicialis aperire. Cum enim probari non possit, non potest quoque puniri, proindeque ex ejus manifestatione nihil aliud, quam alterius infamia sequi potest. Excipit tamen duos casus, in quibus licitum est patefacere Superiori crimen occultum alterius, quamvis probari non possit. Primus est, quando id conducere existimatur ad emendationem illius, qui crimen ejusmodi commisit, tunc Superiori, non quidem ut Judici, sed ut patri manifestari potest, præmissa tamen admonitione fraterna, ut supra dictum est. Alter est, quando ex occulto illo crimine grave aliquod malum spirituale, vel temporale imminet, quod non nisi Superioris potentia, vel auctoritate averti potest.

§. IV.
De Testibus.

1. Certum est, testem interrogatum a Judice secundum ordinem Juris supra explicatum §. 2. obligari ad ferendum testimonium, & ad declarandum crimen, quod ab altero commissum esse cognoscit. Ita S. Doct. q. 70. a. 1. & cum illo communiter omnes.

Excipiuntur tamen aliqui casus. Primus est, si quis crimen ex sola Confessione Sacramentali cognoscat. Tunc enim nullatenus illud unquam declarare debet, ut expresse docet S. Th. resp. ad 1. & satis constat ex illis, quæ in Tractatu præced. c. 5. dicta sunt.

Secundus est, quando in causis criminalibus, in quibus mortis, vel mutilationis sententia infligenda censetur, testimonium ferendum est. Ad illud enim Clerici non tenentur; imo nec testimonium in ejusmodi causis ferre debent, ut docet S. Th. sup. ad 3.

Tertius est, si crimen suũ quis alteri sub secreto declaravit, consilii, vel auxilii petendi causa, ad salutē propriam spiritualem, aut corporalem, ut fieri solet Medico, Advocato, obstetrici, &c. Tunc enim nullus arcanum suæ fidei commissum declarare tenetur, nisi forte criminis illius testificatio necessaria sit ad aliquod grave damnum publicum, vel privatum avertendum. Tunc enim promissio secreti, etiam juramento confirmata, non obligat, cum nullum juramentum promissorium cedens in damnum injustum alterius obliget; proindeque is, qui crimen ejusmodi novit, tenetur illud interroganti Judici

pate-

patefacere. Ita S.Doct.in resp. ad 2.& post illũ Lessius sup.c.3.dub.6.

Quartus est, quando Judex procedit per viam inquisitionis generalis ad cognoscenda, & punienda crimina. Tunc enim si quis ab illo interrogetur, v. g.utrum in tali loco sint aliqui adulteri, incestuosi, &c. non tenetur, imo non debet adulterium, aut incestum alicujus patefacere, si omnino sit occultum,ut patet ex c. *qualiter*, *& quando*,2. de accusationibus, & docet Sylv..& plures alii apud Less. sup.

2. Quæres, quid igitur faciet testis in casibus supra relatis, si a Judice, juramento interposito, ut semper fit, compellatur ad interrogata respondere? Si enim dicat, peccabit contra charitatem, imo contra religionem, & sigillum Confessionis, si manifestet peccatum aliquod in Confessione declaratum: si autem neget id, quod verum esse cognovit, mendacii, imo perjurii reatum incurret.

Facilis est aliquorum responsio, testem in casibus illis a testimonio ferendo abstinere debere, & si a Judice urgeatur, declarare, se justa aliqua ratione impediri, quominus id facere possit. At quid si a Judice his non obstantibus,cogatur ad veritatem patefaciendam,quid in illis angustiis? Perplexa est haud dubie,& difficilis hæc quæstio,cujus solutio,qualiscunque afferatur, facilius carpi, & argui poterit, quam prout ad conscientiarum levamen expedit, explicari. Ne tamen Lectorem ambiguum, & hærentem relinquamus, tria breviter hic proponimus, ex communi, & recepta probatorum Auctorum doctrina.

3. Primum est,quod quotiescunque quis sive testis,sive reus, secundum ordinem juris a Judice, vel Superiore, Ecclesiastico, sive Laico, interrogatur de aliqua re, quæ sine ullo peccato declarari potest; tunc candide, ac sincere, & seclusa omni ambiguitate, vel restrictione mentali, secundum mentem interrogantis, respondere tenetur. Quamvis enim multi Doctores existiment, reum non esse obligatum confiteri crimen morte, vel mutilatione dignum, quod alias scit plene probari non posse, ut Angelus, Sylvester, Armilla verbo *Delicti confessio*, Rosella verbo *Accusatus*, Panormitanus c. 2. de Confessione, Pesantius in 2.2. q. 70. disp. unic. in fine, & alii, quorum sententiam probabilem existimat Bonac. ad 8. Decalogi præceptum disp. 10. qu. 3. punct. 2. num.7. longe tamen probabilior est aliorum sententia, qui existimant, etiam in casu supra relato reum, quando a proprio Judice interrogatur secundum juris ordinem, idest de crimine aliquo, de quo præcessit infamia, aut de quo suppetunt indicia, aut semiplena probatio, teneri ad fatendum crimen, & verum manifestandum, etiamsi ex ejus Confessione mors sequatur. Ita docet S. Thom.2.2. qu. 69. art. 1. & post illum plures alii, ac præsertim Toletus l. 5. c. 58. Torres in 2.2. disp. 50. dub.2 Filliucius tract. 40. nu. 263. Becanus l. 5. manual. c.21. n. 4. Lessius l. 2. c. 31. n. 12. & Layman. tract. 6. de judiciis cap. 5.

4 Secundum est, posse interdum talem causam suppetere, ex qua licitum

citum fiat, imo etiam necessarium non aperte profiteri veritatem, sed illam vel aliquibus verbis multiplici sensu vertibilibus, seu æquivocatione aliqua, vel restrictione aliqua mentali tegere. Exemplum profert S. Thomas in 4. dist.1.q.3.ar.1. q.1.ad 2.& 3. de Confessario, qui de peccato sibi in Confessione declarato a Judice interrogaretur, asseritque, posse illum etiam juramento affirmare, se nescire ejus peccatum, cum hac restrictione mentali, quod nesciat, ut interroganti subditus. Ita cum S. Doctore sentiunt Altisiodorensis l. 3. summæ, tract.18.q.2. sub finem, Durandus in 4. dist. 21. q. 4. nu. 10. Paludanus ibid. qu. 3. art.3. Major ibid. q. 3. ad 9. Adrianus in tr. de Confessione, qu. de Confessore, Joannes Medina, Cod. de pœnitentia, tr.2. q. 25. qui omnes unanimiter idem asserunt, quod ex S. Doctore supra relatum est. Et præterea Dominicus Soto lib. 5. de just. q.6. art. 2. concl. 7. docet, testem, qui contra juris ordinem interrogaretur de crimine, quod secreto cognovit, posse absque mendacio respondere, & etiam juramento affirmare, se illud nescire, cum hac restrictione mentali, quod nesciat, ut alteri contra justitiæ ordinem interroganti revelet: quod etiam asserit, & fuse probat Dominicus Bannes in 2. 2. q. 69. art. 2. dub. 1.

Tertium est, causa legitima, & rationabili deficiente, nemini unquam fas esse, ut docent sup. cit. Auctores, & alii Theologi communiter, verbis ambiguis, aut æquivocis, vel mentali restrictione inter loquendum uti; alias usus, in quem instituta sunt verba, perverteretur, & omnis colloquiorum, & sermonum certitudo, adeoque omne humanum commercium, & fructus Civilis, ac Christianæ societatis tolleretur, semperque inesset ratio suspicandi, dolum aliquem in verbis latere, & ambiguitatem, & mentalem restrictionem subesse.

§. V.

De Reo,

1. TRia præsertim circa obligationes Rei quæri possunt. Primum est, utrum teneatur fateri veritatem, quando a Judice interrogatur. Responsio facilis est ex dictis paragrapho præcedenti. Si enim a Judice legitimo interrogetur secundum formam juris, tenetur verum respondere: e contra si Judex legitimam non habeat potestatem, aut formam juris non servet, id est, si infamia non præcesserit de crimine, de quo fit interrogatio, aut saltem illius criminis semiplena probatio, vel indicia sufficientia non suppetant, tunc respondere ad interrogata non tenetur; quod si a Judice cogatur, quod tamen sine peccato facere non potest, nec ab illo per appellationis viam declinare possit, tunc poterit respondendo crimen occultare, ac tegere eo modo, quo præcedenti §. explicatum est. Obser-

servat etiam Toletus l. 5. cap. 58. simili ratione reum non teneri ad complices suos revelandos, nisi illorum infamia aliqua præcesserit, id est, nisi ex fama constet, illum socios habuisse, vel quando crimen tale est, ut sine sociis non committatur: quod etiam docet Lessius cap. 29. dub. 17.

2. Secundum est, an licitum sit Reo ad superiorem Judicem appellare. Respondet S. Doctor id ei licitum esse, si causam suam justam esse confidat, vel se ab inferiori Judice gravatum esse arbitretur: illicitum vero, si appellatio fiat solum ad moram afferendam, ne vel justa sententia feratur, vel si lata est, executioni mandetur, ut habetur cap. *omnino* 2. q. 6.

Tertium est, utrum Reus condemnatus possit se per vim defendere, ne sententia in eum lata executioni mandetur. Respondet S. Doctor, id licitum esse, si injuste condemnatus sit, dummodo tamen nullum inde scandalum, neque gravis aliqua perturbatio in Communitate timeatur. Addit S. Doctor, illum, qui ad mortem juste damnatus est, posse licite fugere, si occasio se offerat, dummodo nullam Judici, vel ejus ministris vim in eorum persona inferat.

§. VI.
De Advocato, & Procuratore.

1. Sanctus Thomas 2. 2. q. 71. docet, quatuor præsertim conditiones requiri in Advocato, quæ etiam, servata debita proportione, de Procuratore intelligi debent.

Prima est peritia, qua, ut dicit S. Doct. art. 2. *possit convenienter assumptæ causæ justitiam ostendere*. Unde, ut dicit Toletus l. 5. c. 60. si ex ignorantia in causa est, cur cliens causa alioquin justa decidat, peccat, & damnum illatum resarcire tenetur: quod etiam similiter dicendum censet de ejus negligentia.

Secunda conditio est justitia in exhibendo patrocinio. Qui enim scienter injustam causam defendit, absq; dubio graviter peccat, ut asserit S. Doct. ar. 3. teneturq; ad restitutionẽ damni, quod pars adversa incurrit, nisi per clientem suum resarciatur. Quod si causa dubia sit, nec satis ex utraque parte justitia dignoscatur, potest quidem ejus patrociniũ suscipere, dummodo paratus sit quamprimum ab illo patrocinio abstinere, si in progressu litis ejus injustitiam deprehendat.

2. Tertia conditio est ab omni avaritiæ labe immunitas. *Quamvis enim*, ut dixit S. August. ep. 54. ad Maced. *Advocatus justum patrocinium, & Jurisperitus verum consilium licite vendere possit*, patrocinii tamen, vel consilii illius pretium moderate accipere debet, *considerata*, ut loquitur S. Doct. art. 4. *conditione personarum, negotiorum, laboris, & consuetudinis Patriæ*.

Quarta deniq; conditio est charitas, qua tenetur Advocatus paupe-

perum causas suscipere, illisque patrocinari, quando aliter ipsis subveniri non potest, eadem ratione, qua tenentur omnes necessitatem patienti misericordiæ opus impendere, ut fusius explicat S. Doctor a. 1.

§. VII.
De injuriis honoris, & famæ per detractionem, & contumeliam.

1. HOnoris nomine intelligitur testificatio quædam exterior excellentiæ alterius, per famam vero significatur multorum existimatio de vita, moribus, & actibus ejusdem, ut docet S. Th. q. 72. & 73. Unde per detractionem fama præsertim læditur, honor vero per contumeliam. Detractio siquidem est alienæ famæ occulta, & injusta denigratio; contumelia vero addit novam injuriam, qua non tantum fama, sed etiam honor violatur. Non enim occulte, & in absentia ut fit per detractionem, sed coram, & in præsentia honor per contumeliam cum quodam contemptu impetitur. Ex quo fit, ut quamvis detractio sit ex genere suo peccatum mortale, & quidem gravissimum, ut docet S.Th. q. 73. a. 2. contumelia tamen sit peccatum adhuc illo gravius, quia magis lædit, & acerbiorem infert injuriam.

Diximus, *detractionem esse injustam famæ alienæ denigrationem*, quia non erit detractio, si juste fama aliena denigretur, v g. si quis ex motivo justitiæ, vel charitatis alicujus crimen, quod vel bono publico perniciosum est, vel alteri injuriosum, & nocivum, Superiori, aut alicui alteri aperiat, qui remedium afferre potest. Quod si fama auferatur ex intentione nocendi, tunc illius ablatio ad detractionem pertinet.

2. Hæc autem intentio nocendi, ut observat Tolet. supr. cap. 61. dupliciter in detrahente reperiri potest, uno modo directe, cum quis per detractionem reipsa nocere intendit, altero modo indirecte, cum licet expresse id non intendat, ea tamen dicit, ex quibus nocumentum famæ alterius injuste sequitur, ut qui ex joco, vel loquacitate alteri notabiliter detrahit.

Docet præterea S. Th. ar. 2. ad 3. detractionem octo potissimum modis committi posse, nimirum quatuor modis directe, & quatuor indirecte. Directe quidem 1. imponendo alteri falsum crimen, 2. crimen illius verum verbis adaugendo, 3. manifestando crimen verum, sed occultum. 4. malitiose, ac perperam alterius factum bonum interpretando, qui quartus modus, ut notat Lessius l. 2. c. 31. dub. 2. quatenus per illam pravam interpretationem fama proximi læditur in animo audientis, pertinet ad detractionem, quatenus vero concipitur in animo illius, qui sic malitiose interpretatur, pertinet ad judicium temerarium, de quo seq. §. agetur.

Indirecte autem committitur detractio, 1. negando recte facta, aut egregias dotes alterius, 2. verbis extenuando, 3. reticendo bona alterius eo tempore, & loco, quo silentium istud ejus famæ nocere

cere potest, 4. remisse, ac frigide laudando.

3. Quovis autem modo committatur detractio, sive directe, sive indirecte, sive ex intentione formali, & expressa nocendi, sive alio quovis illicito motivo, censetur semper esse peccatum mortale, quoties quis deliberate famam alterius lædit in re gravi, veniale autem, si tantum in re levi, ut docet S. Th. a. 2. Gravitas autem, & levitas illa æstimanda est, tum ex qualitate læsionis, quæ per detractionem famæ alterius infertur, tum ex conditione personæ, cujus fama læditur. Fieri siquidem potest, quod recte observat Tolet. c. 64. ut manifestatio peccati alicujus respectu personæ unius censeatur infamia levis, imo interdum nulla, quæ respectu alterius gravem infamiam induceret, aut notabile scandalum secum inveheret. Ex. gr. qui de milite diceret, quod ad duellum provocatus inimicum occiderit, de adolescente dissoluto, quod amore aliquo illicito implicitus sit, levem, imo prope maculam nullam illorum famæ inurere censeretur, cum tales ut plurimum de similibus rebus glorientur: qui vero idem de Episcopo, aut persona aliqua Ecclesiastica, vel Religiosa diceret, haud dubie gravissimam ejus famæ, & maxime scandalosam injuriam irrogaret.

Hinc etiam colligitur, ut docet Lessius c. 11. dub. 3. ut plurimum non nisi venialiter peccare illos, qui aliorum defectus naturales occultos, sive corporis, sive animi patefaciunt, ut quod aliquis sit gibbosus, quod ignarus, exilis ingenii, &c. nisi forte inde, ut idem monet, grave aliquod illius damnum, aut notabilis contemptus in animis audientium, vel scandalum alterius oriretur.

§. VIII.

Solvuntur dubia quædam circa peccatum detractionis.

1. PRimũ est, an peccet mortaliter is, qui alterius peccata audita refert coram aliis, nihil tamen asseverando. Respondetur, quod, quamvis per se loquendo id non sit peccatum mortale, quando nulla inde infamia oritur, nec apud prudentes viros isto loquẽdi modo, qui nullam meretur fidẽ, alterius fama multum lædatur; si tamen, ut recte observat Lessius dub. 5. crimen esset valde grave, quod in audientium animis suspicionem aliquam pravam ingeneraret, in illo casu peccaret mortifere, qui hujusmodi crimẽ referret, præsertim de persona aliqua honesta, respectu cujus suspicio illa grave malum esse censeretur: quod etiam similiter dicendum, si quis peccata alterius audita referat corã iis, quos probabile est ex sua levitate credituros.

Secundum est, an peccet mortaliter is, qui peccatum proximi occultum uni, aut alteri tantum manifestaret. Respondetur, quamvis Navar. c. 18. 21. 33. existimet, in tali casu non esse nisi peccatum veniale, si non subsit periculum evulgationis, aut alterius incommodi,

pro-

probabiliorem tamen, & in praxi tutiorem esse eorum sententiam, qui asserunt, talem manifestationē esse ut plurimum peccatum mortale, cum fieri possit, ut recte monet Lessius dub. 11. aliquem malle peccata sua multis externis, & plebejis esse nota, quam Prælato, vel alicui gravi viro, cum quo assidue versatur, vel a quo dependet.

2. Si tamen aliquis injuriam sibi ab altero illatam amico aperiret, non quidem animo detrahendi, aut nocendi, sed ut consilium, vel consolationem aliquam acciperet, in illo casu, idem Lessius dub. 12. censet, non esse peccatum, saltem mortiferum.

Tertium est, an liceat hominem diffamatum in uno loco, etiam diffamare, seu crimen illius manifestare in altero, vel apud alios, qui illud ignorant. Respondetur ex Tolet. sup. c. 65. id facere ex intentione nocendi esse peccatum mortale, si gravis sit diffamatio, seclusa vero ejusmodi prava intentione, non esse peccatum, si quis alterum criminis notorietate, aut publica Judicis sententia infamatum in aliqua urbe manifestet aliis id in eadem urbe ignorantibus, nisi ob temporis diuturnitatem crimen illius jam oblivioni datum esset, aut vitæ emendatione bonam famam recuperasset. In aliis vero locis id ipsum notum facere, quo fama communis illud brevi perlatura creditur, idem Toletus neque justitiæ, neque charitati repugnare existimat. Quod si verisimiliter crederetur, famam illius criminis illuc nunquam, aut non nisi post longum tempus perventuram esse, existimat Lessius, fore peccatum mortiferum, crimen illud in tali loco divulgare, præsertim si is, qui illud crimen admisit, bonam famam illic consecutus fuisset, vel si ex illa diffamatione aliquod damnum, aut incommodum illi, aut ejus propinquis obveniret. Secus vero, si ille parum curaret, se alibi infamari, quod sæpe fieri solet, præsertim si procul absit; aut si quis ob grave crimen fuisset publice punitus. Tunc enim sæpe expedit, ista ad aliorum exemplum divulgari.

3. Quartum est, an licitum sit aliquando quibusdam de causis crimen alicujus occultum alteri detegere. Respondetur, licitum esse, quoties id necessarium est ad impediendum notabile aliquod damnum alterius, sive corporale, sive spirituale, quod alia via impediri non potest. Ita Sotus l. 5. de just. q. 7. a. 1. Navar. c. 18. n. 31. Lessius supra dub. 9. E g. scis, aliquem furtis addictum, & sæpe in illis deprehensum, monere potes eos, quibuscum habitat, ut sibi caveant, &c. Similiter novisti aliquem se gerentem pro Medico, in illa tamen scientia valde imperitum, potes eos monere, quibus ex ejus imperitia periculum immineret. Imo interdum non solum potes, sed etiam ex charitate teneris alterius crimen occultum manifestare, si ex illo grave aliquod nocumentum publicum, aut etiam particulare immineat, quod censeatur præponderare damno, quod is, qui illud commisit, in fama, vel honore patietur. In dubio autem, utrum præponderet, inclinandum est potius in favorem innocentis, e. g. si quis

ali-

aliqua hæresi occulta laboret, sitque periculum, ne alios inficiat. In illo enim casu horum salus illius famæ debet præponderare.

4. Quintum est, an sit peccatum mortale infamare seipsum. Respondetur, quod quamvis per se loquendo hæc infamatio sui non sit peccatum mortale, cum, ut recte probat Lessius dub. 6. neque sit contra justitiam, homo siquidem est dominus suæ famæ, nec illam, sicut alia bona dissipando, ulli faciat injuriam, neque etiam contra charitatem, quæ non obligat ad bona exteriora comparanda, vel conservanda, nisi quatenus necessaria sunt ad bona spiritualia vel nostra, vel proximorum; si tamen ex infamatione illa sui ipsius sequeretur aliquod scandalum, aut aliorum nocumentum, ut in personis, quarum bona fama ad salutem aliorum necessaria est, v. g. Episcopis, Pastoribus, &c. tunc infamatio illa esset peccatum mortale, ut docet idem Auctor supra.

Sextum denique est, utrum audiens detractorem peccet. Respondetur ex mente S. Doct. q. 73. a. 4. peccare, quoties consentit detractioni, juxta illud Rom. 1. *Digni sunt morte non solum qui peccata faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Potest autem quis dupliciter detractioni consentire, ut observat Toletus c. 67. directe scilicet, vel indirecte. Directe consentit, qui vel alterum inducit ad detrahendum, vel illius detractione delectatur: & is non minus peccat, quam detractor, de eoque intelligi debet illud dictum S. Bernardi: *Detrahere, aut detrahentem audire, utrum horum detestabilius sit, non facile dixerim.* Indirecte autem consentit detractioni, qui licet nec ad illam inducat, nec ea delectetur, illam tamen non prohibet, nec detrahenti resistit, cum possit, & debeat: & si quidem detractio sit notabilis, & in materia gravi, possitque facile illam impedire, mortaliter peccat, cum charitas obliget, ut grave damnum proximi, si commode possimus, impediamus, venialiter vero, si detractio sit levis, aut si præ nimia verecundia, vel animi pusillanimitate resistere detrahenti non audeat, nisi forte infamia esset valde atrox, vel gravia incommoda putaretur illatura, tunc enim deberet sibi ipsi vim facere, & excussa verecundia modeste contradicere. Nullo autem modo peccat, qui detrahentem non arguit, eo quod probabiliter existimat monitionem suam nihil profuturam, imo potius obfuturam, si detractor occasionem ex ea sumat magis, ac magis oblocutionem suam asseverandi. Item non peccat, qui rationabili aliqua verecundia præpeditur, ut si famulus domino, vel filius patri detrahenti non resistat, quando se nihil profuturum existimat.

Observat tamen recte Toletus c. 67. longe strictius obligari Superiores respectu inferiorum ad prohibendas detractiones, sicut & alia quæcunque peccata, proindeque verecundiam, ac pusillanimitatẽ illos a peccato mortali minime excusare, si graviter detrahẽti nõ resi-

stant,

ftant, quando id profuturum arbitrantur, imo, quamvis detrahenti nihil id prodeffet, fi alios filentio fuo fcandalizandos effe advertant.

Admonet autem S. Doct. art. 4. ad 2. detrahentem corripi poffe, non folum arguendo, fed etiam fignis quibufdam exterioribus, ut triftitia faciei, oftendendo fibi difplicere detractionem, juxta dictum Sapientis Prov. 25. *Ventus Aquilo diffipat pluvias, & facies triftis linguam detrahentem*, vel difcedendo, vel fermonem alio divertendo.

§. IX.

De judicio temerario.

1. QUoniam, ut recte obfervat Navar. cap. 18. mendacia, detractiones, aliæque hujus octavi præcepti transgreffiones ut plurimum a judiciis temerariis proficifcuntur, magnamque cum illis habent culpæ affinitatem; idcirco de iis breviter hic agendum eft.

Judicium autē hic fumimus, non prout fignificat actum proprium Judicis, quo fibi fubditis jus dicit, fed prout denotat actum intellectus, quo quilibet particularis de altero apud fe aliquid cogitat, & definit, feu ftatuit. Et eo fenfu tres veluti gradus diftinguere poffumus de judicio, quod quis de aliquo concipit. Primus eft, quo quis de alterius malo dubitat, neutram in partem inclinando. Secundus eft, cum fufpicatur, ineffe malum, & cum aliquo debili affenfu ita effe exiftimat, cum formidine tamen oppofiti. Tertius eft, quando cum pleno affenfu, & firma animi fententia ita effe judicat.

Hac obfervatione fuppofita, certum eft in primis, dubitare, fufpicari, vel judicare de proximo, effe quid indifferens in genere moris, ac bene, vel male fe habere poffe; bene quidem, fi fiat fecundum regulam rectæ rationis, male autem, fi a regula rectæ rationis aberret. Unde Chriftus Dominus S. Joan. 7. *Nolite*, inquit, *judicare fecundum faciem, fed rectum judicium judicate.*

Certum eft 2. dubitare, fufpicari, aut judicare quidpiam mali de altero, quando caufæ fufficientes ad id fuppetunt, non effe illicitum, ut communiter Theologi docent, ac præfertim Azorius to. 3. c.11. dub.3. Valentia difp. 5. qu. 4. de judicio pun. 3. Laym lib.1. de juftitia tract.3. par.2. c.2. ubi tamen recte monet, majores rationes, & clariora indicia requiri ad fufpicandum, quam ad dubitandum, & ad judicandum, quam ad fufpicandum.

2. Quæres, quænam caufæ, & rationes ad recte dubitandum, vel fufpicandum, vel judicandum de malo alterius fufficientes effe cenfeantur. Refpondetur, nullam certam regulam afferri poffe, ut recte docet Sotus l.3. de juft.q.4. a.3. & poft illum Valentia fup. pun.3. fed id judicio viri prudentis effe definiendum, confiderata conditione rei, qualitate perfonæ, aliifque circumftantiis. Quæ omnia cum in-

terdum sint valde perplexa, & involuta, ideo recte monet Laym. sæpe evenire posse, ut quis decipiatur, existimans, sufficientes sibi adesse dubitandi, suspicandi, aut judicandi rationes, quæ tamen reipsa tales non sunt, præsertim quando ex cognitione operum externorum judicatur de intentionibus, aliisque actibus internis. Unde recte concludit, longe tutius esse animum ab ejusmodi judiciis, &c. cohibere, Deoque omnia dijudicanda relinquere, nisi forte necessitas aliqua, vel utilitas propria, vel aliena nos ad id obliget, & tunc rationis, ac prudentiæ partes erunt expendere, quantum exteriores apparentiæ habeant probabilitatis, animumque cohibere, ne ultra justitiæ, aut charitatis metas progrediatur.

3. Certum est 3. judicium temerarium, seu illud, quo advertenter, ac deliberate judicatur aliquid mali de altero ex levibus, & insufficientibus rationibus, ac indiciis, esse peccatum mortale, si malum illud grave sit, ejusque famam notabiliter lædat. Ita S. Th. q. 60. art 3. Et illud est judicium, quod Christus Dom. prohibuit his verbis S. Matth. 7. & S. Luc. 6. *Nolite judicare, ut non judicemini*, ut exponit S. August. lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 18. & S. Basilius in regulis brevioribus reg. 164. Alias si malum sit leve, nec proximi famam multum lædat, non erit nisi veniale.

Cum hæc certa sint, & in confesso apud omnes, unum est, de quo non convenit inter Theologos, scilicet quale peccatum sit ex levibus indiciis, & causis suspicari aliquid mali de proximo, ut plerunque solet evenire. Tres sunt super hac quæstione sententiæ. Prima est, omnem suspicionem temerariam de gravi aliquo proximi malo esse peccatum mortale. Ita Bannes ad quæstionem 60. a. 3. Secunda est, suspicionem illam, quæ debili tantum assensu nititur cum formidine oppositi, nunquam esse peccatum mortale. Ita Cajetanus in hunc a. 3. Navarrus in rubrica de judiciis, & Ludovicus Mæratius tract. de just. & jure disp. 9. sect. 1. & 2. qui pro hac sententia citat S. Doctorem art. 3. & S. August. tract. 99. in S. Joannem, ubi dicit, genus istud suspicionis *ad humanam tentationem pertinere, sine qua vita ista non ducitur*: concluditque: *Si suspiciones vitare non possimus, quia homines sumus, judicia tamen, id est definitivas, firmasque sententias continere debemus*. Tertia denique sententia, quæ omnium probabilissima videtur, est, suspicionem temerariam non esse plerunque nisi peccatum veniale, fieri tamen posse interdum ratione gravitatis materiæ respective ad quasdam personas, ut sit mortale, v. g. si quis Prælatum Ecclesiasticum doctrina, & pietate conspicuum, ex levibus quibusdam indiciis, suspicetur esse hæreticum, aut peccatum aliquod nefandum, aut scandalosum commisisse. Ita Sotus l. 3. q. 4. art. 3. & Lessius supra dub. 3. ubi hanc sententiam fuse probat, præmissa tamen distinctione inter suspicionem illam, quæ oritur ex errore quodam intellectus,

&

& eam, quæ ex pravo affectu voluntatis, diciturque, suspicionem illam esse tantum peccatum veniale, quæ procedit ex quodam errore intellectus, quo quis apprehendit indicia tanquam sufficientia ad suspicandum de proximo aliquod malum, negligitque perspicere, & examinare, num illa sint sufficientia, esset tamen paratus ad suspicionem deponendam, si adverteret, causam illius non esse sufficientem: suspicionem vero illam esse peccatum mortale, quæ oritur ex pravo quodam affectu voluntatis, & malevolentiæ erga alterum, qua fit, ut etiamsi advertat, indicia illa non esse sufficientia, velit nihilominus permanere in sua suspicione, quæ est de gravi aliquo proximi malo, quod in maximam illius vergit infamiam.

Optime S. Aug. l. 2. de serm. Dom. in monte c. 18. *Duo sunt*, inquit, *in quibus temerarium judicium cavere debeamus, cum incertum est, quo animo quid factum fuerit, vel cum incertum, qualis futurus sit, qui nunc bonus, vel malus apparet. Si ergo quispiam v. gr. conquestus de stomacho jejunare noluit, & tu non credens id edacitatis vitio tribueris, temere judicabis. Item si manifestam edacitatem, ebriositatemque cognoveris, & ita reprehenderis, quasi nunquam ille possit corrigi, atque mutari, nihilo minus temere judicabis. Non ergo reprehendamus ea quæ nescimus, quo animo fiant, neque ita reprehendamus, quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem: vitabimus judicium, de quo nunc dicitur, Nolite judicare, ne judicetur de vobis.*

4. Quæres, utrum ea, de quibus dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem sint interpretanda. Respondetur, ex hypothesi, quod æqualia sint utrinque indicia, si judicium de proximo ferre velimus, tunc in partem meliorem, seu benigniorem esse ferendum, quia (ut docet S. Thom. art. 4. ad 1.) melius est in dubio frequenter falli bene opinando de proximo, quam male opinando semel decipi.

Monet tamen recte Lessius cap. 29. dub. 4. quando agitur de vitando aliquo damno, vel de adhibendo remedio, tutius esse dubia in deteriorem partem interpretari, non quidem existimando, proximum, v. g. esse furem, vel improbum, vel pro tali habendum esse, sed judicando, ita exterius cavendum esse, & sibi, vel alteri consulendum, ac si dubia esset ipsius proximi probitas. Ita S. Th. art. 4. ad 3. Et hac ratione, dum accipimus personam ignotam in ædes, possumus licite rebus nostris ita cavere, ac si dubia esset ejus probitas, quamvis nullo modo improbam illam judicemus. Sic etiam Superiores, quamvis quoad internum affectum erga subditos dubia in meliorem partem interpretari debeant, ad præcavendum tamen malum, & disciplinam observandam, ita se gerere possunt, ac si de illorum probitate dubitarent.

§. X.

Quot modis peccetur in octavum Decalogi praeceptum.

1. PEccant in primis contra octavum hoc Decalogi præceptum, qui deliberate mendacium aliquod proferunt, quod quidem erit mortale, si honori Divino, aut proximi bono sit perniciosum: peccant etiam, qui per hypocrisim vitæ sanctimoniam fingunt, quod peccatum adhuc gravius erit, si ex illo sequatur aliquod proximi damnum, ut si idem fiat ad disseminandos errores: item qui habitu, aut vestibus mentiuntur sexum, ut si fœmina veste virili, aut vir fœminea induatur, si id fiat propter aliquem pravum finem, aut ex eo peccati alicujus, aut scandali periculum immineat.

Peccant, qui sine legitima auctoritate Judicis sibi officium arrogant, aut illud ambiunt, quamvis legum, ac juris ignari: item Judices, qui notitiam illam juris, & legum conservare negligunt: qui de causa aliqua ad se non pertinente judicialiter cognoscere, & sententiam ferre præsumunt: qui contra allegata, & probata, aut contra leges, & jura judicant: qui formam a jure præscriptam in judicando non servant: qui sine ulla præcedenti infamia, aut aliis sufficientibus indiciis, de occulto alicujus crimine judicialiter inquirunt, reum indebite interrogant, & ad respondendum cogunt: qui favore, vel respectu aliquo humano, aut alio quovis pravo affectu a recto justitiæ tramite deflectunt, sive injustam ferendo sententiam, sive causarum expeditionem notabiliter differendo, aut aliquid aliud justitiæ contrarium faciendo, aut fieri permittendo: qui pro sententia ferenda, aliisque actibus judicialibus aliquid exigunt ultra id, quod pro justo, & honesto stipendio, ex lege vel legitima consuetudine accipere licitum est.

2. Peccant, qui crimen aliquod bono communi perniciosum non denuntiant, quando commode id possunt: qui contra alterum litem intendunt ex odio, vindictæ appetitu, aut alio quovis pravo affectu: qui fraude, aut injusto aliquo processu in litibus utuntur.

Peccant, qui ad testimonium ferendum citati, & a legitimo Judice secundum juris ordinem interrogati, aliquid falsum, aut ambiguum, & contra ipsius Judicis mentem respondent: quod & similiter de ipsis accusatis & reis intelligi debet, qui etiã præterea peccant, quando Judici legitime aliquid statuenti, aut justitiæ ministris illius jussa exequentibus resistunt, aut vim aliquam inferunt.

Peccant etiam contra hoc præceptum, qui alterius honori contumeliam irrogant, in eum verba probrosa, & injuriosa proferunt, eidem peccata occulta palam exprobrant, aut alia quævis cum irrisione, & contemptu objiciunt.

3. Peccant, qui alterius famæ secreto detrahunt, illi crimẽ aliquod fal-

falsum imponunt, aut verum malitiose adaugent, aut ejus peccatum occultum manifestant, vel recte factum perperã interpretantur: item qui recte facta alterius inficiantur, vel eadẽ extenuant, aut de illis silent, vel ea frigide, ac simulate laudant, cum ex silentio illo, & frigida. seu simulata laude sequitur aliquod in proximo famæ dispendiũ.

Item qui alterum ad detrahendum alliciunt, aut illius detractione delectantur, vel qui cum possint, & debeant, detractionem non impediunt: qui susurrationibus causant discordias: qui libellos diffamatorios scribunt, aut in vulgus spargunt, illos pravo animo legunt, asservant, aut aliis legendos tradunt.

Peccant denique, qui deliberate, ac temere aliquid mali de proximo judicant vel suspicantur: qui actiones illius honestas, vel indifferentes male interpretantur.

§. XI.

De restitutione ob hujus octavi præcepti violationem facienda.

1. DUplex restitutio occurrere potest ob hujus præcepti violationem facienda, pro duplici damno famæ, seu honoris, ac bonorum fortunæ, quod ex ea oriri potest. De utraque breviter aliquid dicendum est.

Atque in primis, quod spectat ad restitutionem bonorum fortunæ, certum est ex iis, quæ præcedenti Sectione dicta sunt, ratione mendacii, aut contumeliæ, vel detractionis, incumbere obligationem restituendi, quoties per illud mendacium, aut contumeliam illam, seu detractionem damni alicujus causa injuste data est, aliquo ex modis Sectione præcedenti explicatis.

Constat præterea, Judicem, qui sive in ferenda sententia, sive in toto judiciali processu injustitiam aliquam commisit, unde secutum est damnum innocentis, ad illius compensationem obligari: similiter & illum, qui falso alterum accusavit, aut qui falsum testimonium in judicio detulit, ad resarcienda damna inde secuta teneri.

Quod vero spectat ad restitutionem famæ, & honoris, certum est (ut ex communi Theologorum doctrina docet Sotus l.4. de just.q.6. a.3.in resp.ad 4. & post illum Valentia disp.5.q.6.de restit.pun.5.) famam ablatam restitui debere, si tres concurrant conditiones. Prima est, ut fama reipsa ablata fuerit, secunda, ut injuste ablata fuerit, tertia, ut nõ fuerit recuperata. His tribus conditionibus concurrentibus

2. Dicendum 1. eum, qui alterum infamavit, asserendo aliquid falsum de illo, ad famam illi restituendam obligari, affirmando se dixisse falsum. Ita S. Doct. qu. 62. art. 2. ad 2. & post illum Ricardus, Cajetanus, Sotus, Navarrus, & alii apud Valentiam supra, qui tamen id ita esse intelligendum existimant, si alia ratione famam alterius a se injuste læsam sufficienter reparare non possit.

Dicendum 2. illum, qui alterum diffamavit, crimen ejus verum quidem, sed occultum patefaciendo, ad famam illi restituendam obligari, non quidem dicendo se falsum dixisse; id enim esset mendacium, quod (ut ex ante dictis constat) nunquam licitum est, sed aliqua alia ratione, nimirum dicendo se male, & inconsiderate locutum fuisse, ut monet S. Doct. in resp. ad 4. vel se antea quidem existimasse id esse verum, sed postea comperisse perperam a se id esse dictum, ut censet Joannes Major in 4. dist. 15. q. 16. Sed si timeatur, ne apud personas eruditas, aut perspicacis ingenii similes loquendi modi opinionem de crimine proximi conceptam potius cõfirment, quam ex animis eorum deleant, Sotus, & Navarrus apud Valentiam existimant, tacendum esse de illo crimine, illumq; qui famæ detrimentum passus est, quacunque data occasione, de aliis rebus commendandum esse, ut sic quædam injuriæ compensatio fiat. Addit Valentia, posse etiam eum, qui verum dicendo alterum infamavit, aliqua ambiguitate, aut mentali restrictione uti ad retractandum id, quod a se dictum est: Quod tamen ultimum remedium non nisi aliis deficientibus, & in gravi aliqua famæ reparandæ necessitate cum maxima cautela videtur esse adhibendum.

3. Dicendum 3. illum etiam, qui crimen alterius occultum ab alio auditum refert, obligari ad reparationem famæ, si advertat, hoc suum dictum in aliis, ut sæpe fit, sinistram de proximo ingenerasse opinionem: quod præstare poterit sive adhibendo aliquod ex mediis supra dictis, sive ostendendo, & quantum poterit aliis persuadendo, quam incerta sint, & plerunque falsa, quæ de aliis passim audiuntur, & referuntur. Ita Sotus, Navarrus, & alii apud eundem Valentiam supra. Ratio est, quia quotiescunque damnum famæ proximi injuste illatum est, toties incumbit illius sarciendi obligatio; atqui hic, ut supponimus, tale damnum illatum est; ergo sarciendum est.

Sunt tamen aliquæ causæ ab illa restitutione famæ communiter excusantes eum, qui alterum infamavit. Prima est, si is, qui infamatus est, illi, a quo infamatus est, restitutionem famæ condonavit, nisi forte talis sit, qui condonare non debeat, quales sunt personæ illæ, quarum fama bono publico necessaria est, quam proinde negligere non debent, nec illius reparationem leviter condonare. Secunda, si id, quod aliquis contra famam alterius oblocutus est, in oblivionem abiisse prudenter existimetur. Tertia est, si ex ejus oblocutione nulla infamia secuta sit, puta quia illi, quibus occultum crimen patefecit, jam illud noverant, aut nullam fidem ejus dictis adhibuerunt. Quarta, si fama, quæ ablata est, per aliam viam sit recuperata. Quinta, si famæ illius restitutio fiat moraliter impossibilis. Sexta denique, si non possit fieri sine amissione famæ, quæ sit longe majoris momenti, ut si Prælatus aliquis, vel vir valde illustris infamaverit plebeium, non tenetur cum notabili ja-

ctura

ctura honoris sui famam illam resarcire, sed sufficit, ut id faciat eo meliori modo, quo sine propriæ famæ jactura id poterit, v. g. laudando illum eo genere virtutis, in quo infamavit, aut alia ratione secundum judicium viri prudentis. Ita Sotus, Corduba, Toletus, & alii apud Lessium l. 2. c. 11. dub. 26.

4. Quæres, utrum in eo casu, in quo fama restitui non potest, debeat pecunia compensari. Respondetur, probabile esse id, quod asserunt quidam Doctores, quos citat, & sequitur Valentia, nempe id fieri posse, ac proinde faciendum, probabilius tamen esse id, quod Navarrus, Sylvester, & alii, quos citat, & quibus subscribit Lessius sup. dub. 6. docent, nullo scilicet pecuniæ pretio famam digne compensari posse, juxta illud Prov. 22. *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ*, cum sit bonum superioris ordinis, nec proinde ad illam compensationem faciendam ullum obligari.

Quod autem de restitutione famæ dictum est, idem quoque de honoris læsi compensatione intelligi debet, quoties quis aliquam contumeliam in alium protulit, aut quocunque alio modo honorem illius injuste læsit. Tunc enim illum reparare, & personæ læsæ satisfacere debet, vel ab ea petendo veniam, aut aliquid simile faciendo, quod judicio viri prudentis honoris illius compensationi satis esse possit.

SECTIO IX.

Explicatur nonum, & decimum Decalogi præceptum.

Non concupisces uxorem proximi tui:
Non domum, non agrum, &c. & universa, quæ illius sunt.

1. Quamvis ea, quæ his duobus ultimis Decalogi præceptis prohibentur, jam sexto, & septimo prohibita esse videantur, in quibus, ut in aliis, vetantur non solum actus exteriores, sed etiam interiores Divinæ legi repugnantes; nihilominus (ut recte observat S. Doctor 1. 2. qu. 120. ar. 4. & 5.) non sine maxima ratione hæc duo ultima præcepta Deus subjunxit aliis præcedentibus; tum ut legum suarum perfectionem, & ab humanis legibus differentiam ostenderet, *Leges siquidem humanæ* (ut loquitur Catechismus Romanus par. 3. c. 20.) *rebus tantum externis contentæ sunt, Divinæ vero ipsam animi puram, sinceramque castitatem, atque integritatem requirunt*: tum etiam ut expressius moneret, quam cauti, & soliciti esse debeamus in devitandis illis peccatis, quæ sola cogitatione, & animi proposito committuntur, cum, ut habetur in Concil. Trident. sess. 38. ca. 5. *Nonnunquam animum gravius saucient, & periculosiora sint iis, quæ in manifesto admittuntur.*

Docet autem Catechismus Romanus supra, hoc duplici præcepto

non prohiberi illam concupiscendi vim, quæ nobis a Deo ut auctore naturæ indita est, sed pravum illius usum, & effrænatam illam cupiditatem, quæ fines a recta ratione constitutos transgreditur, sive res malas appetendo, ut adulteria, ebrietates, &c. sive res quidem bonas, sed injuste, & inordinate desiderando. Quæ quidem cum satis constent ex iis, quæ præcedentibus Sectionibus explicata sunt, hic breviter adjungemus modos aliquos, quibus Romanus Catechismus declarat hæc duo ultima Decalogi præcepta posse violari.

2. Atque in primis docet, peccare in nonum Decalogi præceptum, non modo illum, qui alterius uxorem adultero affectu concupiscit, sed etiam qui eam sibi matrimonio jungi præmaturo, & inordinato affectu optat, tum propter illius desiderii perversitatem, tum etiam propter periculum, ne ex illo inducatur ad optandam viri mortem, aut illegitimum uxoris ejus complexum concupiscendum. Quod quidem non solum de mulieribus conjugatis, sed etiam de aliis, quæ alteri desponsatæ sunt, intelligendum esse dicit. Has siquidem concupiscere non licet: sicut nec pacta sponsaliorum rescindere, nec fidem datam violare licitum est.

Quod vero spectat ad decimum, & ultimum præceptum, docet idem Catechismus, in illud peccare præsertim eos, qui nimis avide divitias expetunt, alienis opibus inhiant, qui modis pravis, & illicitis artibus opes augere concupiscunt, qui lucri captandi gratia erga ludos aleæ immoderate afficiuntur.

3. Peccare item mercatores, qui rerum penuriam, annonæque caritatem optant qui ægre ferunt, ut sint alii præter ipsos, qui vendant, aut emant, quo ipsi carius vendere, aut vilius emere possint: qui alios egere cupiunt, ut vendendo, & emendo magis lucrentur: similiter & milites, qui militiæ nomen dant, aut bellum expetunt, ut impune furentur: Medicos etiam, qui morbos aliorum exoptant: Advocatos, Procuratores, & etiam Judices, qui lites multiplicari, & protrahi cupiunt: artifices denique, qui quæstus avidi earum rerum, quæ ad vitam, aliasque vitæ necessitates pertinent, penuriam exoptant, ut inde plurimum lucrifaciant.

Porro quam noxia sint, & perniciosa hæc prava, & inordinata desideria, si deliberato animo foveantur, testatur Apostolus his verbis, 1. Timoth. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.*

Atque hactenus de Legis Divinæ præceptis ad ipsius supremi, optimi, & maximi Legislatoris majorem laudem, & gloriam.

CA-

CAPUT QUINTUM.

De Præceptis Ecclesiæ.

Ecclesiæ præcepta quinque communiter numerantur, ut videre est apud Petrum Canisium in summa doctrinæ Christ. c.3. in quorum primo, & secundo sanctificatio dierum festorum, & in iisdem diebus Missæ auditio præscribitur, in tertio jejunium certis diebus servandum injungitur, in quarto, & in quinto Confessio Sacramentalis semel saltem in anno facienda, & sacra Eucharistia saltem in Paschate sumenda præcipitur. Et de primo quidem, & secundo egimus supra in explicatione Decalogi, quartum, & quintum etiam explicavimus in tractatu de Sacramentis. Quare nunc de solo tertio, scilicet jejunii servandi præcepto aliquid dicendum nobis superest.

SECTIO UNICA.

Explicatur tertium Ecclesiæ præceptum, quod est de Jejunio.

§. I.

Quid ad debitam Jejunii observationem requiratur.

1. Jejunii nomen tribus modis accipi solet. Primo pro abstinentia a vitiis, & peccatis, juxta illud S. August. *Jejunium magnum, & generale est abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejunium.* Secundo pro abstinentia a quolibet cibo, & potu, diciturque jejunium naturale, quale requiritur ex præcepto Ecclesiastico ad sumptionem Eucharistiæ, ut supra dictum est tract. de Sacr. ca. 5. Tertio denique pro abstinentia quadam, & cibi subtractione secundum formam ab Ecclesia præscriptam, & vocatur jejunium Ecclesiasticum; de quo proposita quæstio intelligenda est. Pro cujus resolutione

Dicendum est, tria præsertim requiri ad debitā jejunii Ecclesiastici observationem. Primum est ciborū delectus, seu abstinentia a carnibus, ut docet S.Tho.2.2.q.147.ar. 8. & constat ex perpetuo Ecclesiæ usu, & traditione, cujus testes sunt S.Basil.ho.1.de jejun. S. Aug. l. 20. cont. Faust.c.5.& alii plurimi apud Azor. l.1. c.10. quæsit.6. Quamvis autem non a carnibus solum, sed etiam ab iis, quæ a carne procedunt, ut ab ovis, & lacticiniis in diebus jejuniorum esset abstinendum, ut habetur ex rescripto S. Gregorii Papæ ad August. Anglorum Episcopum, imo in quibusdam solemnioribus jejuniis, v.g. sex diebus hebdomadæ sanctæ, cibis tantum aridioribus, pane videli-

cet, aqua, & oleribus vesci liceret, ut testatur S. Clemens l. 5. c. 17. & S. Epiphanius hæresi 75. Ecclesia tamen ob causas rationabiles de pristino illo rigore nonnihil remisit, & abstinentiam illam strictiorem cujusque devotioni relinquens, in Quadragesima quidem universim a carnibus, & ovis abstinendum esse censuit, lacticiniorum usum in plerisque locis indulsit, in aliis autem jejuniorum diebus per annum etiam ovorum usum concessit. De quibus tamen ut recte monet Bonacina, quæst. 1. de præc. Eccl. pun. 2 consuli debet, & servari cujusque loci legitima consuetudo, quæ est optima legum Ecclesiasticarum interpres.

2. Secundum est unica in die refectio, ut docet Sanctus Thomas sup. art. 6. & communiter cum illo Theologi omnes. Quod melius probari non potest, ut observat idem S. Doctor, & post illum Bonacina supr. puncto 3. quam ex perpetua, & universali Ecclesiæ praxi, cum nullum super hac re decretum reperiatur.

Tertium denique est certum refectionis tempus, ita ut refectio illa unica non prandii, sed cœnæ rationem obtineat, ut tradit idem San. Doct. supra art. 7. & constat ex Sanct. Ambrosio serm. 8. in Psal. 118. & ex S. Gregorio hom. 36. in Evangelia. Et olim quidem aliis jejuniorum diebus hora nona, quæ est tertia post meridiem, erat ordinarium solvendi jejunii tempus, in Quadragesima vero usque ad vesperam prorogari solebat, ut testatur S. Bernardus serm. 3. Quadrag. *Hactenus*, inquit, *usque ad horam nonam jejunavimus soli, nunc, tempore Quadragesimæ scilicet, usque ad vesperam jejunabunt pariter universi Reges, & Principes, Clerus, & Populus, nobiles, & ignobiles, simul in unum dives, & pauper.*

Ecclesia tamen his posterioribus sæculis, tū ob infirmitatem corporum, quæ mundo ipso senescente, minus vigoris retinent, tum ob alias rationes tacito consensu indulsit, ut hora illa vespertina licite anticiparetur, & in Quadragesima, diebusque aliis præscriptis, circa meridiem jejunium solvi posset, atque ut præter illā refectionē modicū aliquid cibi sero per modum cœnulæ, seu collatiunculæ, ut vocant, sumeretur. Ita docent Navar. Armilla, Less. Azor. Regin. Tolet. & alii apud Bonacinam, supr. pun. 3. & 4. Diximus, *modicum aliquid cibi*. Qui enim notabiliter excederet, haud dubie jejunium frangeret.

3. Porro quantum cibi sumere liceat in ejusmodi cænula, difficile est determinare. Azorius, & alii apud Bonacinam sentiunt, quantitatem trium, vel quatuor unciarum panis, & fructuum licite sumi posse: Reginaldus apud eundem existimat, non esse notabiliter excedendam quartam partem eorum, quæ ipsi jejunanti ad ordinariam cœnam sufficerent: Toletus omnium optime censet, in eo spectandum esse morem locorum, prout a piis, & timoratis personis servari solet jejunium, & intra illius limites unumquenque licite, ac tuto continere se posse.

Re-

Recte autem monet Laymannus, caute intelligendum esse id, quod docet Cajetanus c. 1. de observ. jejun. verbo *jejunium*, non referre, quid quisque in serotina cœnula sumat, si modum non excedat, additque, consuetudinem Ecclesiæ a piis, & timoratis servatam hanc esse, ut in cœnula illa serotina non modo quantitas, sed etiam qualitas, & delectus ciborum observetur, utque nihil aliud cum pane, nisi fructus aliquot, vel oleæ in modica quantitate sumantur, neq; sibi probari, quod aliqui nimis liberaliter adhibent placentas, & alia similia obsonia butyro frixa, & quemvis jusculi cocti usum, nisi hoc fiat urgente præsertim aliqua infirmitate.

4. Ex dictis colligitur 1. crebriore potus sumptione non solvi jejunium, ut docet S. Th. sup a. 6. ad 2. licet, si quis temperantiæ modum in potu excederet, haud dubie peccaret, graviter quidem, aut leviter, pro ratione gravitatis, vel levitatis excessus.

Infertur 2. neque etiam solvi jejunium, si aliquid sumatur per modum medicinæ, nisi forte, ut observat S. Doctor supra ad 3. in fraudem jejunii aliquid ejusmodi sumatur in notabili quantitate.

Infertur 3. lectores, & ministros mensæ in Monasteriis, aliisque Communitatibus aliquid præsumentes non peccare, nec ideo ab illis jejunium solvi, ut ex Navar. & Cajet. docet Lessius l. 4. c. 2. dub. 2. cum id ab eis fiat veluti inchoando prandium: sicut etiam jejunium non solveret is, qui v. g. ob negotium aliquod a mensa avocaretur, & refectionem inchoatam interrumperet, & postmodum negotio absoluto, ad mensam rediret, & prandium, seu cœnam perficeret.

Quæres, utrum anticipare notabiliter horam refectionis in die jejunii sit peccatum mortale. Navarrus, & quidam alii affirmant: Toletus tamen, & plures alii, quos citat, & sequitur Lessius supra, non nisi veniale peccatum committi existimant, imo dicunt, nullum fore peccatum, si justa aliqua causa subsit, sicut nec si vespertina cœnula mane, vel meridie urgente aliqua causa rationabili sumeretur, cœna in vesperam dilata.

§. II.

Quæ sit obligatio jejunii.

1. Certum, & indubitatum est apud omnes Catholicos, præceptum Ecclesiasticum jejunii obligare ad sui observationem sub peccato mortali, ut ex communi Theologorum consensu docet Les. sup. dub. 5. probatq; ex eo, quod can. 68. Apostolorum, & can. 56. sexti Concilii generalis, item can. 19. Concilii Gangrensis, & pluribus aliis, violatores jejunii excommunicationis pœna plectuntur, quæ tamen ab Ecclesia nunquam nisi ob peccatum aliquod mortale infligi solet, ut infra suo loco explicabitur, unde sequitur, illum peccare mortaliter, qui absque legitima causa jejunium aliquod ab Ecclesia præscriptum frangit.

Ve-

Verum difficultas est, quas personas, & quibus temporibus præceptum illud obliget. Quod spectat ad primum, docet S.Th. a.4. omnes Christianos, cujuscunque sint dignitatis, aut perfectionis, præcepto jejunii obstringi, nisi justa aliqua causa excusentur. Unde etiam in Concilio Viennensi, ut habetur c. *Ad nostrum*, de Hæreticis, inter alia prava Beguardorum, & Beguinarum dogmata, damnatum est tanquam hæreticum illud, quo afferebant, solos imperfectos ad jejunia obligari, perfectos vero ab illis exemptos esse.

2. Diximus, *nisi justa aliqua causa excusentur*. Sunt enim causæ aliquæ, ob quas excusari potest quivis ab observatione jejunii: quæ communiter ad tria capita reduci possunt, ut videre est apud Lessium, Bonacinam, Navarrum, & alios locis supra citatis, scilicet impotentiam, laborem, & pietatem.

Ratione impotentiæ excusantur illi, qui sine gravi aliquo incommodo, vel notabili damno jejunare non possunt: ut infirmi, convalescentes, debiles, accedente præsertim Medicorum judicio: item mulieres prægnantes, & lactantes, item pauperes, qui non habent, quod eis ad unicam comestionem commode sufficiat: ob eam causã excusantur pueri, & adolescentes usque ad annum vigesimum primum completum, ut docet S. Th. ar. 4. & post illum Abulensis, Navarrus, Azorius, Lessius, Reginaldus, Toletus, & plures alii apud Bonacinam sup. punct. ultim. & excusantur etiam senes, præsertim sexagenarii, quos tamen ab hac jejunii observatione minime exemptos esse, docet Abulensis apud Bonacinam supra, si ita robusti sint, ut certum sit, eos ex jejunio nullum detrimentum in viribus corporis pati: sicut e contra Lessius sup. & alii, quos citat, existimant, etiam ante illam ætatem eximi licite posse a jejunio illos, in quibus vires, & calor naturalis notabiliter minui incipiunt. Quod si dubitetur, an ejusmodi senes satis virium habeant ad incommoda jejunii ferenda, tunc ad illud servandum minime censentur obligati, præsertim in præfata ætate sexagenaria, ut docet idem Lessius sup.

3. Ratione laboris eximuntur illi, qui tali labore victum sibi comparant, cum quo jejunium viri prudentis judicio consistere non potest, quales sunt agricolæ, fabri ferrarii, & similes operarii, sive divites sint, sive pauperes, ut ex declaratione Eugenii IV. docet Les. sup. Imo Abulensis, Azor. & alii apud Bonacinam censent, ejusmodi operarios excusari a jejunio, non solum die illo, quo laborant, sed etiam eo, quo laborem intermittunt, si jejunãdo laborem præcedentis, aut sequentis diei sine gravi incõmodo ferre non possint: Simili ratione excusantur viatores, præsertim pedibus iter facientes, ob aliqua negotia, quæ commode differri nequeunt, quando itineris laborem simul cum jejunii molestia sine gravi incommodo ferre non possunt.

Qui vero solius delectationis gratia, puta venationis, & deambulationis, iter alioquin longũ susciperent, non excusarentur, cũ in aliud

tem-

tempus differrre possent: sicut nec artifices, nec operarii illi, quorum labor exiguus est, & facile cum jejunio tolerari potest, quales Bonacina dicit esse tonsores, pictores, sartores, &c.

Demum ratione pietatis excusantur omnes, qui operibus præstantioribus, vel majoris momenti incumbunt, quæ una cum jejunio absque gravi incommodo perficere non possunt, qualia sunt opera misericordiæ corporalis, vel spiritualis, item opera religionis, ut concionari, docere, Sacramenta ministrare, ornare Templa, &c.

4. Porro cum dicimus, hos, vel illos a præcepto jejunii excusari, id intelligi debet, quatenus per illud præceptum unica solum refectio præcipitur, non vero quatenus carnium, & aliorum hujusmodi ciborum usus prohibetur. Qui quidem rarius concedi solet, nec nisi ratione gravioris alicujus necessitatis, quæ si evidens sit, & urgeat, potest quis carnibus, & aliis cibis vetitis licite vesci, etiam absque ulla dispensatione, quando Superior commode adiri non potest, quod si necessitas non urgeat, vel de illa non tam evidenter constet, dispensatione Superioris opus est, ut docet Lessius dub. 6. Qui addit ex Toleto, iis, quibus carnium usus conceditur, etiam censeri permissam secundam refectionem, quod tamen recte limitat idem Lessius, si ratione alicujus infirmitatis, aut debilitatis id concessum sit, non autem, si ea solum de causa, quia aliquis a piscibus abhorret, vel quia pisces ejus temperamento nocere censentur. Tunc enim nulla subest causa, cur secunda refectio concedatur.

Quod spectat ad tempora jejuniorum, quæ ab Ecclesia præscripta sunt, antiquissimum, & apud SS. Patres maxime testatum, & commendatum semper fuit jejunium Quadragesimæ, quod quidem teste S. Ignatio epistola ad Philippenses, & Hieron. ep. 54. ad Marcellam, & S. Leone ser. 9. de Quadragesima, ab Apostolis institutum est, ad exéplum Christi Domini. Hoc autem jejunium a feria 4. Cinerum usque, ad Sabbatum sanctum inclusive observari debet, solis diebus Dominicis exceptis, in quibus sola a carnibus abstinentia servatur. Unde mortaliter peccant, qui feria quinta hebdomadæ sanctæ solvunt jejunium, qui abusus in Conc. Laodiceno can. 50. omnino improbatur, ubi dicitur: *Non oportet in Quadragesima quinta feria ultimæ hebdomadæ jejunium solvi, & totam Quadragesimam inhonorari.*

5. Præter Quadragesimale jejunium, religiose observatum fuit in universa Ecclesia jejunium quatuor temporum, quod quidem vel ab ipsis Apostolis, vel non multo post Apostolorum tempora institutum fuit, ut variis SS. Patrum testimoniis probat Laym. c. 2. de observat. jejun. Alia etiam jejunia indicta sunt in vigiliis quarundam festivitatum solemniorum Christi Domini, SS. Virginis Deiparæ, Apostolorum, aliorumque Sanctorum: de quibus consulendæ sunt locorum leges, & consuetudines, & id observandum, quod in qualibet Regione, seu Diœcesi lex, seu consuetudo legitima præscribit. Si tamen

vigi-

vigiliæ alicujus jejunium incideret in diem Dominicam, anticipari deberet præcedenti sabbatho, ut habetur cap. *Ex parte*, de observatione jejuniorum, & ex communi Ecclesiæ usu satis constat.

Singulis quoque hebdomadibus, diebus Veneris, & Sabbathi a carnibus abstinendum est, ut constat ex communi Ecclesiæ praxi, & habetur cap. *Quia dies*, dist. 5. de consecr. & cap. ult. de observat. jejun. ubi tamen excipitur, si festum Natalis Dom. in feriam 6. incidat. In illo enim casu *Illi, qui nec voto, nec Regulari observantia obstricti sunt*, ut loquitur Innocentius III. propter festi excellentiam carnibus vesci possunt, secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis, nec tamen reprehendi debent, qui ob devotionem voluerint abstinere. In aliquibus etiam Galliæ nostræ partibus concessus est esus carnium diebus Sabbathi a Christi Domini Natali usque ad Purificationem.

Servatur etiam abstinentia a carnibus in Festo S. Marci, & in triduo Rogationum: quod quidem jam olim in Romana Ecclesia usitatum fuisse, testatur Ordo Romanus cap. de Litan. major.

§. III.

Quot modis peccetur in hoc Ecclesiæ præceptum.

1. PEccant in primis, qui absque justa causa, aut legitima dispensatione in diebus ab Ecclesia præscriptis non jejunant, aut jejunium inchoatum solvunt, & qui abstinentiam violant, carnibusque, aut aliis cibis vetitis vescuntur, cum hac tamen differentia, quod quoties quis edit cibos vetitos, toties peccet mortaliter, qui vero per secundam refectionem jejunium violavit, non amplius peccet, saltem mortaliter, si postea pluries comedat, ut ex communi Theologorum consensu docet Laym. supra cap. 1.

Peccant quoque mortaliter, qui in die jejunii crebrius comedunt aliquid, licet in exigua quantitate. Quamvis enim, ut dicit Lessius supra dub. 2. semel, vel iterum paucas bucellas extra refectionis tempus comedere non sit nisi peccatum veniale; si tamen id crebrius fiat, puta septies, vel octies; censebitur esse mortale, quia crebræ illæ comestiunculæ æquivalent notabili refectioni.

Peccant etiam, qui in cœnula, seu collatiuncula vespertina notabiliter excedunt ultra, quam jejunii ratio exigit, prout a piis, & timoratis servari solet.

2. Peccant, qui alios ad jejunium violandum inducunt persuasionibus, irrisionibus, aut alio quovis modo: item caupones, qui cœnam, seu alteram refectionem apponunt iis, quos probe sciunt ad jejunium obligari, quod quidem intelligendum est, ut monet Lessius dub. 4. quando absque gravi aliquo suo incommodo illis negare possunt, & etiam quando nullum inde scandalum secuturum vident,

alias,

alias, si timeatur, ne ii, quibus cœna negatur, gravius Deum offendant, blasphemias, & convicia proferendo, aut aliquid simile faciendo, poterit illis apponi. Qua ratione dicit Lessius, interdum excusari patres, aut matres familias cœnam famulis, & domesticis in die jejunii permittentes, ne si denegetur, gravius Deum offendant, alias si nihil simile timeatur, permittere non debere, ne peccatis eorum cooperentur.

Ad hoc præceptum quoque reduci potest peccatum eorum, qui temperantiæ, & sobrietatis in cibo, & potu limites transgrediuntur, etiam in illis diebus, in quibus nulla est jejunandi obligatio: qui se cibis ingurgitant, unde notabile damnum in sanitate percipiunt: qui ex nimio potu inebriantur, seipsosque usu rationis per ebrietatem privant: qui alios ad largius bibendum inducunt, unde sequuturam prævident ebrietatem, quod quidem ebrietatis peccatum eo gravius est, si ex illo alia peccata secutura prævideantur, puta blasphemiæ, immunditiæ, & similia.

CAPUT VI.

De Censuris Ecclesiasticis, & Irregularitate.

CEnsuræ nomen ex veteri Romanorum jure desumptum, ab Ecclesia usurpatum est ad significandam pœnam spiritualem, per quam homo baptizatus delinquens, ac contumax, auctoritate ipsius Ecclesiæ, bonorum quorundam spiritualium usu privatur, ut docet, & fuse explicat Suar. disp. 1. de Cens. sect. 1. & plenius ex infra dicendis intelligetur.

SECTIO I.

De Censuris in communi.

CUm plurima sint, & varia, quæ de Censuris in genere a Theologis disputantur, nos pro ratione instituti nostri seligemus ea, quæ cognitu magis necessaria, aut utilia visa sunt, & paragraphis sequentibus breviter explicabimus.

§. I.

In quibus personis resideat ferendarum Censurarum potestas.

1. DIcendum est, potestatem ordinariam ferendi Censuras residere in Prælatis Ecclesiæ jurisdictionem in foro exteriori non impeditam habentibus, ac proinde in Summo Pontifice respectu omnium Christianorum, præterea in Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, respectu sibi subditorum, ut docet S. Th. in 4. dist. 18. q. 2. a. 2. & satis constat ex perpetuo usu totius Ecclesiæ.

Ean-

Eandem etiam potestatem ferendi Censuras obtinet Legatus a latere Summi Pontificis, ut habetur ex c. *Legatus*, de officio Legati in 6. Item Vicarius Papæ, aut Episcopi, ut Theologi communiter docent, & habetur ex cap. *Licet*, de officio Vicarii. Docet etiam Suarez, quem citat, & sequitur Bonac. q. 1. de Cens. pun. 2. eandem potestatem habere Capitulum Sede vacante, & ipsius Capituli Vicarium: item Abbates, Provinciales, & alios Regularium Præpositos, ac Superiores habentes potestatem in foro exteriore respectu sibi subditorum.

2. Hæc autem potestas ferendi Censuras ab Ordinariis delegari potest cuilibet Clerico privilegiis Clericalibus gaudenti, ut habetur ex c. ult. de Officio Ordinarii; non vero laico, quamvis Religioso, nec etiam Clerico conjugato, ut ex communi Theologorum consensu docet Bonacina sup. ac multo minus fœminæ, ut habetur ex c. *Delicta*, de majoritate, & obedientia, & fusius explicat, & probat Suarez disp. de Cens. sect. 3.

§. II.

In quasnam personas Censuræ ferri possint.

1. Dicendum est ferri posse in omnes, & quascunque personas baptizatas rationis, & doli capaces, in statu viæ existentes, illiusque subditas, a quo Censuræ feruntur.

Dicitur 1. *personas illas, quæ Censuris feriri possunt, debere esse baptizatas*, alias Ecclesia in eas nullam obtinet jurisdictionem, juxta illud Apostoli, 1. Cor. 5. *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* quod etiam constat ex c. *Gaudemus* de divortiis, c. *Judæis*, dist. 45.

Dicitur 2. *rationis, & doli capaces*. Censura enim est peccati pœna; peccatum vero præsupponit peccatorem esse rationis, & doli capacem. Unde infert Suarez, & post illum Bonac. q. 1. de Cens. pun. 4. etiam impuberes, si doli capaces sint, posse Censuris plecti: quamvis id fieri non soleat, nisi postquam pubertatis annos attigerint.

Dicitur 3. *in statu viæ existentes. Non enim* (ut recte observat Gratianus causa 24. q. 2.) *Dominus dixit, Quæcumque ligaveritis sub terra, sed super terram, ostendens scilicet, quod viventes pro varietate meritorum suorum solvere possumus, vel ligare, de mortuis autem sententiam ferre non possumus, sed* (ut ait S. Leo Ep. 90. ad Rusticum) *horum causa Dei judicio reservanda est*.

2. Potest quidem Ecclesia, vel Prælatus declarare, mortuum aliquem, dum viveret, Censuras incurrisse, easque adversus eum executioni mandare, v. g. privare illum Ecclesiastica sepultura, vetare, ne pro illo suffragia, aut sacrificia offerantur: & e contra si aliquis excommunicatus moriens contritionis, & pœnitentiæ signa exhibuit, a pœna illius excommunicationis illum eximere, non quidem absolvendo, sed permittendo

aliis,

aliis, ut eum in loco sacro sepeliant, ac pro illo suffragia, & sacrificia offerant.

Dicitur denique, *subditas ejus, a quo Censuræ feruntur*. Sicut enim nullus potest legibus suis, aut decretis illum obligare, qui non est sibi subditus, sic nec illum ad ea pœnis cogere, vel renuentem Censuris punire.

§. III.

Ob quam causam Censuræ infligantur.

1. Dicendum est, Censuras infligi ob peccatum mortale exterius, opere completum, cum contumacia. Dicitur 1. *ob peccatum*, quia pœna, ut juste infligatur, supponit culpam, cũ innocens juste puniri non possit. Unde, ut ex communi Theologorum consensu docet Bonac. sup. pun. 2. ubi non est peccatum, ibi nullus est Censuræ locus.

Dicitur 2. *mortale*, quod intelligi debet de Censuris gravioribus, puta excommunicatione majori, suspensione ab Ordine, interdicto generali, &c. Ejusmodi enim pœnæ, cum sint gravissimæ, non nisi ob culpam gravem infligi possunt, ut docent Navarrus, Suarez, & plures alii apud Bonac. sup. & habetur ex c. *Nemo Episcoporum*, & c. *nullus Sacerdotum* 11. q. 3. & ex Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de refor. Unde sequitur, ut recte observat Laym. cap. 5. de Censuris in communi, nullam incurri Censuram graviorem, quandocunque ob ignorantiam aliquam, aut inadvertentiam, seu imperfectionem actus peccatum commissum non censetur esse mortale.

Quod autem spectat ad Censuras minus graves, ut excommunicationem minorem, suspensionem levem, pro levioribus interdum, & venialibus peccatis infligi possunt, ut ex Suarez, Toleto, & aliis docet idem Bonacina supra.

Dicitur 3. *exterius*, quia ob peccatũ mere internum Censura infligi non potest, cum Ecclesia de rebus occultis, & mere internis non judicet, ut docet Sotus, Sylvester, Suarez, & plures alii apud Bonac. supra, & habetur ex cap. *Erubescant*, & cap. *sicut suis*, de Simonia.

Dicitur 4. *opere completum*. Ad incurrendam enim Censuram requiritur effectus completus, quem Legislator intendit Censura punire. V. g. si quis ex voluntate occidendi Sacerdotem, sagittam in eum projiciat, sed illum non attingat, tunc, quamvis graviter peccaverit, non incidit tamen in excommunicationem latam contra percussores Clericorum.

Dicitur 5. *cum contumacia*. Cum enim censura sit *pœna medicinalis*, ut dicitur cap. 1. de sententia excomm. non infligitur per modum ultionis, & vindictæ, sed exhibetur per modum medicinæ, ad hominem a peccato avertendum, & ex consequenti præsupponit semper admonitionem aliquam præcedentem, quæ sine contumacia respui

non potest. Et de excommunicatione quidem consentiunt omnes, ut videre est apud Bonacinam sup. de reliquis vero Censuris idem etiam docet Suarez, Ægidius, & alii apud eundem Laym. cap. 5. de Cens. & constat ex cit. cap. 1. de sententia excomm.

§. IV.

Quæ forma in ferendis Censuris observanda sit.

1. FOrma in Censuris ferendis observanda secundum communem Ecclesiæ praxim duo requirit. Primum est, ut admonitio aliqua præcedat, ut habetur ex c. *Sacro*, de sententia excomm. & ex c. *Reprehensibilis*. de appellationibus, & ex c. *Statutum*, de sententia excomm. in 6. Ratio est, quia Censura fertur tantum in contumaces contra Ecclesiam, vel Superiorem, ut supra dictum est; nisi autem admonitio aliqua præcedat, non potest quis censeri contumax. Hæc est autem differentia inter Censuras, quæ incurruntur vi alicujus legis, aut constitutionis, & eas, quæ infliguntur ab homine, quod illæ non requirant admonitionem distinctam ab ipsa lege, vel constitutione, quæ eo ipso, quo promulgatur, vel notificatur, sufficientem admonitionem continere censetur, hæ vero expressam, & distinctam admonitionem requirunt, ut docent Suarez, Filliucius, & alii apud Bonac. supra punct. 9.

Triplex autem regulariter admonitio præmitti debet tribus distinctis dierum aliquorum intervallis, ut habetur ex cap. *Omnes decimæ* 15. q. 7. cap. *Constitutionem*, de sententia excomm. in 6. nisi necessitas aliqua, aut rationabilis causa trinam illam admonitionem, aut plurium dierum intervallum impediat, ut habetur ex citato capite de sententia excomm.

2. Secundum est, ut Censura feratur in scripto, quo exprimatur species Censuræ, quæ infligitur, nomen illius, cui infligitur, & causa, ob quam infligitur; alias ferens Censuram solo verbo sine scriptura mortaliter peccat, ut ex communi Doctorum consensu docet Bonac. sup. pun. 8., incurritque suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem, quam etiam suspensionem incurrit is, qui parti petenti sententiæ latæ exemplar non concedit intra mensem, ut habetur ex c. *Cum medicinalis* de sent. excomm. in 6. Eximuntur tamen ab hac suspensionis pœna Episcopi ferentes Censuram sine scripto. Non enim in citato cap. fit mentio Episcoporum; quando autem in Censuris suspensionis, vel interdicti non fit expressa mentio Episcoporum, certum est, Episcopos iis non obligari, ut habetur ex c. *Periculosum*, de sent. excomm. Eximuntur etiam ab hac pœna quicunque Superiores ferentes Censuras sine scripto, quando id solummodo faciunt ob urgentem aliquam, & justam causam; ut observat idem.

dem Bonacina, qui etiam recte monet, quod, quamvis nulla ejusmodi causa urgente illicitum sit Censuram aliquam ferre sine scripto, hæc tamen Censura valida est.

§. V.

Quænam causæ ab incurrendis Censuris excusent.

1. QUatuor præcipue a Theologis numerantur. Prima est ignorantia invincibilis, seu inculpabilis tum juris, tum facti. Atqui in primis communis est Doctor. sententia, ignorantiam inculpabilem juris excusare ab incurrenda quavis Censura, cum quis scilicet inculpabiliter ignorat prohibitionem aliquam, aut legem latam esse a jure, vel ab homine. Ratio est, quia ad incurrendam Censuram requiritur contumacia; sed ubi adest ignorantia ejusmodi inculpabilis, nulla committitur contumacia; ergo nec ulla Censura incurritur. Ita Sylvester, Navar. Henriq. Filliuc. Suar. & alii apud Bonac. q. 3. pun. 1. & habetur ex c. 2. constit. 6. Unde colligitur, illum, qui scit quidem, delictum aliquod esse Divina lege vetitum, sed nescit, illud esse quoque ab Ecclesia speciali lege prohibitum, si delictum illud committat, quamvis alioquin graviter peccet, nullam tamen Censuram incurrere, ut Doctores supra citati docent.

Quod autem etiam ignorantia facti, seu qualitatis facti excuset a Censuris incurrendis, afferunt iidem Doctores, & plures alii apud eundem Bonacinam, & constat tum ex cap. *Si vero 2.* de sent. excom. tum etiam ex eo, quod ejusmodi facti, vel qualitatis facti ignorantia interveniente, nulla quoque adsit adversus Ecclesiam contumacia. Unde patet, qui occiderit Sacerdotem putans se occidere hominem laicum, quamvis graviter peccet, non tamen incurrere excommunicationem.

Addit idem Bonacina ex Suarez, Navarro, & aliis, quos citat, etiam ignorantiam pœnæ, id est Censuræ, excusare ab ipsa Censura incurrenda: v. g. illum, qui sciret quidem, Sacerdotis percussionem esse Divina, & Ecclesiastica lege prohibitam, sed ignoraret sub excommunicationis pœna prohibitam esse, si Sacerdotem percutiat, quamvis peccet, nullam tamen incurrere excommunicationem.

2. Secunda causa excusans ab incurrendis Censuris est appellatio juste, & debite facta. Quæ tamen causa locum habet solummodo in Censuris illis, quæ sub conditione feruntur, ut quando Judex, vel Prælatus inferior præcipit alicui sub interminatione Censuræ, ut aliquid faciat, vel omittat. In ejusmodi enim causa, si appellatio ad Superiorē fiat ante conditionis illius positionem, excusabit ab incurrenda Censura, non vero, si postquam conditio illa posita fuerit. Ita Sylvester, Henriquez, Navarrus, & plures alii apud Bonac. supra,

E.g. præcipitur alicui sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ ut compareat coram Judice Ecclesiastico intra tres dies, si ab ea sentētia ex causa aliqua rationabili appellet āte tres illos dies expletos, appellatio impedit, quominus incurrat excommunicationem, non impedit autem, si post tres illos dies appellationem differat.

3. Tertia causa est impotentia id faciendi, quod sub Censuræ alicujus interminatione faciendum præcipitur, sive impotentia illa sit Physica, sive Moralis tantum, quando scilicet aliquis vel nullo modo, vel sine gravi aliquo incommodo id facere non potest: quod similiter dici debet, quando quis ob metum aliquem gravem, & cadentem in constantem virum, ejusmodi præcepto non obtemperat, quia (ut Navarrus, Suarez, Filliucius, & alii apud Bonacinam docent q. 2. pun. 5.) Ecclesiæ præcepta benigne sunt accipienda, nec credibile est, illam cum tanto rigore obligare velle; proindeque, cum hujusmodi impotentia, vel metus a contumacia excuset, excusat etiam a quavis Censura incurrenda.

Quarta denique causa est voluntas, & intentio illius, in cujus favorem lata est Censura aliqua: V. g. si quis creditor ab Ecclesiastico Judice obtineat sententiam excommunicationis adversus debitores suos, nisi intra sex menses restituant, proroget vero postea, inscio illo Judice, terminum illum usque ad annum, debitores illi non nisi post annum elapsum incurrent excommunicationem, ut supra citati Doctores asserunt apud eundem Bonacinam supra.

§. VI.

Quis absolvere possit a Censuris, & quæ requirantur dispositiones in eo, qui absolvitur.

1. A Censuris, quæ nemini reservantur, absolvere potest quilibet potestatem habens absolvendi a peccatis mortalibus, ut docent Navar. Sot. Suar. & alii apud Bonac. qu. 3. pun. 1. a Censuris vero reservatis absolvere potest, qui eas tulit, vel ejus Superior, aut Successor, aut Delegatus, ut ex communi Doctorum consensu docet idem Bonacina, & habetur ex c. *Perpetua*, & ex cap. *Sacro*, de sentent. excomm. Immo Episcopi a quibusvis delictis annexam Censuram Papæ reservatam habentibus absolvere possunt, dummodo delicta sint occulta, id est non sint publica, vel notoria, aut famosa, nec deducta ad Forum contentiosum, ut ex communi Doctorum sententia docet idem Bonacina. In articulo vero mortis potest quilibet Sacerdos, etiam suspensus, & degradatus, absolvere a quibuslibet Censuris, ut in Tractatu de Sacramentis cap. 5. dictum est, cum onere tamen, ut qui sic absolutus est, si periculum evadat, Superiorem adeat executurus id, quod sibi ab eo præscribetur, ut habetur ex cap. *Eos*, de sentent. excomm. in 6.

Ad

Ad absolutionem autem a Censuris ex parte absolventis nulla certa verborum forma necessaria est, sed sufficiunt quæcunque verba ore prolata, vel scriptis expressa, quibus ipsa absolutio exprimatur, ut docent Suarez, Filliucius, & alii apud Bonac. supra.

2. Ex parte vero illius, qui absolvitur, duo præsertim requiruntur, scilicet ipsius absolutionis petitio, & debita satisfactio, si Censura ob illatum alicui damnum illata sit, aut saltem sufficiens cautio de illa præstanda: & præterea, si Censura inflicta sit ob aliquod grave delictum, debet absolvendus sub juramento polliceri, se non amplius tale crimen patraturum, seque in posterum mandatis Ecclesiæ obtemperaturum, ut docet idem Bonacina punct. ultim.

In absolutione vero solemni a Censuris debent ea servari, quæ in Rituali Romano, aut aliis cujusq; Diœcesis propriis præscribuntur.

§. VII.

Quotuplex sit Censura Ecclesiastica.

1. MUltiplex est Censura, alia siquidem est Censura *a jure*, quæ lege aliqua, aut Canone fertur, & tandiu viget, quandiu ipsa lex, aut Canon vim suam obtinet, alia *ab homine*, quæ a Judice, aut Superiore fertur, non per modum sententiæ Judicialis, sed præcepti temporalis, & transitorii, & hæc Censura illo mortuo cessat.

Alia item est Censura *latæ sententiæ*, quæ ipso facto incurritur, absque alia Judicis sententia, alia *comminatoria*, seu *ferendæ sententiæ*, quæ non incurritur ante sententiam Judicis. Ex terminis autem, quibus Censura fertur, dignosci debet, an sit solummodo comminatoria, an vero ipso facto incurratur.

2. Alia præterea est Censura *justa*, quæ prævils tribus monitionibus, & servato juris ordine, justamque ob causam fertur ab eo, qui legitimam habet auctoritatem; alia *injusta*, in qua deest aliquid ex supra dictis. Et hæc rursus subdividitur in *validam*, & *invalidam*. Censura injusta, & nihilominus valida ea est, quæ fertur ab eo, qui habet auctoritatem legitimam, ob causam sufficientem, aliqua monitione præcedente, quamvis aliæ conditiones supra dictæ desint. Censura vero injusta, & invalida illa est, in qua deest una ex his tribus conditionibus, nimirum quæ fertur ab eo, qui legitimam non habet auctoritatem, vel absque sufficienti causa, aut nulla monitione præmissa.

Denique Censura in tres præcipuas species dividitur, scilicet excommunicationem, suspensionem, & interdictum: de quibus sequenti Sectione agendum.

SECTIO II.

De Censuris in particulari.

Quæ de ipsis Censuris in communi dicta sunt, ea de unaquaque illarum in particulari intelligi debent, cum in iis simili modo conveniant, & par sit illarum ratio, ut habetur ex cap. 1. de sentent. excom. in 6. Quare hic solum subjungemus ea, quæ cujusque illarum propria sunt.

§. I.
De Excommunicatione.

1. Ut ea, quæ de Censura excommunicationis dicenda sunt, melius percipiantur, observandum est, in Ecclesia esse *Sanctorum communionem*, ut dicitur in Symbolo, idest societatem quandam, & unionem inter fideles, ac communium bonorum participationem. Sicut enim corporis naturalis membra, licet in figura, situ, & operationibus diversa sint, eodem tamen spiritu animantur, iisdem nutriuntur alimentis, & eadem solatia, & subsidia persentiunt: sic cum omnes Fideles unius corporis mystici, quod est Ecclesia, membra sint, ideo de communibus ipsius Ecclesiæ bonis, v.g. Sacramentis, Sacrificiis, Divinis Officiis, &c. participant, & præterea orationibus, eleemosynis, & aliis particularibus virtutum operibus sese juvare possunt. Unde dicebat Propheta, *Particeps ego sum omnium timentium te*, &c. Ps. 118. & hortabatur Apostolus, *Orate pro invicem, ut salvemini*. Jacob. ult.

Hac observatione supposita, facile intelligi potest, quid sit excommunicatio. Est enim Censura Ecclesiastica, qua homo baptizatus privatur communione Fidelium, id est participatione aliquorum bonorum, quæ sunt omnium Fidelium communia.

Dicitur *Censura Ecclesiastica*, quo significatur de illa intelligi debere ea, quæ de Censuris in communi dicta sunt.

Qua homo baptizatus, quia homo per Baptismū subditur Ecclesiæ, & ejus jurisdictioni subjacet. Quod de non baptizatis dici nō potest. *Quid enim* (inquit Apost. 1. Cor. 5.) *mihi de iis, qui foris sunt, judicare?*

Privatur communione Fidelium, idest participatione aliquorum bonorum, quæ sunt Fidelium communia. Non dicitur privari participatione omnium bonorum, sed tantum aliquorum. Non enim privat excommunicatio Gratia, sed privationem illius per peccatum, & contumaciā præsupponit, imo fieri posset ut quis perfectæ contritionis actu Gratiam recuperasset, priusquam ab excommunicatione absolveretur. Similiter nō privat bonis spiritualibus particularibus, v.g.

esse-

effectu orationum, quas aliquis privatim pro excommunicato offert, sed tantum communibus.

2. Est autem duplex excommunicatio, alia major, alia minor. Excommunicatio major illa dicitur, quæ communione plurium bonorum privat, minor, quæ pauciorum. Bona vero, quibus major excommunicatio privat, sex præsertim numerantur a Doctoribus:

Primo enim privat administratione, & receptione Sacramentorum.

Secundo participatione suffragiorũ communiũ Ecclesiæ, quæ scilicet a Clericis, quatenus Ecclesiæ Ministris, pro Fidelibus offeruntur.

Tertio jure audiendi Missam, & assistendi Officiis Divinis publicis. Tenetur tamen Clericus in sacris constitutus, aut Beneficiatus, quamvis excommunicatus, privatim solus Officium recitare, sed in illa recitatione abstinere debet ab illis verbis, *Dominus vobiscum*, ut docet Navarrus, & alii apud Bonacinam supra.

Quarto electione passiva ad quævis beneficia, & dignitates Ecclesiasticas.

Quinto sepultura Ecclesiastica.

Sexto communicatione omni humana, & civili cum aliis Fidelibus. Hæc Doctores hoc versiculo exprimunt:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Os, significat allocutionem, & confabulationem, sive fiat per literas, sive per nutus, aut alia signa, item quæcumque alia signa exteriora amicitiæ, ut oscula, amplexus, &c.

Orare, significat simul cum excommunicato orationem facere, Divinum Officium recitare, &c.

Vale, idest excommunicatum salutare, aut honorem aliquem verbis, aut gestis illi exhibere.

Communio, idest quævis societas cum excommunicato in habitatione, vel exercitio, aut contractu.

Mensa, idest simul cum illo, & in eadem mensa comedere.

Quæ communicationes cum excommunicato prohibentur, in quantum per illas unio, & amicitia mutua inter Fideles fovetur.

Qui autem cum excommunicato communicant, peccant graviter quidem, ac mortaliter, si hæc communicatio fiat in Divinis, venialiter vero, si in aliis casibus; & qui cum illis communicant qui Excommunicatione majore obstricti sunt, incurrunt minorem excommunicationem, quæ privat tantummodo susceptione Sacramentorum, & electione passiva ad Beneficia, aut Dignitates Ecclesiasticas, ut habetur ex c. *Si celebrat*, de Cleric. excomm. ministr.

3. Sunt tamen hic duo observanda. Primum est id, quod habetur in Bulla Martini V. quæ incipit *Ad evitanda*, & confirmata fuit a Leone X. in Conc. Later. referturque a Nav. c. 27. n. 35. qua quidem Summus Pontifex ad evitanda animarum pericula statuit, ut nemo deinceps quenquam ratione alicujus sententiæ, aut Censuræ Ecclesiasticæ a ju-

re, vel ab homine generaliter promulgatæ, in Sacramentorũ administratione, receptione aut aliis quibuscunque rebus Divinis, vel externis vitare, aut interdictum observare teneatur, nisi sententia, vel Censura ejusmodi contra certam personam, Collegium, Ecclesiam, &c. specialiter a Judice publicata, vel denunciata fuerit, eo excepto, qui ob sacrilegam manuum injectionem in Clericum, excommunicationem canonis notorie incurrit, ut factum ejus nulla tergiversatione celari, & nullo juris suffragio excusari possit. Nam ab ejusmodi etiam non denuntiati communione abstinendum est. Postea vero subjungitur: *Per hæc autem non intendimus ipsos excommunicatos, suspẽsos, interdictos in aliquo sublevare, vel quomodolibet eis suffragari*, id est (ut explicat Laym. par. 2. c. 1. de excom.) quod quamvis in commodum aliorum hac Pontificis indulgentia uti possint excommunicati illi, qui non sunt denuntiati, aut notorii Clericorum percussores, quando tamen agitur de ipsorum excommunicatorum commodo, eadem hæc indulgentia ipsis suffragari minime possit.

4. Secundum est, ratione necessitatis, vel utilitatis, vel pietatis licitam interdum esse communicationem aliquam cum excommunicato etiã denũtiato, vel notorio Clericorũ percussore. Unde DD. ex c. *Quoniã multos*, 11. q. 3. causas aliquas colligũt, ob quas ejusmodi cõmunicatio licite haberi potest, quas hoc versiculo cõmuniter exprimũt.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Utile, significat utilitatem spiritualem excommunicati, aut illius, qui cum eo communicat.

Lex, obligationem illi reddendi, quod ei juste debetur, ut si debitor creditori mutuum restituat, si uxor viro debitum conjugale reddat.

Humile, designat subjectionem, & obsequium, quod filius parenti, servus domino deferre tenetur.

Res ignorata, juris, aut facti ignorantiam invincibilem, seu inculpabilem.

Necesse, necessitatem spiritualem, aut etiam temporalem, si sit notabilis. Unde licitum est, v. g. in gravi necessitate corporali eleemosynam petere, & accipere ab excommunicato denuntiato.

5. Quæret aliquis, quot sint, & quinam casus, in quibus excommunicatio major incurritur. Minorem siquidem constat unico solum casu incurri, communicatione scilicet cum excommunicato in casibus supra explicatis. Respondetur, in duobus generatim casibus incurri. Primo quando fit, vel omittitur aliquid, quod a jure prohibitum est, vel præceptum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. Secundo quando Judici Ecclesiastico, vel Prælato aliquid sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ præcipienti, & monitiones aliquas eo fine adhibenti non obtemperatur.

Et primi quidem generis excommunicationes plurimæ, & maxime diversæ per totum Juris Canonici corpus passim pro variis casibus & even-

eventibus latæ reperiuntur, quæ a Toleto lib. 1. cap. 18. 19. &c. summa cura collectæ sunt, & apud illum videri possunt: quas proinde hic singillatim recensere nimis prolixum foret, & instituti nobis propositi limites excederet. Unum tantum casum, qui freqnentius accidere potest, hic breviter adnotabimus, qui habetur cap. *Si quis* 10. q. 4. his verbis: *Si quis suadente Diabolo in Clericum, vel Monachum manus violentas injecerit, anathematis vinculo subjaceat*. Ad cujus Canonis intelligentiam observandũ est, hac voce, *si quis*, comprehendi omnes utriusq; sexus, ordinis, ac dignitatis personas, quæ sunt excommunicationis capaces. Nomine *Clerici* intelligitur non modo ille, qui in sacris, vel minoribus Ordinibus constitutus est, sed is etiam, qui prima Tonsura initiatus est, dummodo privilegiũ Clericale non amiserit. Amittitur autẽ illud privilegium primo degradatione, ut liquet ex cap. *Degradatio*, de pœnis in 6. secundo professione artis alicujus indecentis, puta histrionis, lenonis, cauponis, ut habetur in 6. & in Clemen. 1. de vita, & honest. Cleric. tertio bigamia, ut constat ex cap. *Nuper*, de bigamis par. 2. c. 5. de excommun. Imo Bannes, Suar. & alii apud Layman. docent, Clericum non gaudere privilegiis dicti canonis, nisi Clericalem habitum, & Tonsuram deferre solitus sit, & Beneficium Ecclesiasticum possideat, vel alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deserviat. Additq; Layman. Clericum in sacris constitutum, si dimisso habitu, & Tonsura, se negotiis sæcularibus immisceat, admonitusq; ab Episcopo non emendetur, amittere privilegium canonis, ut habetur ex cap. *Audientia*, cap. *Contingit*, 2. de sent. excomm. non tamen privilegium fori. Unde si a Judice sæculari in aliquo crimine deprehendatur sine habitu Clericali, postulare potest, ut ad proprium Judicem Ecclesiasticum remittatur, quod illi a Judice sæculari recusari non debet.

Nomine *Monachi* comprehenduntur Religiosi professi, aut conversi, & etiam novitii: intelliguntur etiam Moniales professæ, aut conversæ, vel novitiæ, ut habetur cap. *Cum illorum*, & cap. *De Monialibus*, de sent. excomm. & cap. *Religioso*, de sent. excomm. in 6.

6. Per *manus violentas* significatur quævis exterior actio injuriosa, seu contumeliosa contra personã Ecclesiasticam, vel Religiosam, v. g. eam percutere manu, vel pede, eam violenter detinere, aliquid ab ea violenter eripere, eã conspergere aqua, pulvere, aut aliquid simile attentare, quod eã notabili aliqua contumelia afficere censeatur, ut fusius explicat Bonac. disp. 1. de excom. q. 4. pun. 1. qui recte observat, nõ incurri excom. si ejusmodi manus injectio fiat ex aliquo subito, & indeliberato animi motu, aut si injuria, vel contumelia illata viri prudentis judicio talis non sit, quæ ad pecca tũ mortale sufficiat.

7. Circa excommunicationes posterioris generis, cum ut plurimũ ferantur a Judice Ecclesiastico, non modo contra eos, qui crimen aliquod commiserint, ut iis, quorum interest, satisfaciant, sed etiam

con-

contra illos, qui crimen aliquod commissum esse probe scientes illud denuntiare, aut revelare noluerint, difficultas est, utrum in quibusvis casibus teneatur quis Judici denuntiationẽ, aut declarationem ejusmodi sub pœna excommunicationis imperāti obtemperare, & nisi fiat, utrum semper excommunicationem incurrat. Pro cujus resolutione dicendum est, varios esse casus, in quibus nulla est obligatio ad ejusmodi revelationem, seu denuntiationem, ac proinde nulla ex omissione illius incurritur excommunicatio. Ad casus autem illos dignoscendos sequentes regulæ communiter a Doctoribus proponuntur, ut videre est apud Bonac. supr. qu. 6. pun. 1.

7. Prima regula est, neminem teneri de delictis, quæ in proprium damnum ab aliis commissa sunt, seu in propria causa, denuntiare delinquentem, nisi forte publicum, & commune bonum id postulet, cum quilibet possit injurias sibi factas condonare.

Secunda regula est, neque etiam obligationem esse denuntiandi, quando ex tali denuntiatione notabile aliquod damnum, aut periculum imminet denuntianti. Neq; enim lex humana, aut præceptum Superioris cum tanto incommodo censetur obligare. Unde sequitur, neque uxorem teneri ad denuntiandum crimen mariti, neque maritum uxoris, neq; filium patris, quia scilicet damnum mariti, vel patris non potest non redundare in uxorem, aut filium, vel e contra. Imo Avila, & alii DD. apud eundem Bonac. hanc regulam extendunt ad generos, soceros, fratres, & alios intra quartum gradum, & etiam ad servos, & domesticos, quando ex tali denuntiatione inimicitiæ, rixæ, aut alia similia incommoda oriri possunt. Excipiuntur tamen crimina illa quæ vergunt in maximum Communitatis, aut Reipublicæ detrimentum, qualia sunt crimen hæresis, læsæ Majestatis, &c. Bonum enim commune præferri debet bono particulari.

Tertia regula est, neminem obligari ad revelandum id, quod novit ex secreto naturali, v. g. quando quis consilii, vel auxilii petendi gratia pro salute animæ, vel corporis, aut pro defensione honoris, bonorum, &c. crimen suum alicui sub secreto manifestavit. Qua ratione Medici, Advocati, Obstetrices, &c. non tenentur, imo non debent revelare id, quod hac tantum ratione cognoverunt.

8. Quarta regula est, neminem obligari ad denuntiandum crimen illud, quod scit probari non posse. Verbi gratia aliquis solus vidit, furtum aliquod committi, quod nullis aliis testibus, aut indiciis scit probari posse, non tenetur ad illud denuntiandum. Crimen enim, quod probari non potest, ita se habet, ac si nesciretur, ut colligitur ex c. *Qualiter, & quando*, de accusationibus. Excipitur tamẽ crimen hæresis, aut aliud vergens in grave damnum Communitatis, quod semper denuntiandum est, ut docent Bannes, Filliucius, & alii apud eundem Bonac. Quod similiter dicendum quando quis novit impedimentum aliquod Matrimonii. Unus enim testis sufficit ad impe-

pediendum Matrimonium, ut habetur cap. *Postea*, de sponsalibus.

Quinta regula est, nullam esse obligationem revelandi ea, quæ vere & cum certitudine aliqua morali non cognoscuntur, ita ut denuntiatio illa nullam in foro exteruo fidem facere possit, qualia sunt, quæ audita sunt ex rumore aliquo incerto, vel a personis aliquibus, quæ non sunt fide dignæ, vel quando quis audivit a fide digno, sed non meminit, quis ille sit a quo audivit, item quando audivit ab eo, qui jam denuntiavit. Addit idem Bonacina, nec etiam obligationem esse revelandi, quando certo, vel probabiliter creditur nullum remedium facta ejusmodi revelatione adhibendum esse a Superiore.

Est autem hic observandum, excommunicationis sententiam, sive a lege, sive ab homine nunquam ferri posse contra Communitatem aliquam, aut Collegium, ut habetur ex capite *Romana*, de excomm. in 6. Ratio est, quia (ut ibi dicitur) *exinde contingere posset, innoxios hujusmodi sententia irretiri.* Proindeque *in illos duntaxat de Collegio, vel Communitate, quos culpabiles esse contigerit, promulgari debet.*

§. II.
De Suspensione.

1. Suspensio est Censura Ecclesiastica, qua prohibetur alicui personæ Ecclesiasticæ usus, seu exercitium Officii, vel Beneficii Ecclesiastici. Ita ex communi Doctorum sententia Navarr. c. 27. nu. 151. Ex qua definitione intelligitur, multiplicem esse suspensionem. Alia est enim ab Officio tantum, sive officium sit ordinis, sive jurisdictionis, alia a Beneficio tantum, idest ab administratione, & fructibus Beneficii percipiendis, alia ab Officio, & Beneficio simul. Rursus alia est suspensio ab Officio in totum, quando quis privatur omni usu Officii sui, alia est ab Officio in partem, qualis est illa, qua, v. g. quis suspenditur ab audiendis Confessionibus, non vero ab aliis Sacramentis administrandis. Alia præterea est suspensio temporalis, quæ fertur ad certum tempus, & illo elapso cessat, nec est opus absolutione, ut docet Navar. supra. alia, quæ nullo termino temporis circumscribitur. Alia denique est suspensio pœnalis, alia medicinalis. Pœnalis est ea, quæ fertur in punitionem, & vindictam delicti commissi, ut quando quis suspenditur ob peccatum mere præteritũ, quæ quidem non fertur per modum Censuræ, sed per modum pœnæ, ut observat Bonac. disp. 3 de suspen. pun. 3 Medicinalis est illa, qua intenditur emendatio delinquentis. Et hæc est propria Censura.

Qui autem suspensionem violat, exercetque actum, a quo suspensus est, peccat mortaliter, nisi materiæ levitas excuset: & si suspensionem illam violat per exercitium solemne Ordinis alicujus majoris, a quo suspensus est, incurrit irregularitatem, ut docent Suarez, Navar. & alii apud Bonacinam punct. 4. & ex dicendis constabit.

Sunt

Sunt autem variæ suspensiones in jure. Nos eas, quæ frequentius incurri possunt, hic breviter subjiciemus.

2. Prima est contra Clericum concubinarium notoriũ, ut habetur ex cap. *Quæsitum* de cohabitatione Clericorum, & mulierũ. Quamvis autem Bonacina supr. punct. 5. & quidam alii Doctores, quos citat, existiment suspensionem illam non incurri, nisi post sententiam Judicis, præmissa monitione; nihilominus Toletus lib. 1. cap. 7. asserit, suspensionem illam ipso facto incurri ante quamcumq; sententiam. Certe Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 14. graves decernit pœnas contra Clericos concubinarios. Præterquam enim quod innovat pœnas antiquis canonibus latas, statuit præterea, ut, si a Superioribus admoniti non resipiscant, privatione Beneficiorum, excommunicatione majori, suspensione ab Ordinibus, inhabilitate ad quæcunque Beneficia, Officia, & Dignitates, degradatione, & aliis similibus pœnis plectantur.

Secunda est contra recipientem sacros Ordines sub titulo ficto Patrimonii, vel Beneficii, ut colligitur ex Bulla Pii V. quæ incipit. *Romanus Pontifex*, ut docent Quaranta, Suarez, Filliucius, & alii apud Bonacinam sup. Quanquam Toletus existimet, suspensionem illam non incurri ipso facto, sed arbitrio Episcopi infligendam esse.

Tertia est contra eum, qui sacros Ordines recipit extra tempora per Ecclesiam constituta, vel ante legitimam ætatem, vel absque litteris dimissoriis, ut habetur in extravag. Pii II. quæ incipit, *Cum ex sacrorum*, & altera extravag. Xysti V. quæ incipit, *Sanctum, & salutare*, ut docent Suarez, Navar. & alii apud Bonacinam sup. A qua suspensione, ut idem dicit, absolvere potest Episcopus, si delictum occultum sit, id est, si non sit notorium, nec deductum ad Forum contentiosum.

3. Quæres, utrum recipiens Ordines, non servatis interstitiis, incurrat suspensionem aliquam. Respondetur, non incurrere, quamvis peccet is, qui interstitia non servat, nisi id fiat licentia Episcopi, aut consuetudine aliqua excusetur.

Quarta est contra suscipientem duos sacros Ordines in eodẽ die, aut duobus diebus continuis & immediatis, qui quidẽ suspenditur ab executione posterioris, ut habetur ex cap. *Litteras*, de temp. ordinat. similiter contra suscipientẽ eodẽ die minores Ordines cum Subdiaconatu, ut ibidem dicitur. Et hæc suspensio Papæ reservata est, ut docet idem Bonac. Observat tamen Laym. tra. 9. c. 10. de Sacram. Ord. Cardinalium Congregationẽ sup. sess. 23. Conc. Trid. c. 13. declarasse, eum, qui regionis consuetudine uno eodemq; die quatuor Minores, & Subdiaconatum recipit, nullam incurrere suspensionem.

Quinta est contra Clericum, qui vacante Sede Episcopali, & non arctatus occasione Beneficii recepti, aut recipiendi, Ordinẽ aliquem sacrum recipit cum dimissoriis Capituli, ut habetur in Conc. Trid.

sess.

sess.7. c.10. de reform. ubi prohibetur Capitulis Ecclesiarum, ne Sede vacante infra annum a die vacationis dent litteras dimissorias, nisi urgente aliqua necessitate, alias statuitur, ut Capitulum interdicto Ecclesiastico subjaceat, & sic ordinati ad beneplacitum futuri Prælati sint ab Ordinibus susceptis ipso facto suspensi.

4. Sexta est contra Clericum, qui per saltum recipit Ordinem superiorem, antequam receperit inferiorem, v.g. Presbyteratum ante Diaconatum; ut habetur cap. unic. de Clerico per saltum promoto, & ex Conc. Trident. sess. 23. cap. 14.

Septima est contra eum, qui recipit Ordines ab Episcopo excommunicato, suspenso, aut interdicto denuntiato, vel etiam simoniaco per sententiam declarato, ut habetur cap. 1. & 2. de Schismat. & cap. *Si quis*, 1. quæst. 2.

Octava est contra eum, qui recipit scienter aliquem Ordinem per simoniam, quamvis occultam, ut habetur cap. *Per tuas*, de simonia.

Nona est contra eum, qui excōmunicatione aliqua irretitus scienter Ordinem recipit, ut habetur c. *Cum illorum*, de sent. excommun.

Decima est contra eum, qui furtive aliquem Ordinem recipit, id est, qui inscio Episc. non vocatus, vel approbatus ad Ordines suscipiendos accedit, aut qui alio præmisso, qui suo nomine examinetur, vocatus deinde proprio nomine Ordines recipit, ut hab. c. 1. de eo, qui furtive, &c.

Undecima est contra Sacerdotem tam Sæcularem, quam Regularem conjungentem in matrimonium, vel benedicentem subditos alterius Parochiæ, absque licentia Parochi, vel Ordinarii, ut habetur in Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. de reform.

Duodecima est contra Episcopum conferentem Ordines, vel primam Tonsuram extraneo absque Dimissoriis Episcopi, aut Ordinationes facientem in aliena Diœcesi absque licentia Ordinarii, ut habetur in Conc. Trid. sess. 6. c. 5. de ref. aut conferentem Ordines, vel Tonsuram simoniace, ut habetur cap. pen. de simonia.

Decimatertia est contra Episcopum aliquid etiam sponte oblatum in visitatione accipientem, præter id, quod sibi debetur, qui quidem suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, nisi intra mensem duplum restituat, ut habetur c. *Exigit*, de censibus in 6. & in Conc. Trid. sess. 24. de ref. c. 3. Et hæc suspensio incurritur etiam ab aliis Visitatoribus Ecclesiarum, aut eorum familiaribus, si occasione visitationis munera etiam sponte oblata recipiant, nisi intra mensem duplum restituant.

Sunt aliæ plures juris suspensiones rarius occurrentes, quæ videri possunt apud Tolet. & alios.

5. Ad suspensionem proxime accedit depositio, & degradatio, per quam persona Ecclesiastica ob enorme aliquod crimen removetur in perpetuum ab omni Ordine, Jurisdictione, & Beneficio, ita, ut, quamvis non amittat characterem Ordinis, qui indelebilis est, privetur tamen

men omni, & quocunque illius usu, sine remissionis spe. Quod si hæc fiat solis verbis, appellatur verbalis depositio, si præter verba quædā aliæ cæremoniæ in Pontificali præscriptæ adhibeātur, vocatur realis depositio, seu degradatio. Hæc est autem inter utranque differentia, ut observat Bonac. disp. 4. de leg. pun. un. quod depositio verbalis fieri possit in absentem, degradatio vero solummodo fiat in præsentem. Præterea depositio verbalis non tollit privilegium fori, degradatio vero tollit, ita ut degradatus possit a Judice laico eodem modo plecti, ac si nunquam in Christi Domini Clericum fuisset cooptatus.

Observat autem Toletus, quod quamvis depositio verbalis ob crimen aliquod enorme arbitrio Judicis infligi possit; degradatio tamen realis fieri non debet, nisi ob crimina illa, quæ in jure expressa sunt, qualia sunt hæresis manifesta, sodomia, calumnia proprio Episcopo irrogata, & alia similia, quæ videri possunt apud Doctores, & Canonistas.

§. III.

De Interdicto.

1. INterdicti nomine intelligitur Ecclesiastica Censura, per quam participatio Sacramentorum, Divinorum Officiorū, & Ecclesiasticæ sepulturæ prohibetur. Id colligitur ex c. *Non est nobis*, de sponsalibus, & cap. *Quod in te*, de pœnitentia, & remissione.

Interdictum aliud est locale, aliud personale, aliud mixtum. Locale est, quo interdicitur, ne in aliquo loco Divina Officia celebrentur, Sacramenta administrentur, &c. quāvis ejusmodi loci incolæ possint alibi Divinis Officiis assistere, Sacramenta recipere, &c. Personale est, quo Persona aliqua particularis, vel Communitas aliqua personarum, puta populus civitatis, aut provinciæ alicujus interdicitur, ne ubicunque sit, Divinis Officiis assistat, Sacramenta recipiat, &c. Mixtum vero complectitur utrunque, personale scilicet, & locale. Ita Navarrus, Sylvester, & alii apud Bonac. disp. 5. de interd. punct. 1.

2. Rursus interdictum aliud est generale, aliud particulare. Interdictum particulare est, quo locus aliquis particularis interdicitur, v. g. Ecclesia aliqua ob crimen aliquod in ea perpetratū, vel quo personæ aliquæ afficiuntur, non ut membra civitatis, sed ut personæ particulares, v. g. quando interdicuntur omnes, & singuli, qui tale facinus patrarunt. Interdictum vero generale est, quod fertur in locum aliquem generalē, qui a Communitate aliqua occupatur, v. g. Regnum, Diœcesim, Civitatem, vel in ipsam Communitatem, ut est corpus aliquod politicum, v. g. in populum alicujus Regni, Civitatis, &c. Et ejusmodi interdictum constringit omnes, qui ex illa Communitate sunt, etiam innocentes, qui proinde illud servare tenentur, nisi speciali aliquo privilegio sint exempti, ut fusius explicat Bonacina sup.

Quam-

Quamvis autem per interdictum prohibeatur participatio Sacramentorum, Divinorum Officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ: hæc prohibitio tamen varias recipit exceptiones.

3 In primis enim Sacramenta Baptismi, & Cõfirmationis solemniter tempore interdicti ministrari possunt, ut habetur c. *Quoniam*, & c. *Alma mater*, de sent excom. in 6. Sacramentum etiam Pœnitentiæ, ut ibidem dicitur, ministrari potest, præterquam iis, qui sunt in causa culpabili, ob quam latum est interdictum, nisi prius satisfecerint, aut satisfaciendi idoneam dederint cautionem, vel saltem se satisfacturos esse juraverint. Sacramentum autem Eucharistiæ tempore interdicti non nisi in articulo mortis per modū viatici ministrari potest. Sacramentum Extremæ Unctionis, secluso extremæ necessitatis casu, quando alia suscipi non possunt, item Ordinis, & Matrimonii tempore interdicti neque ministrari, neque suscipi licite potest, ut fusius docet, & variis auctoritatibus probat Bonacina supra; quamvis; Navarrus c. 27. n. 179. & alii probabiliter existiment, Matrimonium tempore interdicti licite contrahi posse.

4 Quod spectat ad Officia Divina, observandum est, eo nomine significari Sacrificium Missæ, Horas Canonicas, quæ publice cantantur in Ecclesia, Benedictiones solemnes, & alia omnia, quę publice ad cultū Divinū fiunt a personis Ecclesiasticis, quæ omnia prohibita esse censentur, cum hac tamen limitatione, sicut habetur c. *Alma mater*, ut tempore interdicti quotidie in Ecclesiis specialiter non interdictis celebrentur Missæ. & alia Divina Officia, sed januis clausis, sine campanarum sono, voce submissa, exclusis excõmunicatis, & interdictis, præterquā in festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. M. V. quibus additus fuit a Martino V. dies festus Corporis Christi cum octava, & a Leone X. dies Conceptionis B. M. V. in quibus diebus licitum est tempore interdicti generalis Missas, & Divina Officia celebrare publice, & solemniter januis apertis, cum sono cāpanarum admissis quoque interdictis, illis etiam, quorū causa latum est interdictum, modo isti longe sint ab Altari, nec ad oblationes, aut Communionem admittātur. In Ecclesiis vero specialiter interdictis, in quibus asservatur Eucharistia, licitum est tantum semel in hebdomada Missam celebrare ad renovandam Eucharistiā, ut docent Henriquez, Navarrus, & alii apud Bonacinam supra c. 2. de interd.

5. Quod spectat denique ad privationem sepulturæ Ecclesiasticæ; observat Laym. quod quamvis tempore interdicti localis non possint laici, licet non interdicti, sepeliri in loco interdicto; possint tamen Clerici, dummodo personaliter interdicti non sint, etiam in loco interdicto sepeliri; in silentio tamen sine campanarum pulsu; sicut & laici, etiam personaliter interdicti, si denuntiati non sint, possunt in loco sacro non interdicto sepeliri.

Quæres, quibus in casibus incurratur interdictum. Respondetur interes-

terdictum locale generale præsertim incurri, quando dominus terræ injuriose Episcopum percutit, aut cædit, aut id fieri mandat: item quando impedit, ne Legatus, aut Nuntius Apostolicus officium suum exequatur: & in aliis etiam casibus, qui quoniam rarius eveniunt, & apud Bonacinam supra, aliosque Doctores videri possunt, a nobis prætermittuntur. Circa quos casus tamen observat Bonac. ex Suarez, Filliucio, & aliis, nullam esse obligationem servandi interdicti ante denunciationem.

Proxime ad interdictum accedit cessatio a Divinis, quæ quidem non est Censura, neque etiam pœna, sed simplex prohibitio Divinorum Officiorum, & administrationis Sacramentorum, ac sepulturæ Ecclesiasticæ in signum mœroris alicujus gravissimi, propter atrocem aliquam injuriam honori Divino, aut Ecclesiæ illatam. Et hæc cessatio servari debet eodem modo, quo de interdicto supra explicatum est, ut ex probabili Theologorum sententia docet Laym. c.6. de cessat. à Divinis.

SECTIO III.

De Irregularitate.

1. IRregularitas non est Censura, sed impedimentũ Canonicum susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, vel eorum usum impediens. Ita ex communi Theologorum doctrina Suarez, Henriquez, Filliucius,& alii apud Bonacinã disp.7.de irregularit. q.1. punct. 1. Ex duplici autem capite contrahitur irregularitas, scilicet ex defectu, vel ex delicto. De utraque in sequentibus §§. breviter agemus.

§. I.

De Irregularitate, quæ oritur ex defectu.

1. DEfectus, ex quibus oritur irregularitas, sunt in genere ii, qui aliquam inhabilitatem, vel indecentiam causant ad Ordines Ecclesiasticos convenienter suscipiendos, aut exercendos. Et ii septem præsertim a Doctoribus adnotantur, ut videre est apud Toletum lib. 1. c. 57. & seq. & alios.

Primus est defectus animæ, qualis reperitur in iis, qui usu rationis carent, qui morbo epileptico laborant, qui sunt lunatici, energumeni, omnino illiterati, neophyti, publicam pœnitentiam agentes, ut fusius explicat Toletus sup. cap. 62.

Secũdus est defectus corporis,quãdo scilicet aliqua in corpore mutilatio,vel deformitas,aut debilitas inest, quæ reddit hominẽ inhabilem ad functiones Ordinũ exequendas,aut talem efficit,ut eas exercere non valeat, nisi cũ notabili indecentia, & deformitate, quæ maximum illius contemptũ,& horrorem ingeneret,ut si sit membro aliquo

quo mutilatus, mutus, cæcus, aut altero oculo, præsertim sinistro, carens: item si sit leprosus, si monstrosum aliquid, & valde deforme præ se ferat. ut pluribus docet idem Toletus cap. 63.

Tertius est defectus natalium, quando quis non ex legitimo matrimonio, sed ex fornicatione, adulterio, aut alio quovis illicito concubitu procreatus est, ut explicat idem Toletus cap. 58.

Quartus est defectus bonæ famæ, quando quis contraxit infamiam aliquam, sive ea sit juris, qua ratione circulatores, histriones, mimi, comœdi, & alii artes ejusmodi, aut officia exercentes, jure tum civili, tum Ecclesiastico censentur infames: sive infamia sit facti, ut quando quis crimine aliquo notorio, & scandaloso contraxit infamiam, v. g. proditione, sacrilegio, & aliis similibus, quæ degradatione, vel depositione digna sunt, ut habetur apud eundem Toletum cap. 62. & 74.

Quintus est defectus ætatis ad suscipiendos Ordines requisitæ, de quo dictum est sup. tract. de Sacram. c 7.

Sextus est defectus Sacramenti, qui in bigamia reperitur, quando quis pluries matrimonium contraxit. Quamvis enim id licite fiat, tale nihilominus matrimonium pluries iteratum perfectionem suam omnimodam non habet, quantū ad significationem Sacramenti. Non enim perfecte significare potest unionem Christi Domini cū Ecclesia, quando unus, vel una cum pluribus successive contraxit, ut fusius explicat idem Toletus c. 65. Est autem triplex bigamia, ut docet idem Auctor, vera, quando quis vere, & realiter pluries nupsit, interpretativa, quando viduam in matrimonium duxit, & similitudinaria, ut loquuntur Doctores, quando quis post votum solemne castitatis, matrimonium, etiam obtenta dispensatione, contrahit.

2. Septimus denique est defectus lenitatis, quando quis directe, vel indirecte morti, vel mutilationi alterius, quamvis modo aliquo licito, & justo, cooperatur, ut Judices morti reum adjudicantes, accusatores, testes, scribæ, & alii officiales capitalis sententiæ executioni cooperantes: hi enim omnes, quando mors, vel mutilatio alterius sequitur, sunt irregulares: item qui alios consilio, vel suasionibus inducunt ad accusandum, & ad litem criminalem intentandam, si ex ea lite sequatur accusati condemnatio, & ejus mors, vel mutilatio. Non tamen incurrit irregularitatem Judex Ecclesiasticus, qui aliquem degradat, & tradit brachio sæculari, maxime præmissa protestatione, se non intendere ullam pœnam sanguinis, ut docet Bonac. disp. 7. q. 4. de irreg. pun. 1. non etiam Inquisitores Fidei tradendo aliquos Judici sæculari comburendos, etiamsi nullā præmittant protestationem, ut constat ex Bulla Pii V. apud eundem Bonacin. Qui etiam recte docet, Clericum, qui alium accusat, si non vindictam, nec ullam sanguinis pœnā petat, sed tantum satisfactionem sibi juste debitam, non fieri irregularem, etiamsi postea sequatur accusati mors,

vel mutilatio. Quod tamen limitari debet, quando quis in causa propria postulat satisfactionẽ, præmissa protestatione, se nullam sanguinis pœnam petere: Secus vero, si accuset de injuria illata personis extraneis. Tunc enim, quamvis præmittat protestationem, si tamen mors, vel mutilatio sequatur, incurrit irregularitatem, ut habetur ex c. *Prælatis*, de homicidio, ubi permittitur quidem Clerico conqueri coram Judice de malefactoribus suis, non vero de iis, qui aliis nocuerunt. Aliqui tamen Doctores, ut Avila, Henriquez, & alii apud Bonacinam supra, probabiliter existimant, nullam incurri irregularitatem a Clerico, qui conqueritur coram Judice de illis, qui damnum domesticis suis, aut aliis valde propinquis, v. g. parentibus, aut fratribus intulerunt; quia damnum illud propter unionem, quæ cum ejusmodi personis intercedit, ut proprium censetur.

3. Qui autem fert testimoniũ coram Judice contra reum aliquem, si ex ejus testificatione mors, vel mutilatio sequatur, fit irregularis. Unde Personæ Ecclesiasticæ nunquam ferre debent testimonium in ejusmodi causis, ut pluribus docet, & probat idem Bonac. pun. 1.

Similiter qui pugnat, & occidit in bello justo, quamvis licite id faciat, fit tamen irregularis, ut habetur ex c. *Petitio tua*, de homicidio, non tamen fit irregularis ille, qui proficiscens ad bellum justum alio fine, quam pugnandi, hostem invadentem occidit ad propriæ vitæ defensionem: neque qui hostem oppugnantem muros urbis in sui, suorumque defensionem occidit, aut qui hortatur milites ad fortiter pugnandum, hostemque repellendum. Et generaliter quicunque in sui, vel aliorum defensionem, vel etiam in propugnationem honoris sui, aut rerum suarum alterum occidit, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ, non fit irregularis, ut fusius explicat, & probat idem Bonac. punct. 6.

§. II.

De Irregularitate, quæ oritur ex delicto.

1. Quinque sunt præsertim genera delictorum, ob quæ irregularitas contrahitur.

Primum est iteratio Baptismi, quando quis scienter rebaptizat, aut rebaptizatur. Uterque enim contrahit irregularitatem. Quod tamen intelligendum est de Baptismo absolute reiterato. Qui enim sub conditione rebaptizaret infantem, de quo dubitaret, an valide baptizatus esset, nec peccaret, nec ullam incurreret irregularitatem, ut docent Navarrus, Suarez, & alii apud Bonac. disp. 7. qu. 3. pun. 3.

Secundum est violatio Censuræ in susceptione, vel exercitio Ordinum, v. g. si quis majori excommunicatione ligatus recipiat Ordines, aut si excommunicatione, suspensione, vel interdicto irretitus exerceat solemniter aliquos actus majorum Ordinum, ut si Missam celebret, aut Sacramentaliter absolvat. Talis enim fit irregularis, ut habetur

betur ex c. *Si quis Episcopus*, 11. q. 3. & c. *Is, qui*, de sent. excom. Observat tamen Bonac. quod si quis Censura aliqua ligatus exerceret actum Ordinis, urgente gravi aliqua necessitate, aut ad evitandũ aliquod scandalum, non incurreret irregularitatem; sicut nec ille, qui ex ignorantia, aut inadvertentia, vel oblivione inculpabili idẽ faceret.

2. Tertium est indignum, & indebitum sacrorum Ordinum exercitium absque legitima ordinatione, si quis v.g solemniter ministret in Ordine aliquo sacro, quẽ non habet, ut si Sacerdos exerceat actus Ordinis Episcopalis, si simplex Clericus Baptismũ solemniter administret. In his enim, & similibus casibus incurritur irregularitas.

Quartum est crimen hæresis. Nam Hæretici omnes, & Apostatæ a Fide, nec non eorum fautores, & defensores sunt irregulares, etiamsi sint occulti, ut habetur ex c. *Qui in aliquod*, & c. *Presbyteros*, dist. 5. & etiam Hæreticorum filii usque ad secundam generationem, quamvis ab errore parentum recesserint, & veram Fidem amplexi sint, ut habetur ex c. *Statutum* de Hæreticis. Si tamen parentes eorum ante mortem Ecclesiæ reconciliati fuerint, tunc quamvis ipsi parentes etiam post hæresis abjectionem maneant irregulares, filii tamen nullam ab iis contrahunt irregularitatem.

3. Quintum denique est homicidium, & mutilatio. Quicunque enim alterum injuste quocunque modo occidit, & mutilat, vel illius injustæ occisioni, vel mutilationi cooperatur, jussu, consilio, auxilio, aut alio simili modo, fit irregularis, ut fuse explicat, & probat Bonac. sup. pun. 8. & Toletus l. 1. c. 79 & seq. Neque solum incurritur irregularitas ex homicidio voluntario, sed etiam ex casuali, quod accidit præter intentionẽ occidentis, si debita diligentia adhibita non fuit, quæ si adhibita fuisset, ejusmodi homicidium sequutum nõ fuisset. Quod & similiter de mutilatione dicendum est. Quod quidem variis exemplis explicat Toletus sup. quæ apud illum videri possunt.

§. III.
Qua ratione tollatur Irregularitas.

1. QUatuor modis tolli potest irregularitas, nimirum susceptione Baptismi, professione Religiosa, ablatione, seu remotione causæ, & dispensatione legitima.

Per Baptismum tollitur quævis irregularitas ex delicto proveniens, vel (ut magis proprie loquamur) per Baptismum fit, ut baptizatus nullam incurrat irregularitatem delictorum, quæ ante Baptismum commisit. Non tollitur vero irregularitas, quæ oritur ex defectu, si post Baptismum idem defectus remaneat.

Per professionem Religiosam tollitur solummodo irregularitas ex defectu natalium proveniens quoad Ordines, non vero quoad Prælaturas, ut habetur c. 1. de filiis Presbyterorum.

Aufertur etiam irregularitas ex defectu proveniens, sublata causa, ob quam fuerat inducta. V. gr. tollitur irregularitas ex defectu ætatis proveniens per adventum legitimæ ætatis, & sic de aliis, ut docet Bonac. q. 5. pun. 2.

2. Demum tollitur irregularitas per dispensationem legitimã. Atque in primis Summus Pontifex pro suprema auctoritate, quã in universam Ecclesiam obtinet, dispensare potest in quavis irregularitate, quæ jure humano introducta est, ut ex communi DD. consensu docet Bon. pun. 1. & constat ex his, quæ dicta sunt sup. c. de Leg.

Episcopus etiam dispensare potest cũ suis subditis in irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, idest ex delicto, quod non est publicum, seu notorium in ratione delicti. E. g. si quis majori excommunicatione occulte ligatus publice celebret, & sic cõtrahat irregularitatẽ, poterit Episcopus in illa dispẽsare, quia licet celebratio sit publica, delictum tamen non est publicum, ut explicat Bon. sup.

Excipitur tamen irregularitas ex homicidio voluntario proveniens, & ex quocunque delicto deducto ad Forum contentiosum, a qua solus Summus Pontifex dispensat; sicut & a quavis alia irregularitate, quæ ex defectu aliquo provenit, ut ex communi Theologorum consensu docet Bonac. sup. q. 2. pun. 1.

3. Potest nihilominus Episcopus dispensare cum illegitimo ad Tonsuram, & minores Ordines, sicut & ad Beneficium simplex. Ad Ordines vero sacros, & alia Beneficia, quæ Ordinem sacrũ requirunt, dispensare non potest, ut habetur cap. de filiis Presbyterorum in 6.

Atque hactenus de Censuris Ecclesiæ, ad majorem Dei gloriam, & ipsius Ecclesiæ utilitatem.

APPENDIX

De Statu Clericali, & Ecclesiastica Hierarchia disciplina.

NEquid eorum, quæ personas divino cultui mancipatas spectant, hoc in Opere desideretur, hanc Appendicem instar cujusdam veluti supplementi ad illius calcem subjecimus, in qua breviter adnotavimus ea, quæ ad Clericalem statum, & Ecclesiasticæ Hierarchiæ disciplinam pertinent, nec in aliis hujus libri partibus commode potuerunt explicari, ut quivis sacris Ordinibus initiatus, aut Ecclesiasticis ministeriis adscriptus ob oculos habeat, & uno veluti aspectu facilius intueri possit, quæ sint muneris sibi impositi partes, quidve ratione characteris, aut Beneficii suscepti præstare teneatur.

ARTICULUS I.

De primo ad statum Clericalem ingressu.

1. QUoniam *in omni actione suscipienda* (ut loquitur Catechismus Romanus part. 2. c. 7.) *magnopere refert, quem sibi quisque finẽ constituat, optimo enim fine posito, recte omnia consequuntur; qui sacris initiari volunt, hoc in primis attendere debent, ut nihil sibi tãto munere indignũ proponant*, &c. *Alii enim eo consilio ad hanc vi vendi rationem se convertunt, ut quæ ad victum, vestitumque necessaria sunt, pareant, ita ut præter quæstum nihil aliud in Sacerdotio, quemadmodum vulgo cæteri homines in quovis sordidi artificii genere, spectare videantur. Quamvis enim ex Apostoli sententia, naturalis, & Divina lex jubeat, ut qui Altari servit, de Altari vivat; tamen quæstus, & lucri causa ad Altare accedere, maximum sacrilegium est. Alios honoris cupiditas, & ambitio ad Sacerdotalem Ordinẽ ducit. Alii vero, ut divitiis affluant, initiari volunt, cujus quidem rei illud argumentum est, quod nisi opulentum aliquod Ecclesiasticum Beneficium eis deferatur, nullam sacri Ordinis cogitationem habent. Hi vero sunt, quos Salvator noster mercenarios appellat* Joan. 10. &c. *Soli vero illi ostio in Ecclesiam merito introire dicuntur, qui a Deo legitime vocati, Ecclesiastica munera ejus rei causa suscipiunt, ut Dei honori inserviant*, &c.

Quibus quidem verbis monentur, quicunque in Christi Domini Clerum cooptari cupiunt, ut, antequam illius Sanctuariũ ingrediantur, serio apud se perpendant, num se ad sublime illud vitæ genus Divino nutu vocatos agnoscant. *Neque enim quisquam sumit sibi honorem*, ut ait Apost. Hebr. 5. *sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.*

2. Quod ut facilius, & certius quisque perspicere possit, considerare debet, num a Deo acceperit ea, quæ ad ministeria Ecclesiastica rite obeunda requiruntur. Quos enim vocavit, hos (juxta dictum ejusdem Apostoli 2. Cor. 3.) *idoneos effecit Ministros novi Testamenti.*

Atque in primis debet attendere, num ulla Censura, Irregularitate, aut alio simili impedimento sit obstrictus, num aliquibus pravis inclinationibus, aut vitiis cum Clericalis vitæ sanctimonia e diametro repugnantibus obnoxius sit, num literaturam sufficientem sit adeptus, aut saltem ad illam adipiscendam idoneus judicetur. Consideret præterea, quæ sit ejus mens, quod consilium, quis voluntatis scopus in hoc Clericali statu amplectendo, quonam ejus intentio feratur. *Universos enim* (inquit S. Bernardus super illa verba, *Ecce nos reliquimus omnia*, &c.) *in Ordinibus Ecclesiasticis, cæterisque ad Sanctuarium pertinentibus honorem quærentes propriũ, aut divitias, vel corporis voluptates, postremo quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, manifeste prorsus, & indubitanter non ea, quæ ex Deo*

 est,

est, *charitas, sed aliena a Deo, & quæ omnium malorum radix est, cupiditas introducit*.

3. Denique, quod præcipuum est, Superioris, & Prælati voluntatem auscultet, non precibus importunis, aut aliorum interventu animum ejus flectere nitatur, nihil abscondat eorum, quæ ab eo sciri debent, sed totum se illius discretioni, & providentiæ permittat.

Porro ad vocationem illam Divinam certius dignoscendam, conducere plurimum potest, si (quod a plerisque Sanctorum factum legimus) qui Clericali militiæ adscribi cupit, paululum se a negotiis sæcularibus, & mundi conversatione subducat, & in aliquo secessu antè actæ vitæ rationem a seipso reposcat, & conscientiæ sordes diligenter abstergat, ut purgato mentis oculo, adspirante cœlestis Gratiæ luce clarius perspicere possit, quæ sit in re tanti momenti Divina voluntas: ad quod etiam viri prudentis consilio plurimum juvari poterit. Certe S. Paulus ad Apostolatum ipsius Christi Domini voce destinatus, & cœlestibus gratiis usque ad miraculum perfusus, non nisi Ananiæ interventu Divinæ voluntatis consilium agnovit.

ARTICULUS II.

De Habitu, & Tonsura Clericali.

1. DE his aliqua sup. tract. 1. c. 7. sacræ Ordinationis doctrinam explicantes delibavimus, quæ quoniam non minimi momenti esse censentur, paulo accuratius, breviter tamen, hic denuo attingere non erit inutile.

Atque in primis observandum est, Ecclesiam sapienti consilio voluisse, ut *sicut Clerici a laicis discreti esse debēt in cōversatione* (ut dixit S. Anacletus Papa Ep. ad Ecclesias per Galliam institutas circa ann. Dom. 167.) *ita & in tonsura, & in omni habitu discreti apparerent*. Ex quibus Pontificis verbis obiter colligi potest, quam sit antiquus ipsius Tonsuræ Clericalis usus, quē ab ipso etiam S. Petro incepisse testatur Rabanus l. 1. de inst. Cler. c. 2. asseritque Sanctum illum Apostolum *hunc ritum primum sumpsisse, ut formam, & similitudinem Christi in capite gestaret, dum pro redemptione nostra crucis patibulum subiturus, a nefanda Judæorum gente acutis spinarum aculeis coronaretur*.

Hæc autem Tonsura Clericalis duo præsertim secundum Ecclesiæ institutum requirit. Primo, ut Clerici comam non relaxent, aut nutriant: quod in plurimis Conciliis sub anathemate prohibitum est, nominatimque in Concil. Barcinonensi sub Vigilio Papa can. 3. Conc. Romano sub Gregorio II. cap. ult. Conc. Moguntino I. sub Leone IV. can. 25. Conc. Tiburensi sub Formoso can. 27. & aliis.

2. Secundo, ut in modum circuli, & coronæ Tonsuram in capite gestent: quod etiam plurimorum Conciliorum decretis statutū repetitur, ac potissimum Conc. Aquisgranensis I. sub Stephano V. ca. 1.

Conc.

Conc. Lateranensis sub Innocen. III. ca. 19. Conc. Oxoniensis sub Honorio III. ca. de habitu Clericorum, Conc. Ravennatis sub Honorio IV. rubrica 3. & Conc. Palentini sub Urbano VI. rubrica de Clericis conjugatis.

Similiter etiam Clericalis habitus deferendi lex, quæ in iisdem Conciliis lata est, & in plurimis aliis etiam nostri hujusce sæculi confirmata, duo præsertim capita continet. Primum ipsius habitus materiam spectat, de qua in Concil. Nicæno II. can 6. id memorabili decreto constitutum fuit, *ut Episcopi, & Clerici ex sericis texturis variatum vestimentum non habeant, nec se splendidis vestibus exornent*. Quod etiam simili modo sancitum reperitur in Conc. Palentino c. 6. & in Conc. Lateranesi sub Leone X. in Bulla reformationis, & in Conc. Senonensi paulo ante Trid. & in Conc. Mediolanensi I. sub S. Carolo Borromæo, in quibus, & plurimis aliis Conciliis tum Provincialibus, tum Diœcesanis prohibitæ sunt in privato habitu Clericali sericæ vestes, & lanearum solummodo usus universali propemodum Ecclesiæ praxi approbatus fuit.

3. Secundum ejusdem Clericalis habitus formam respicit, ut scilicet vestes ejusmodi sint talares: quod habetur ex collectione antiquorum canonum a S. Martino Bracharensi Archiep. facta circa ann. Domini 572. & in Conc. Rom. sub Zacharia can. 31. ac, ut alia plurima Concilia omittamus, demum in Conc. Senonensi ca. 24. his verbis: *Vestes sint talares, nec nimia amplitudine superfluæ, nec plus æquo constrictæ, in quibus Clericalis Ordinis honestas, & modestia deprehēdatur, fastus, jactantia, vel elationis vitium devitetur*. Præterea ut vestes Clericales nigri sint coloris. Quamvis enim olim violaceus color apud quoscunque Clericos in usu fuerit (ut observat Baron. ad an. 263. n. 48.) nihilominus communis Ecclesiæ usus obtinuit nunc, ut colore violaceo Episcopis reservato, alii Clerici fusco, seu nigro uterentur, quod etiam in Conc. Mediolanensi I. ca. de Clericor. vestitu, & in Conc. Burdegalensi, ann. 1583. & Aquensi, 1585. constitutum est, quas quidem sanctiones Apostolica Sedes confirmavit.

His autem Cōciliorum, adeoque Ecclesiæ universæ toties repetitis decretis omnes omnino Clericali militiæ adscriptos cōstringi manifestum est. Quod quamvis hisce ultimis tēporibus, relaxata nonnihil Ecclesiastica disciplina, nō ita stricte exigatur ab iis, qui Clericali solummodo tonsura initiati sunt; certum est tamē, Clericos Beneficia, aut Officia Ecclesiastica obtinētes, aut Ordinibus Ecclesiasticis, præsertim sacris, initiatos ad Tonsuram, & habitum Clericalem stricte obligari. Quod Conc. Trid. sess. 14. c. 6. de refor. expressis his verbis declaravit. *Omnes Ecclesiasticæ personæ, quātumcunque exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut Dignitates, Personatus, Officia, aut Beneficia qualiacūque Ecclesiastica obtinuerint, si, postquā ab Episcopo suo etiā per edictū publicum moniti fuerint, honestum habitum Clericalē illorū Ordini, &*

 digni-

dignitati congruentem, & juxta ipsius Episcopi ordinationem, & mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac Officio, & Beneficio, ac fructibus, reditibus, & proventibus ipsorum Beneficiorum, nec non si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem Beneficiorum ejusmodi coerceri possint, & debeant.

Ex cujus decreti tenore sequitur, hodie Clericos Tonsuram, & habitum Clericalem contemptui, aut neglectui habere sine gravi peccato non posse, cum pœna suspensionis generalis in illius legis violatores decernatur, quam non nisi ob peccatum aliquod grave decerni ex ante dictis constat. Unde Navarrus, Reginaldus, Riccius, Henriquez, & alii apud Bonac. disp. 8. de sacram. Ordin. q. un. pun. ult. docent, Clericum in sacris Ordinibus constitutum, aut obtinentem Beneficium peccaturum mortaliter, si notabili aliquo tempore Tonsuram, aut habitum Clericalem nõ deferat. Verum est quidem, in Concil. Mediolan. tit. de Clericorum vestitu, num. 18. permitti, ut Clerici in itinere constituti breviori, & contractiori veste, quam vulgo Sotanellam vocant, uti possint, quod etiam concessum reperitur in Conc. Aquensi an. 1585. approbato a Xysto V. Summo Pontifice, nec non in Constitutionibus Synodalibus Diœcesis Alexensis, & quarundam aliarum Diœceseon: sed tamen accipi debet eo sensu, ut solummodo in itinere, non vero domi, aut ruri, deambulationis gratia, licitum sit Clericis uti hac veste breviori, & contractiori, quæ nihilominus talis esse debet, ut infra genua delabatur, quod in suprad. Conc. expresse declaratum est, ut ex ejus forma Clericus a laico facile distingui possit.

ARTICULUS III.
De Beneficiis Ecclesiasticis.

1. NOmine Beneficii Ecclesiastici intelligitur jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod Officium spirituale auctoritate Ecclesiæ constitutum. Ita Lessius lib. 2. de justit. & jure cap. 34. dub. 1.

2. Sunt autem alia Beneficia Regularia, quæ solis Regularibus competunt, & alia Sæcularia quæ solis Sæcularibus conferuntur. Item alia sunt Beneficia duplicia, ut loquuntur Canonistæ apud Rebuffum in praxi pag. 6. alia simplicia. Duplicia vocantur illa, quæ adjunctam habent aliquam administrationem, aut eminentiam in Ecclesia, qualia sunt Beneficia curata, Archidiaconatus, Episcopatus, &c. Beneficia simplicia dicuntur illa, quæ nullam administrationem, aut eminentiam ejusmodi habent, sed tantum instituta sunt ad preces Deo fundendas, aliaque Divina Officia obeunda, quales sunt Capellaniæ, &c. ut docet Navarr. & alii apud Less. sup. dub. 2.

His breviter prænotatis, ex variis, ac plurimis, quæ a Theologis circa

ta Beneficia disputari solent, præcipua, & maxime scitu necessaria, ex communi, & magis recepta probatorum Auctorum doctrina, hic breviter subjiciemus, & quæstiunculis aliquot explicabimus.

QUÆSTIUNCULA I.

Quot modis Beneficia Ecclesiastica licite obtineri possint.

1. QUinque præsertim modis Beneficia licite obtineri possunt, 1. præsentatione, seu nominatione Patroni, & institutione Collatoris, 2. electione, & confirmatione, 3. collatione libera, 4. resignatione in favorem alterius cum secuta collatione, 5. permutatione.

Præsentatio, seu nominatio est personæ alicujus idoneæ per Patronum Episcopo, vel alteri, ad quem institutio, seu collatio pertinet, legitime facta exhibitio: Institutio autem est ipsius Beneficii, juriumque illius collatio, & attributio. Et hæc institutio, seu collatio fieri solum potest per Ecclesiasticos, præsentatio vero etiam per Laicos.

Electio in eo differt a præsentatione, quod electio fiat a pluribus, ut a Capitulo, & a solis Ecclesiasticis, per suffragia, præsertimque in Prælaturis locum habeat: præsentatio vero etiam ab una persona, etsi Laica, & in quovis beneficii genere. Confirmatio vero est collatio beneficii facta electo, sicut institutio est eadem collatio facta præsentato, seu nominato.

Collatio libera dicitur, quando Beneficium solo jure Prælati datur, nec subest juri Patronatus.

Resignatio est, quando quis beneficium suum libere resignat, seu dimittit in manibus Collatoris in favorem alterius.

Permutatio denique, quando hæc resignatio fit causa permutandi beneficii cum alterius beneficio. De quibus videri potest Lessius sup.

2. Quæres, utrum beneficia sint semper dignioribus conferenda. Respondetur, quod licet is, qui resignat Beneficium in favorem alterius, non teneatur quærere dignissimum, sed sufficiat, si dignus sit resignatarius, electores tamen, præsentatores, & collatores tenentur semper, quantum in ipsis est, curare, ut dignissimis conferantur Beneficia, præsertim curam animarum annexam habentia, ut ex S. Thoma, & pluribus aliis Theologis docet Lessius supra, dubio 14. idque variis SS. Patrum auctoritatibus fuse probat, ita ut peccet mortaliter is, qui eligit, præsentat, aut confert Beneficium, præsertim curam animarum annexam habens, digno, prætermisso absque ulla causa legitima eo, qui notabiliter dignior, & aptior videtur, speraturque multo melius functurus officio. Quod etiam confirmari potest ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 1 ubi dicitur expresse, *Omnes, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quomodocunque jus habent, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles*

les ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.

Dictum est, *absque legitima causa*, quia si v. g. Patronus præsentet dignum, Collator conferre tenetur, etsi alios magis idoneos noverit: item si beneficium ex institutione sua conferendum sit alicui ex certa familia, tunc enim aptissimo ex illa familia conferendum erit, non vero aliis, etsi aptioribus.

Quocunque autem modo Beneficium aliquod obtineatur, cavendum est præ cæteris simoniæ peccatum, quod in prædictis omnibus obtinendi Beneficii modis reperiri potest, tam ex parte obtinentis, quam Conferentis, aut Patroni. De quo quidem peccato, quoniam nimis crebro evenire solet, paulo accuratius nobis agendum est.

QUÆSTIUNCULA II.

Quibus modis simonia tum in aliis casibus, tum præsertim in obtinendis Beneficiis committi possit.

1. Simoniæ peccatum a Simone Mago nomen accepit, eo quod primus dona Spiritus Sancti pecunia emere voluerit, Act. 8. & ut loquitur S.Aug.tract.10.in S.Joan. *Volebat emere Spiritum Sanctum, quia volebat vendere Spiritum Sanctum:* ex quo factum est, ut peccatum illud, quo spirituale aliquid, aut spirituali annexum pecunia, aut aliqua re pretio æstimabili emitur, aut venditur, *Simonia* nuncupetur. Quam grave sit autem illud peccatum, patet tum ex objurgatione asperrima, qua S. Petrus erga præfatum Simonem usus est, tum etiam ex eo, quod c. *Reperiuntur*, 1. q. 1. appellatur *Execrabile flagitium*. & c. *sicuti* 1 de simonia dicitur, *Simoniacam pestem sui magnitudine alios animæ morbos vincere*. & cap. *sane* 14. dicitur, *Instar publici criminis læsæ Majestatis esse puniendam*.

2. Est autem triplex simonia (ut docet Toletus l. 5. c. 86.) mentalis, conventionalis, & realis. Simonia mentalis duplici modo contingere potest: primo, cum quis deliberate vult emere, aut vendere aliquid spirituale: secundo, cum aliquid exterius facit cum intentione emendi, aut vendendi aliquid spirituale sine ullo pacto externo, ut si quis obsequium præstet Prælato, aut Patrono hac intentione, ut conferatur illi Beneficium in obsequii mercedem.

Simonia conventionalis est, quando aliquod pactum externum intervenit, quod tamen sive ex utraque parte, sive ex alterutra nondum executioni mandatum est.

Simonia realis est, quando ex utraque parte pactum executioni mandatum est.

Quocunque autem modo simonia committatur, est semper gravissimum peccatum. Non tamen incurruntur pœnæ adversus simoniacos de-

decretæ, nisi propter simoniam realem, aut propter conventionalem, quæ in confidentia reperitur, ut docet, & probat Lessius sup. n. 27. & ex infra dicendis patebit.

3. Quoniam vero innumeris prope modis hoc peccatum committi potest, quos singillatim persequi nimis prolixum foret, proponemus hic regulam generalem communiter a Theologis receptã, qua dignosci poterit in quovis casu particulari, utrum simonia committatur, nec ne. Ad cujus faciliorem intelligentiam supponimus 1. nomine rei spiritualis, quæ per simoniam vendi, aut emi dicitur, intelligi a Theologis, ut recte observat Lessius libro 2. ca. 35. dub. 1. non id omne, aut solum quod est incorporeum, sed id, quod est aliquid supernaturale, sive sit aliquid reale, sive aliquid morale tantum, sive in modum actus, sive in modum habitus, ut sunt virtutes supernaturales, Gratiæ gratis datæ, aut gratum facientes, & Sacramenta, quivis usus potestatis alicujus supernaturalis, vel etiam id, quod est rei supernaturali annexum, ut sunt Beneficia Ecclesiastica, &c.

Supponimus 2. pecuniam, aut aliquid pecunia æstimabile vario, & multiplici titulo pro aliqua re spirituali dari posse, scilicet vel per modum pretii ipsius rei supernaturalis, vel per modum eleemosynæ, & sustentationis, quæ Ministro Ecclesiastico tribuitur, vel per modum oblationis, quæ Deo fit in persona Ministri, vel per modum liberalis, & gratuitæ donationis, aut denique per modum laudabilis consuetudinis ab Ecclesia approbatæ.

Supponimus 3. ex communi, & recepta Theologorum doctrina, cujus probatio videri potest apud Lessium sup. dub. 4. duplicem esse simoniam, aliã jure Divino, aliam jure humano, & Ecclesiastico prohibitã. E. g. vẽditio quævis, aut emptio rei spiritualis supernaturalis est simonia jure Divino prohibita, ut ex variis Scripturæ locis probat Lessius, venditio autem, vel emptio rei alicujus temporalis, quæ alicui rei spirituali annexa est, v. g. emptio, aut venditio Beneficiorum, quoad partem temporalem, simonia est Ecclesiastico jure vetita, quia, ut idem Lessius fuse declarat, quamvis jus ad percipiendos fructus Beneficii materialiter, & seorsim a quovis Officio spirituali, & sacro consideratum sit aliquid temporale, quod proinde Divino jure non est invendibile; Ecclesiasticis tamen legibus, quæ ab eodem Lessio, & aliis Doctoribus fuse citantur, ob reverentiam rei spiritualis annexæ prohibitum fuit, ne tale jus vendi posset. Unde sicut Ecclesia potest decreto aliquo suo locum materialem Divino cultui dicatum reddere immunem, ita ut qui violat immunitatem illam Ecclesiastico jure introductam, peccet contra virtutem religionis, adeoque peccatum sacrilegii committat: ita rem temporalem rei spirituali annexam propter annexionem illam potest a venditione reddere immunem, ita ut si vendatur, aut ematur pretio aliquo temporali, venditio, aut emptio simoniaca censeatur.

4. His

4. His suppositis, ad dignoscendum, in quibus casibus simoniæ labes incurratur, vel nõ incurratur, generalis regula hæc esto. Quotiescũq; aliquid spirituale, vel spirituali annexũ, eo sensu, qui supra explicatus est, emitur, aut venditur, id est quotiescũque pro tali re accipitur, aut datur aliquid pecunia æstimabile, tanquam illius pretium, toties peccatũ simoniæ committitur; secus vero, si alio titulo detur, vel accipiatur. Tunc enim perpendendum est, qualis sit ille titulus, an verus, & legitimus, an vero fucatus, & ad palliandam simoniam appositus.

Ex quo intelligitur, ad rationem simoniæ duo præsertim requiri, quorum unum est pretium, qualis est pecunia, aut quidvis aliud pretio aliquo æstimabile, quale est munus a lingua, vel a manu, vel ab obsequio, ut communiter docent Theologi; alterum est veluti merces, scilicet res aliqua spiritualis, aut spirituali annexa, quæ tali pretio æstimatur, eoque venditur, aut emitur. Unde quotiescunque hæc duo simul concurrunt, toties committitur simonia; si vero vel unum illorum desit, non committitur.

Ex ante dictis sequitur 1. non esse simoniam, si pretium aliquod, vel merces recipiatur pro munere docendi scientiam aliquã naturali industria comparabilem, quia ejusmodi scientia non est quid supernaturale, & præterea, ut recte observat Alensis 2. p. 158. nu. 3. merces illa proprie loquendo non tam datur pro doctrina, quam pro labore docendi, qui est pretio æstimabilis. Qua ratione etiam licite merces aliqua honesta pro tradenda Theologiæ Doctrina dari, & accipi potest ratione laboris, qui in scientia adeo sublimi, & ardua recte explicanda non nisi maximus esse potest, quique proinde ipsius corporis vires valde exhaurire solet: quod etiam docent Adrianus, Cajetan., Victoria, Sotus, Suarez, & alii apud Layman. c. 7. de sim. §. 4.

5. Sequitur 2. neq; etiam committi simoniam, si Sacerdotes stipendium, seu honorarium accipiant pro celebrationibus Missarum, exequiis mortuorum, aliisque functionibus Ecclesiasticis, quando illud non datur per modum pretii, sed per modũ eleemosynæ, & sustentationis, aut laudabilis consuetudinis ab Ecclesia approbatæ. Unde Apost. 1. Cor. 9. dicit, quod *Qui in Sacrario operãtur, quæ de Sacrario sũt edũt, & qui Altari deserviũt, cũ Altari participant*: & c. *ad Apostolicã audientiã*, de simonia, expresse habetur, quod quãvis Sacerdotibus, & Clericis, pro his, & similibus pecuniam exigere, & extorquere prohibitũ sit, laici tamen laudabilem consuetudinem pia erga sanctam Ecclesiam devotione introductam infringere non debent, sub prætextu canonicæ pietatis, sed per Episcopum ad id possunt compelli.

Sequitur 3. nullam quoque committi simoniam, quando pro dote puellæ, quę vitam Religiosam vult profiteri, aliquid ab ea, vel ab ejus parentibus accipitur, cum id accipiatur per modũ sustentationis. Secus vero, si præcise pro ipsa susceptione ad statum Religiosũ aliquid acciperetur, quia tunc esset id omnino simoniacum, ut docet S. Thomas,

mas, Sotus, Sylvester, Suarez apud Laym. c. ult. de sim. §. 4. Qui etiam merito dubitat, utrum, quando Monasterium dives est, licitum sit aliquid ejusmodi titulo sustentationis exigere. Certe S. Doct. in 4. dist. 25. q. 3. a. 2. q. 2. ad 7. aperte declarat: *Quando sine gravamine Monasterii recipi potest Novitius, simoniacum est aliquid exigere*: cui subscribunt Cajetanus, Victoria, Rosella, Armilla, Lessius, Suarez, & alii apud Laym. sup. Et Innoc. III. in Concilio generali Lateran. cap. 64. habeturque c. *Quoniam*, de simonia, penitus prohibuit, ne Moniales pro aliis in cœtum, & Monasterium suum cooptandis, & admittendis pretium ullum recipiant, prætextu paupertatis, non quidem veræ, sed fictæ, & simulatæ. Quamvis autem Lessius cit. cap. 35. dub. 12. Tolet. lib. 5. cap. 89. & quidam alii Theologi nitantur excusare praxim illam, quæ in omnibus ferme Monasteriis etiam ditissimis nunc viget, ut in ea nonnisi mediante dote, ac pretio sub prætextu sustentationis pateat aditus; idem tamen Lessius fatetur, id esse verum avaritiæ signum, & speciem simoniæ redolere.

6. Sequitur 4. nullam esse simoniam, quando calices, & alia vasa, & vestimenta sacra venduntur, aut emuntur, quia, ut ex communi Theologorum consensu docet Suarez l. 4. c. 4. num. 12. hæc, & similia, quamvis consecrata, & cultui Divino dicata, remanent semper secundum se pretio æstimabilia, ac proinde vendibilia. Consecratio enim non nisi accidentaliter illis annectitur. Si tamen majori pretio venderentur, quia consecrata sunt, tunc simonia committeretur, ut docet Toletus supra, & satis per se patet.

Quod autem spectat ad simoniam, quæ in Beneficiis Ecclesiasticis reperiri potest, ut facilius, & certius dignosci possit, in quibusnam casibus ea contingat, observationes aliquas ex magis communi, & recepta Doctorum sententia hic breviter subjiciemus.

Prima est, nullam esse simoniam resignare Beneficium in favorem tertii cum clausula, *Non aliter, non alias*, quando ejusmodi resignatio fit in manibus Summi Pontificis, ut ex Rebuffo, Navarro, & aliis docet Lessius c. 35. dub. 14. & satis ex communi usu, & praxi constat.

Secunda, nullam quoque esse simoniā resignare Beneficium in manibus ejusdē Summi Pontificis, reservata aliqua moderata pensione, ut docet idem Auctor dub. 15. & ex communi usu satis patet. Imo qui vult resignare in favorem tertii sub onere alicujus pēsionis, potest licite cum illo transigere de illa, non quidem absolute, sed sub beneplacito Pontificis, alias, si absolute faceret, simoniam committeret.

Quæres, utrum is, qui resignat sub onere pensionis, ad faciliorem, & tutiorem illius solutionem, de hypotheca aliqua, aut fidejussione cum resignatario convenire licite possit. Respondetur, posse, dummodo fiat sub ejusdem Summi Pontificis beneplacito, & illius auctoritate confirmetur, alias illicitum fore, ac simoniam redolere, ut docet idem Lessius: qui etiam recte monet, in resignationibus quibuscun-

cunque omne pactum de onere temporali, quod rei spirituali est annexum, licite fieri non posse absque legitima auctoritate Superioris, quod maxime observandum est.

7. Tertia, resignare, vel conferre Beneficium alicui in confidentiam, id est ex intentione illum obligandi, ut post aliquod tempus propinquo, vel amico resignantis, aut conferētis, aut cuivis alteri resignet, aut ut pensionem ex eo alteri solvat, esse simoniam confidentiæ mentalis: si vero pactum intercedat, esse confidentiam simoniæ realis, quæ pœnas juris infert, ut docet idem Lessius dub. 16. & habetur in Pii V. Bulla, quam refert Navarrus c. 23. nu. 110.

Quarta est, Beneficia non posse licite permutari sine Prælati auctoritate, & hanc permutationem non modo illicitam esse, ac simoniam redolere, sed etiam irritam, ac invalidam, ut habetur apud eundem Lessium dub. 17. Quæres, utrum in permutatione Beneficiorum compensari possit fructuum inæqualitas. Respondetur; posse, dummodo id fiat ex licentia, & auctoritate Summi Pontificis, vel reservando pensionem ex Beneficio, quod ampliores habet proventus, vel aliquid præstando, quod ab ipso Pontifice tanquam justum, & licitum approbetur, ut docet idem Lessius sup.

Quinta est, illum, qui habet jus in Beneficio aliquo, seu cui Beneficii collatio legitime facta est, posse pretio redimere vexationem injustam, si forte quis illum à possessione capienda impediat, nec in ea redemptione ullam committi simoniam, ut ex S. Doctore, Soto, Navarro, & aliis docet Lessius dub. 18.

QUÆSTIUNCULA III.

Quænam sint pœnæ contra simoniacos constitutæ.

1. POenæ illæ secundum juris dispositionem non incurruntur, nisi ob simoniam commissam in Religionis ingressu, Ordine, & Beneficiis.

Atque in primis excommunicantur tam dantes, quam recipientes aliquid simoniace pro ingressu Religionis, & qui sic admissi sunt, non nisi ex dispēsatione Ordinarii in Monasterio illo manere possunt, ut patet ex extravag. Urbani IV. quæ incipit, *Sane non in vinea Domini.*

Similiter is, qui confert Ordines simoniace, est excommunicatus, ut habetur in extravag. *Cum detestabile*, de simonia, est etiam suspensus a collatione cujusvis Ordinis, etiam Tonsuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium, interdictus est etiam illi Ecclesiæ ingressus, & est suspensus a perceptione fructuum omnium suorum Beneficiorum: nullusque potest illum absolvere, præter Summum Pontificem, etiamsi delictum sit occultum, ut habetur in Bulla Xysti V. edita in male promoventes, & promotos. Quod intelligendum est pro iis locis, in quibus Bulla illa promulgata, & recepta fuit; existimæ

stimat siquidem Lessius dub. 24. illam plerisque in locis ignorari, proindeque non esse receptam.

Qui autem Ordinem aliquem simoniace susceperit, est excommunicatus ipso facto, ut habetur cit. extravag. *Cum detestabile*, est etiam suspensus ab executione suorum Ordinum, ut ibidem dicitur, per supra dictam Bullam Xysti V. privatur omnibus Dignitatibus, Officiis, Beneficiis, & efficitur inhabilis ad omnia, nec ab alio, quam a Romano Pontifice absolvi posse dicitur.

Denique qui Beneficium simoniace confert, aut conferri procurat, eligendo, præsentando, confirmādo, commendando, est ipso facto excommunicatus, ut habetur ex cit. extravag. *Cum detestabile*: quæ pœna etiam ibidem decernitur contra illos, qui operam suam interponunt, ut Beneficiū simoniace obtineatur, vel ut Ordo simoniace cōferatur.

Qui vero beneficium per talem simoniam acquirit, est ipso facto excommunicatus, & collatio, ac provisio Beneficii nulla est, nullumque jus tribuit, ut in eadem extravaganti statuitur, ac insuper fit inhabilis ad idoneum Beneficium obtinendum, ut habetur cap. *Nobis fuit*, de simonia, & capite penultimo de electione. Quæ pœnæ similiter inflictæ sunt contra eos, qui simoniam confidentiæ committunt, ut fusius explicat Lessius dub. 26.

Quæres, utrum pretium simoniace acceptum sit restituendum. Respondetur, quod quamvis Navarr. c. 23. nu. 103. & 104. & quidam alii Theologi existiment, nullam ad id esse obligationem; probabilior tamen, & tutior videtur sententia Adriani, Henrici, Soti, & plurimorum aliorum Doctorum apud Lessium dub. 28. qui asserunt, pretium illud esse restituendum, non quidem ei, qui dedit, sed Ecclesiæ, vel pauperibus, ut ex S. Th. & aliis probat idem Lessius dub. 31.

QUÆSTIUNCULA IV.

Utrum licitum sit plura simul Beneficia possidere.

1. UT huic quæstiunculæ satisfiat, nihil aptius afferre possumus, quam ipsius Concilii Tridentini decretum, in quo quis esset universæ Ecclesiæ sensus super hac re, declaravit sess. 24. c. 17. his verbis: *Cum Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium Officia occupat, sanctæ sacris Canonibus cautum fuit, neminē oportere in duabus Ecclesiis adscribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu seipsos, non Deum decipientes, ea, quæ bene constituta sunt, variis artibus illudere, & plura simul Beneficia obtinere non erubescunt, sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti decreto, quod in quibuscunque personis quocunque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, statuit, ut in posterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non*

sussi-

sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrunque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad Cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia Beneficia tam Sæcularia, quam Regularia quæcunque, etiam commendata, pertineant, cujuscunque tituli, ac qualitatis existant.

Ex quibus Concilii verbis quædam scitu necessaria, & observatu dignissima colligere possumus.

Primum est, quod quamvis habere plura Beneficia non sit intrinsece malum, alioquin nullo in casu super illis dispensari posset, non est tamen ex se omnino indifferens, sed ex genere eorum, quæ deformitatem quandam, & inordinationem præ se ferunt, cum Conc. dicat, pluralitate illa Ordinem Ecclesiasticũ perverti, proindeque non nisi adhibitis certis circunstantiis cohonestari posse: quæ est expressa S. Th. doctrina quodl. 9. a. 15. cui communiter alii Theologi subscribũt.

2. Secundum est, pluralitatem illam, præsertim in Beneficiis curam animarum habentibus, censeri illicitam, ut expresse declaratur in Conc. Trid. loc. sup. cit. & in Conc. Lateran. sub Alex. III. c. 13. Quod etiam similiter intelligendum est de aliis quibuscunque incompatibilibus, quales sunt Dignitates, Personatus, Officia, & alia omnia Beneficia, quæ residentiam requirunt, quæ quidem plura simul retineri non possunt, quamvis unumquodque eorum seorsim ad vitam honeste sustentandam non sufficiat, ut ex Concilii verbis satis constat. Est tamen verum, aliquando in ista pluralitate Beneficiorum incompatibilium Summum Pontificem dispensare posse, quando evidens, & notabilis Ecclesiæ necessitas, aut utilitas id exigit, qua ratione S. Gregor. Martinum, Paulinum, Agnellum, & alios Episcopos duobus simul Episcopatibus præesse voluit. Verum de illa necessitate, & utilitate Ecclesiæ, an talis sit, quæ pluralitatem illam coram Deo excuset, penes ipsum Summum Pontificem esto judicium.

3. Tertium est, licitum esse plura Beneficia compatibilia simul obtinere, si ita necesse sit ad honestam vitæ sustentationem, ut ex citato Concilii decreto habetur. Compatibilia autem Beneficia in diversis quidem Ecclesiis censentur ea, quorum saltem alterum ad residentiam personalem non obligat; in eadem autem Ecclesia compatibilia Beneficia dicuntur ea, quæ non sunt uniformia, seu quæ ad easdem functiones minime concurrunt. Duo proinde in casu supra dictæ necessitatis simul retineri possunt, nisi alicujus specialis Ecclesiæ constitutio, vel consuetudo repugnet, ut docet Navarrus, Lessius, & alii apud Laymannum tract. 10. c. 8. de Benef. n. 6.

Qualis autẽ sit honesta vitę sustẽtatio, cujus necessitas pluralitatẽ illam Beneficiorum corã Deo excuset, prudentis, ac timorati viri judicio determinandum est, qui spectatis, & perpensis circunstantiis status, conditionis, ætatis, personæ, & aliis similibus, id ex æquo, & bo-

no

no dijudicare debet. Alia siquidem censetur esse honesta vitæ sustentatio requisita in Episcopo, alia in Sacerdote inferioris ordinis: alia item esse solet ratio victus in persona multum nobili, & illustri, alia in ignobili. Constat etiam, virum doctum, ingeniiq; dotibus præcellentem, ac pro bono communi Ecclesiæ laborantem uberiori annona indigere, non quidem ad delicias, aut fastum, sed ad sustentandas corporis vires, vel ad alia adjumenta necessaria comparanda.

4. Quartum denique est, cessante causa rationabili, & justa, sive honestæ sustentationis, sive necessitatis, aut utilitatis ipsius Ecclesiæ (ut supra dictum est) illicitum esse plura Beneficia, quamvis compatibilia, simul retinere, nec ad id ullam Summi Pontificis dispensationem posse suffragari, cum hæc Beneficiorum qualiumcunque pluralitas juri naturali repugnet, quando nulla justa, & rationabili causa cohonestatur. Ita sentit S. Bernardus Ep. 271. ad Theobaldum Campaniæ Comitem, & lib. 3. de consideratione ad Eugenium c.6. & S. Th. cit. quodl.9 a.5. Ita etiam docent Paludanus, Adrianus, Gabriel, Sylvester, Major, Cajetanus, Azorius, Navarrus, & plures alii, quos citat, & sequitur Laymannus supra, quibus addere possumus Card. Bell. in Epist. ad Episcopum Theanum nepotem suum, ubi, postquam dixit, sacros Canones horrere multiplicitatem Beneficiorum, addit, Theologos Parisienses post longam disputationem anno 1238. definiisse, *neminem posse duo Beneficia, si unum sufficeret ad eum alendum, obtinere sine peccato mortali*.

Cæterum an præter Ecclesiæ necessitatem, & utilitatem, & honestam vitæ sustentationem, subesse possit aliqua alia causa justa, & rationabilis, ob quam dispensatio super pluralitate Beneficiorum compatibilium licite postulari, & valide impetrari queat, Doctorum judicio discutiendum relinquentes, hoc solum observamus, huic Beneficiorum pluralitati absque ulla legitima causa minime suffragari consuetudinem, & usum a multis introductum, cum (ut recte monuit Bellarminus admonitione ad Clement. VIII.) usus ille tanquam pravus, & abusivus a Conc. Trid. sit abrogatus.

QUÆSTIUNCULA V.

Qualiter se Beneficiarii gerere debeant in expendendis Beneficiorum suorum reditibus.

1. TRia sunt genera bonorum, quæ Beneficiarii possidere possunt, *Patrimonialia*, quæ ipsi hæreditate, vel industria, vel alio modo, quo Laici solent, sibi acquirunt: *Quasi Patrimonialia*, quæ ipsis tanquã Clericis obveniũt, ob functiones aliquas Ecclesiasticas, v.g. ob Missæ celebrationem, concionem, cantum Ecclesiasticum, &c. *mere Ecclesiastica*, quæ ratione Beneficii alicujus, v. g. Canonicatus, Decanatus, &c. percipiuntur. Et de bonis quidem Patrimonialibus

certum est, Beneficiarios, secundum doctrinam S. Th. 2. 2. qu. 158. a.7. Less. l.2. c.4. dub.6. Laym. c.3. de Benef. & aliorum communiter Theologorum, libere disponere posse; cum ejusmodi bonorum verum habeant dominium, perinde ac Laici. Neque enim per Clericatus, aut Ordinis susceptionem fiunt dominii incapaces, neque se bonorum dominio abdicant. Proindeque bona Patrimonialia pro libito expendere possunt, dummodo tamen in eis expendendis nihil ab ipsis fiat, quod justitiæ, vel charitati repugnet. Idem quoque de bonis quasi Patrimonialibus dici posse, censent Joannes Major. Covarr. Navarrus, Lessius, & alii, quos citat, & sequitur Laymannus sup. & etiam de bonis mere Ecclesiasticis, seu reditibus Beneficiorum, quoad eam partem tantum, quæ congruæ cujusque sustentationi necessaria est.

2. Difficultas igitur præcipua est de ea parte redituum, & proventuum Ecclesiasticorum, quæ congruæ, & honestæ sustentationi minime necessaria est, ac proinde ipsis Beneficiariis superflua: de qua quæritur, qualiter ab ipsis expendi debeat. Cujus quidem difficultatis resolutio pendere videtur ex altera quæstione, num scilicet Beneficiarii habeant verum, & proprium dominium illius partis fructuum, & redituum suorum, quæ congruæ, & honestæ illorum sustentationi necessaria non est. De qua re duæ sunt celebres Doctorum sententiæ.

Prior est Majoris, Paludani, Navarri, & aliorum apud Lessium supra, qui censent, Beneficiarios non esse dominos illius partis redundantis, sed tantum dispensatores, proindeque obligari ex justitia ad partem illam in pios usus expendendam; alias, si secus fecerint, non modo peccare mortaliter, sed etiam ad restitutionem obligari, id est teneri tantundem ex aliis bonis in pia opera impendere. Posterior sententia est eorum, qui docent, post erecta Beneficia, cæterosque proventus singulis titulis assignatos, Beneficiarios effici absolute dominos omnium proventuum, ita ut quamvis partem superfluam in profanos usus expendendo mortaliter peccent, nō tamen ad ullam restitutionem faciendam obligentur. Ita Sotus, Covarruvias, Franciscus Sarmientus & alii, quos citat, & sequitur idem Lessius sup.

Quamvis autem ambæ illæ sententiæ propter auctoritatem gravium, & insignium Theologorum, qui eas propugnant, & rationes, quibus fulciuntur, sint valde probabiles; prior tamen, ut ipsemet Lessius fatetur, tutior est, & in praxi consulenda, licet damnari non debeat is, nec a Sacramento Pœnitentiæ arceri, qui posteriorem amplecteretur, nec ab illa recedere vellet.

3. Cæterum sive Beneficiarii censeantur esse domini redituum suorum, sive solummodo dispensatores, certum est, & apud omnes in confesso, peccaturos illos, si portionem illam redundantem in profanis usibus, aut in propinquis ditandis impendant. Quod aperte constat ex Conc. Trid. sess. 25. c. 1. de ref. Quod quidem caput, quoniam

multa

multa super quæstione, quam tractamus, continet observatu dignissima, quæ quivis in Beneficiis, & Dignitatibus Ecclesiasticis constitutus maxime ob oculos habere deberet, integrum hic subjicimus. Sic igitur Concilium, *Optandum est*, inquit, *ut ii, qui Episcopale ministerium suscipiunt* (ea vero, quæ de Episcopis dicuntur, de quibuscunque etiam aliis Beneficiariis intelligenda esse infra declarat) *quæ sua sint partes, agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandũ est, & Fideles reliquos ad religionem, innocentiãque facilius inflammandos, si Præpositos suos viderint non ea, quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac cœlestem patriam cogitantes. Hæc cum ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam præcipua esse Sancta Synodus animadvertat, admonet Episcopos omnes, ut secum ea sæpe meditantes, factis etiam ipsis, ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum quoddã prædicandi genus, se muneri suo conformes ostendant: in primis vero ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac, quæ nos tantopere commendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solum jubet, ut Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota sua domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat. Omnino vero eis interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant, cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa: imo quam maxime potest, eos Sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscunque Beneficia Ecclesiastica, tam Sæcularia, quam Regularia obtinentibus pro gradus sui conditione observari, sed & ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere, decernit; quorum consilio apud Sanctissimum Romanum Pontificem cum universalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest, non iis etiam virtutum insignibus, ac vivendi disciplina eos fulgere, quæ merito omnium in se oculos convertant.*

QUÆSTIUNCULA VI.

Quæ sit obligatio Beneficiariorum ad residentiam.

1. RESidentiæ nomine intelligitur assiduitas commorationis in loco Beneficii, ad obsequia Ecclesiastica personaliter reddenda. Unde colligitur, ut recte observat Sylvester, verbo *Resi-*

demia, illum, qui in loco Beneficii commoraretur, sed nullum unquam per se præstaret officium, cum posset, & deberet, non censendum esse residere.

Ad residentiã igitur personalem eo modo intellectam obligantur in primis omnes habentes Beneficia, quibus animarũ cura incumbit, ut expresse declaratur in Conc. Trid. sess. 23. c. 1. de reform. his verbis: *Cum præcepto Divino mandatũ sit omnibus, quibus animarũ cura commissa est, oves suas agnoscere, &c. quæ omnia ab iis nequaquã præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorũ more deserunt, &c. declarat sancta Synodus, omnes Cathedralibus Ecclesiis præfectos obligari ad personalẽ in sua Ecclesia, vel Diœcesi residentiã, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur, &c. & infra: Eadẽ omnino etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de Curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, sacrosancta Synodus declarat, & decernit*. In illo tamen capite permittitur Episcopis singulis annis sive continue, sive interrupte, a suis Ecclesiis, sive Diœcesibus ex justa aliqua causa abesse per duos, aut ad summum tres menses.

2. Ex eodem etiam capite colligunt Doctores, Curatos, seu Parochos, & quosvis alios Beneficium Ecclesiasticum curam animarum habens obtinentes, ab Ecclesiis, seu Parochiis per duos tantummodo menses sive continue, sive interrupte quotannis abesse posse, idque non nisi justa aliqua ex causa, & dummodo idoneos Vicarios ab Ordinariis approbatos substituant, ita ut grex ipsorum curæ commissus nihil ex ejusmodi absentia detrimenti patiatur.

Utrum autẽ hujus bimestris absentiæ causa per Episcopum approbari debeat, illiusque licentia obtineri, non satis expresse declaravit Concilium. Lessius approbationẽ illam, & licentiam Episcopi requiri affirmat loc. sup. cit. Navarrus vero c. 25. n. 121. negat. Videtur autem probabilissima sententia Laym. qui hac in re tutissimum esse dicit, cujusque Diœcesis consuetudinem, & statuta Episcopalia sequi.

Qui autem sive Episcopi, sive Curati, ultra præfatum tempus a Jure concessum non resident, præter culpam mortalem, quam incurrunt, etiam fructus pro tempore absentiæ suos non faciunt, ut habetur ex citato decreto Concilii. Quod tamen Laymannus intelligi posse existimat eo solum casu, quo ex Pastorum absentia damnum aliquod notabile illorum Ecclesiæ foret.

3 Quod spectat ad alios Beneficiarios, qui Officium aliquod in Ecclesiis, quibus adscripti sunt, personaliter præstare debent, quales sunt ii, qui obtinent Dignitates, Canonicatus, Præbendas, vel portiones in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis, decrevit Concilium sess. 24. c. 12. de ref. ut illis non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab iis Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earundem Ecclesiarum constitutionibus,

quæ

quæ longius servitium requirunt, alioquin pro tempore absentiæ privandos esse fructibus decernit; super qua re legitima cujusque Ecclesiæ consuetudo consulenda est, & servanda.

Sunt autem quædam causæ, ob quas diuturnior absentia quorumcunque Beneficiariorum etiam curam animarum habentium licita reddi potest, quales sunt (ut loquitur Concilium sess. 23. c. 1.) *Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas*: quæ tamen causæ ut legitimæ censeantur, a Superioribus probari debent, nisi quando absentia contingit ob aliquod munus, & Reipublicæ officium Episcopatibus, aut aliis Beneficiis adjunctum.

QUÆSTIUNCULA VII.

Quænam requirantur dispositiones, ut quis censeatur idoneus ad Beneficium aliquod Ecclesiasticum.

1. PRima est, ut sit ex legitimo toro procreatus. Illegitimus enim cujuscunque Beneficii incapax est, nisi cum eo dispensetur. Dispensatio autem illa in Episcopatibus, & aliis Beneficiis curam animarum habentibus non nisi per Summum Pontificem dari potest: in aliis autem Beneficiis simplicibus etiam per Episcopum: Ita habetur ex cap. 1. de filiis Presbyterorum in 6.

Secunda est, ut sit saltem prima Clericali Tonsura initiatus, alias inhabilis censetur ad quodvis Beneficium. Id constat ex cap. *Cum Deo* 17. de rescriptis, & cap. *Ex literis in 6.* de transactionibus. Requiritur præterea, ut is, qui Ecclesiam Parochialem adeptus est, promoveatur ad Ordinem Presbyteratus intra annum a tempore pacificæ possessionis, alias ipso jure Beneficio illo privatus censebitur. Ita cap. *Liceat*, can. 14. & cap. *Commissa* 35. de electione in 6. Qui autem Dignitatem, Personatum, Præbendam, Portionem, & aliud simile Beneficium in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis obtinet, tenetur infra annum Ordinem officio sibi proprio convenientem suscipere, v. g. si ad Evangelium cantandum ratione officii sui deputatus est, Diaconatum suscipere debet, si ad Missam celebrandam, Presbyteratum. In Ecclesiis tamen Cathedralibus tenentur Canonici intra annum ad Ordinem sacrum Presbyteratus, aut Diaconatus, vel saltem Subdiaconatus promoveri, ut statutum est in Conc. Trid. sess. 22. c. 4. & sess. 24. c. 12. Qui vero Episcopatum adeptus est, nisi munus consecrationis intra tres menses susceperit, ad fructuum perceptorum restitutionem tenetur; &, si totidem postea menses neglexerit, Episcopatu ipso jure privatus est, ex eodem Conc. Trid. sess. 23. c. 2.

Tertia est, ut non sit conjugio copulatus, ut habetur c. 2. & 8. de Clericis conjugatis, & in Trid. sess. 22. c. 4. Unde si quis Clericus Bene-

neficium habens, & nondum sacro Ordine initiatus Matrimonium contrahat, ipso jure illud amittit, ut ex communi Doctorum consensu, & Ecclesiæ praxi constat.

2. Quarta est, ut nulla sit Censura irretitus, aut irregularitate affectus. Collatio enim Beneficii facta excommunicato excommunicatione majori, suspenso, interdicto, vel irregulari, nulla est, & ipso facto irrita, ut habetur ex c. *Postulatis* 7. de Clerico excommunicato, cap. *Cum dilectus* 8. de consuetudine, c. 1. de postulatione Prælatorum, & cap. *Tanta* 18. de excessibus Prælatorum.

Quinta est, ut probis moribus, & doctrina sufficienti præditus sit. Id habetur ex cap. *Cum in cunctis*, de electione, & ex Conc. Trid. sess. 24. c. 12.

Sexta denique est, ut habeat determinatam intentionem status Ecclesiastici, Ordinisque muneri suo necessarii, nec non in suscepto Beneficio sincere, & bona fide Deo inserviendi. Id constat ex c. *Super inordinata*, & c. *Gravi*, de præbendis, & ex communi Theologorum consensu docet Lessius c. 34. dub. 26. Unde sequitur, illum peccare mortaliter, qui acceptat Beneficium aliquod absque recta, & Deo grata intentione, sed solummodo ut fructus per aliquod tempus percipiat, v. g. donec studiorum cursum absolverit, vel opulentam uxorem invenerit, ut ex Navarro, & aliis probat Lessius sup. qui etiam docet, eundem teneri ad restitutionem fructuum perceptorum, nec posse Beneficium illud licite retinere.

ARTICULUS IV.
De Horarum Canonicarum recitatione.

1. HOrarum Canonicarum nomine intelliguntur publicæ quædam, ac determinatæ preces horis diurnis, nocturnisque ab Ecclesiasticis personis ex sacrorum Canonum decreto, Ecclesiæ nomine, Deo persolvendæ, quæ etiam interdum Officii Divini, vel Ecclesiastici nomine significantur.

Quatuor autem præsertim de Horarum Canonicarum recitatione quæri solent. Primum est, quinam ad horas illas recitandas obligentur, secundum, quomodo horæ illæ recitari debeant, ut obligationi illi satisfiat, tertium, quibus pœnis subjaceant illi, qui recitare omittunt, quartum denique, quæ sint causæ ab hac horarum recitatione excusantes.

QUÆSTIUNCULA I.
Quænam personæ obligentur ad recitandas Horas Canonicas.

1. HOrarum Canonicarum recitandarũ obligatio ex triplici capite oritur, nimirum ex susceptione Ordinis sacri, ex Beneficio,

cio Ecclesiastico, & ex Religiosi status professione. Ac proinde tria sunt genera personarum, quæ ad recitationem illam obligantur, initiati sacris Ordinibus, Beneficiū aliquod obtinentes, ac Religiosi.

Atque in primis certum est, omnes & quoscunque Clericos in sacro aliquo Ordine constitutos ad Horas Canonicas privatim recitandas sub culpa mortali obligari, etiamsi nullum Ecclesiasticum Beneficium obtineant. Ita communiter Doctores, ac præsertim Angelus, Sylvester, Azor. Covarruvias, Medina, Suarez, Toletus, & alii apud Laym. tra. 1. de Horis Canonicis cap. 4. & aperte constat tum ex cap. *Dolentes*, de celebratione Missarum, tum maxime ex generali totius Ecclesiæ praxi, & consuetudine, quæ vim legis obtinere merito censetur, ut recte observat Navarrus c. 7. n. 2.

Certum est præterea, omnes, ac quoscunque Clericos Beneficium aliquod Ecclesiasticū obtinentes, licet nullo sacro Ordine insignitos, ad easdem Horas Canonicas recitandas similiter obligari, ut habetur ex cap. *Quia per ambitiosam*, de rescriptis in 6. & ex Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9. in Bulla reformationis. § *Statuimus*, quam constitutionem postea renovavit, & explicavit Pius V. in Bulla sua 138. quæ refertur apud Navarrum c. 26. n. 122.

2. Quod vero spectat ad Religiosos, quamvis quidam Doctores existiment illos ad Horarum Canonicarum recitationem minime teneri, nisi vel sacrum aliquem Ordinem susceperint, vel speciali aliquo regulæ suæ statuto ad id obligentur; vera nihilominus, & in praxi tenenda est contraria sententia, quæ asserit, Religiosos omnes, ac singulos (exceptis Novitiis, ac Laicis conversis) qui profitentur Religionem Choro addictam, non minus, quam Clericos majoribus Ordinibus initiatos, sub mortali peccato ad Horas Canonicas recitandas obligatos esse, idque vi generalis consuetudinis, quæ in omnibus Religionibus choro addictis recepta est, Ita S. Antoninus, Bartholomæus Medina, Emmanuel Rodriquez, Suarez, Azorius, Valentia, Bellarminus, Lessius, & alii, quos citat, & sequitur Laym. c. 4. de Horis Canonicis. Toletus etiam lib. 2. c. 12. non modo Religiosos, sed etiam Moniales professas ad easdem Horas recitandas obligari dicit, quod tamen cum duplici limitatione intelligendum videtur.

Prima est, ut illæ tantum ad id obligentur, quæ Religionem choro addictam professæ sunt. Unde Religiosæ illæ, quæ se ad infirmorum obsequium totas devoverunt, ab hujusmodi recitatione ut plurimum censentur immunes. Secunda est, ut ex instituto Ordinis sui aliæ preces loco Canonicarum recitandæ illis præscriptæ non sint. Qua ratione Moniales illæ, quæ ex instituto suo ad recitandum Officium parvum B. M. V. solummodo tenentur, ad majus Officium persolvendum non censentur obligatæ.

QUÆSTIUNCULA II.

Quomodo Horæ Canonicæ recitari debeant.

1. QUatuor in recitatione Horarum Canonicarum præsertim observanda sunt, qualitas scilicet illarum, ac integritas, & in iis recitandis aptum tempus, & modus debitus.

Quod spectat ad primum, omnes, qui ad Horas Canonicas obligantur, tenentur eas recitare juxta præscriptum Breviarii Romani à Pio V editi, & a Clemente VIII. reformati, exceptis Ecclesiis, & Conventibus, qui jam a ducentis annis ante illius editionem alio Breviario usi fuerint, quibus permittitur, ut illud deinceps retineant, nisi malint cum Episcopi, seu Prælati, & Capituli consensu Romanum Breviarium acceptare. Ita expresse habetur in Bulla Pii V. ipsi Breviario Romano præfixa. Addit Suarez tom. 2. de relig. l. 4. cap. 11. postquam dictæ Ecclesiæ Breviarium suum cum Romano semel commutarunt, non posse deinceps, hoc relicto, suum antiquum accipere, eo quod Pontificiæ concessioni antiquum ritum retinendi renunciasse censentur.

Quamvis autem in publica recitatione officii, quæ fit in choro, usus proprius cujusque Ecclesiæ servari debeat, & maxime deceat, Clericos in privata ejusdem Officii recitatione Ecclesiæ ritum sequi; multi tamen Doctores probabiliter existimant, cuivis extra chorum licitum esse posthabito Ecclesiæ suæ Breviario, Romanum recitare. Ita Navar. Rodriquez, Emmanuel Sà, Lessius, & alii, quos citat, & sequitur Laym. c. 5. de Hor. Can.

2. Quod si (ut interdum contingere potest) ex inadvertentia quis Officium mutet, v. g. Officium de Feria pro Officio alicujus Festi proprio recitet, quamvis laudabile sit, ut, postquam id adverterit, Officium prætermissum repetat; ad id tamen sub peccato non obligatur; quia dummodo septē Horæ Canonicæ integræ recitentur, præceptum Ecclesiasticum quoad substantiam servari censetur. Ita Sylvester, Cajetan. Azor. Lessius, & alii apud eundē Laym. supr. qui tamen addit ex Suarez, si Officium utrumq; sit æquivalens, consultum esse ea subjungere, si commode fieri possit, quæ intermisso Officio propria sunt, si autem Officium, quod per errorem recitatum est, multo brevius sit, v. g. de Sancto, cum de Dominica fieri debuisset, compensationem aliquam esse faciendā, dicendo v. g. novē Psalmos ex primo Dominicæ Nocturno, ne tam notabilis pars Officii intermissa remaneat. Similiter si quis ex oblivione, vel aliqua causa ordinē Horarū inverterit, si v. g. Vesperas recitaverit ante Sextam, aut Nonā, sufficit, ut omissas horas repetat. Nec enim ullum peccatum est, saltē mortiferum, ordinē horarum invertere, cum ejusmodi ordo

do extra Chorum non sit sub præcepto, nisi secundario, & tanquam circumstantia minoris momenti, ut docet Lessius c. 37. dub. 12.

3. Quod spectat ad secundum, septem sunt Horæ Canonicæ, scilicet Matutinum cum Laudibus Prima, Tertia, Sexta, Nona Vesperæ, & Completorium, quæ singulæ integræ recitari debent, idque continue, & sine notabili interruptione, ut habetur cap. *Nihil* 7. quæst. 1. capite *Nullus*, de consecrat. dist. 1. & in Concilio Basileensi sess. 21. cap. *Qualiter horæ* Sed difficultas est, quale sit peccatū, cum quis horarum recitationem interrumpit. Respondetur, nullum esse peccatum, si hæc interruptio fiat ex causa aliqua justa, ut si vocetur quis a Superiore, vel si ex charitate, vel necessitate aliquid faciendū occurrat, quod differri commode non possit. Si vero nulla ejusmodi causa subsit, Navar. c. 16. tr. de or. existimat, interruptionem illam sine peccato mortali fieri deliberate non posse: alii tamen communiter censent, quantacunq; sit interruptio illa, secluso contemptu, non incurri nisi peccatum veniale, neque ullam esse obligationem Officium, aut horam inchoatam repetendi, quia horæ nullam ut plurimum inter se connexionem habent, cum singuli Psalmi, imo singuli pene versiculi per se suam significationem completam retineant. Ita Peltanus, Zechius, Cajet., Suarez, Lessius, & alii, quos cit. Laym. sup. c. 5. Monet tamen Comitolus l. 1. resp. q. 69. si interruptio, quamvis justa, diuturna tamen fuerit, consultum esse repetitionem facere saltem ab initio Nocturni, vel Psalmi, si id commode fieri possit.

4. Quod spectat ad tertiū, in recitatione quidem publica horarum tempus a legitima consuetudine præscriptū servari debet, in privata autem, etsi laudabile sit, ut singulæ horæ suis temporibus, & intervallis recitentur, ad vitandum tamen peccatum mortale sufficit, ut recitentur eo intervallo, quod est inter mediū noctis præcedentis, & sequentis. Qui enim intra illud tempus Horas recitaverit, sive initio, sive in medio, sive in fine, satisfacit substantiæ præcepti, ut docet Tolet. l. 2 c. 1. Lessius supra, & alii communiter. Quamvis autem id citra peccatum mortale fieri possit, nihilominus qui ex culpabili negligentia tempus Horis recitandis præscriptū notabiliter inverteret, peccati venialis reatum haud dubie incurreret, v. g. si absque ulla causa summo mane Horas omnes, etiam Vespertinas, Completorium, aut post meridiem Matutinum illius diei recitaret.

Observat autem Lessius sup. ex consuetudine licitum esse Matutinum, & Laudes recitare pridie, post Solis occasum, ut Cajet. Navar. & alii dicunt, imo etiam ante Solis occasum, post tempus Vesperarum, & Completorii, ut docet S. Thomas quodlib. 5. art. 8. Unde ubi hæc absolvi solent in Ecclesiis hora quarta pomeridiana, licitum erit privatim nocturnum Officium sequentis diei inchoare, cui Laudes adjungi, vel ab illo disjungi possunt, & in sequentem diem differri. Parvæ autem horæ non possunt dici pridie, sed solum post

me-

mediam noctem; possunt tamen omnes usque ad Vesperas exclusive ob aliquam honestam causam recitari mane, teste Navarro supra, imo, si causa justa subsit, etiam Vesperæ adjungi possunt, ut censet idem Lessius, & satis aperte colligitur ex cap 1. de celebratione Missarum. Est autem justa causa, si quis perspiciat, se majori cum devotione, aut animi tranquillitate horas mane recitare, vel si vereatur, ne in aliis temporibus occurrant occupationes, aut interpellationes, quæ animum distrahant. Optime, & apposite Hugo de S.Victore dixit, ut refert Paludanus in 4. dist. 15. q.5. *Ante horam orare providentiæ esse, post horam negligentiæ, in hora obedientiæ.*

5. Quod denique ad 4. spectat, in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *Dolentes*, distincte præcipitur, *ut Divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum studiose, ac devote celebretur.*

Studiose *quoad officium oris*, ut Glossa interpretatur, id est, ut verba debite proferantur, ut habetur in Concilio Basileensi sess. 2. cap. *Qualiter. Horæ Canonicæ, ut non gutture, vel inter dentes, seu degluttiendo, & syncopando dictiones, vel verba, sed reverenter verbis distinctis Officium persolvatur.* Quamvis autem, si id ex inadvertentia, aut infirmitate aliqua, seu balbutie linguæ proveniat, nullum sit peccatum; si tamen ex negligentia, aut culpabili præcipitatione, erit peccatum, veniale quidem, si non sit magnus excessus, mortale vero, si hæc omissio, & syncopatio syllabarum ad notabilem aliquam partem Officii pertingat, quo casu recitans tenebitur id, quod indebite prolatum est, repetere; ut docet Lessius cap. 37. dub. 10.

Devote *quoad officium cordis*, quod quidem requirit, ut attente, & reverenter Officium recitetur. Cum autem multiplex esse possit attentio, vel ad sola verba, ut recte proferantur, vel ad verborum sensum, ut mente, & corde percipiatur, vel ad Deum, quē ut præsentem recitans intuetur, ad eumque petitiones suas, & affectus dirigit, aut circa quem occupatur, veritates aliquas, aut Mysteria Fidei considerando, ut sic se ad ejus amorem excitet; quæritur, quænam attentio necessaria sit ad hoc, ut quis Horarum recitandarum obligationi satisfaciat. Quidam Doctores quos citat Lessius dub. 11. docent, primam attentionē, quæ est ad sola verba recte proferenda, esse sufficientem; quibus etiam subscribit Tolet. l. 2. c. 12. Alii tamen probabilius existimant, attentionem illam esse quidem necessariam, non tamen solam sufficere, nisi adsit quoq; attentio ad sensum verborū, aut saltē generalis aliqua attentio ad Deum, aut ad ea, quæ Dei sunt. Ita Joannes Gerson, Major, Sotus, Navar., Cajet. Suarez, Lessius, & plures alii, quos citat Laym. c. 5. de Hor. can. quibus accedit auctoritas S. Doct. in 4. dist. 15. q. 4. a. 2. q. 4. ad 2. Et hæc sententia videtur magis tuta, & in praxi tenenda. Quis enim dixerit, eum satisfacere præcepto recitandi Officium Divinum, qui animo sponte, & deliberate vanis cogitationibus distracto, labiis solummodo verba illius Officii protule-

tulerit? Ecclesia certe præceptum illud imponendo Ministris suis, intendit, ut ab illis nomine totius populi Christiani Deus laudetur, exoretur, &c. Quomodo vero Deus laudari, vel exorari poterit ab iis, quibus ipse exprobrat, Isa. 29. *Populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me?* Unde etiam supra dicti Doctores, & nominatim S. Thomas censet, distractiones illas voluntarias, & deliberatas esse peccatum mortale, quando notabiliter durant, seu cum quis in parte aliqua notabili Officii voluntarie, & deliberate distrahitur, aut quando advertens se distractionibus implicari, eas a se non abjicit. Quamvis enim Orationibus, ad quas nulla est obligatio, distractio quævis, licet voluntaria, excluso contemptu, non sit nisi peccatum veniale, ut docet Cajetanus, Sotus, Lessius, & alii apud Laym. supra, in iis tamen precibus, ad quas sub peccato mortali obligamur, distractio notabilis absque peccato mortali admitti deliberate non potest.

Neque dicas, Ecclesiam judicare non posse de internis actibus, ergo nec illos præcipere; quia, ut recte docet Lessius supra, Ecclesia potest præcipere actus internos, quando necessarii sunt, ut actus externi ab ea imperati sint actus virtutis, alias Ecclesiæ præceptis posset satisfieri per meram hypocrisim, & simulationem, quod quam absurdum sit, nemo non videt.

§ 6. Ex his patet, ad debitam attentionē in recitando Officio requiri, ut verba Officii debite proferantur animo orandi, & laudādi Deū, nec interim quidquam profanum sponte volvatur animo. Sponte, inquam, qui enim invitus distraheretur, non peccaret, & in ejus oratione semper reperiretur attentio, si non actualis, saltē virtualis, ratione primi propositi, quod habuit inchoando Officium; & hæc virtualis attentio, sicut in aliis actibus virtutis, sic etiam in oratione sufficit.

Porro ad attentionem illam debitam non minimum confert reverentia tum interior, quā excitat Fides, tum exterior, quæ ex illa interiori procedit, consistitque in electione prudenti temporis, loci, & externæ compositionis idoneæ ad orandum. Quamvis enim exteriores illæ circumstantiæ ex libera cujusq; electione pendeant, tamen maxime decet, ut is religionis actus cum tali gestu, & habitu corporis fiat, quo debitum nostræ erga Divinam Majestatem submissionis affectum protestemur. Neque ullus est, qui se non fateatur peccasse, si minus modeste, ac reverenter Officium illud persolverit.

Est autē præsertim cavendum, ne, dum quis Horas recitat, aliquas actiones simul exerceat, quæ cum oratione censeatur omnino incompossibiles, quale est, v. g. scribere, aut quid simile facere. Fieri enim non potest, teste ipsa experientia, ut quis simul & orationi, & scriptioni attendat. Imo tunc ab aliis quibuscunque actionibus exterioribus abstinere consultissimum est, quæ vel attentionem minuere, vel reverentiæ debitæ minus congruere censeantur.

QUÆ-

QUÆSTIUNCULA III.

Quibus pœnis subjaceant ii, qui Horas Canonicas recitare omittunt.

1. CErtum est ex communi Doctorum consensu, obligationem ad Horas Canonicas recitandas gravẽ esse, & sub peccato mortali ex suo genere, cum sit ex virtute religionis,& in Beneficiariis etiam ex virtute justitiæ.Ita S.Antoninus, Medina, Suarez, & alii apud Laym. c.2. de orat. n. 6. Requiritur tamen omissio materiæ notabilis, cujusmodi est integrum unius diei Officium, vel aliqua integra hora.Imo Navar. cap. 7. de orat. n. 6. existimat, omissionem tertiæ partis unius parvæ horæ, v.g. unius Psalmi cum Hymno, esse peccatum mortale, quod tamen Lessio cap. 34. dub.9. nimis durũ videtur.

Jam præter peccati mortalis reatum, quem incurrit is, qui totum unius diei Officium, vel aliquam notabilem illius partem recitare omittit, Concil. Lateranense sub Leone X. sess. 9. speciali constitutione, quæ postmodum a Pio V. renovata fuit, & explicata, ut supra initio hujus articuli dictum est, decrevit, ut quivis Beneficiarius, qui elapsis sex mensibus a consecutione Beneficii, sine legitimo impedimento, Officium Divinum recitare omiserit, pro tempore illius omissionis teneatur ad fructuum restitutionem.

2. Ex qua quidem constitutione colligitur, eum, qui primis sex mensibus post adeptam Beneficii possessionem, Officium non recitaverit, peccare quidem graviter, non tamen ad restitutionem teneri, vi illius constitutionis. Quod si post illos sex menses elapsos adhuc omiserit, tunc ad faciendam restitutionem obligabitur, pro rata illius omissionis. Unde qui per unum diem Officium omisit, tenetur illius diei fructus restituere, qui Matutinum tantum omisit, dimidiam partem, & sic servata proportione de aliis. Quæ quidem restitutio facienda est fabricæ, vel pauperibus sive illius loci, ubi Beneficium situm est, sive alterius.

Quamvis autẽ Concilium omnes fructus restituendos esse decreverit,recte tamen Sotus, Medina, Henriq. Tolet. Lessius.& alii apud Laym.c.5.de Hor.Can. docent,hoc illius decretũ intelligi posse cum tali moderamine,ut Beneficiarii, qui præter Horarum alia quoq; habent annexa onera, eã solummodo fructuum partem restituant, quæ judicio viri prudentis Horar. Canonicarum recitationi, servata debita proportione,respõdere censetur. Qua ratione e. g. Tolet. existimat,Curatũ teneri ad restituendam tertiam partem fructuum, Medina quartã sufficere dicit, Henriq. & Emman. Sà quintam. Laym. sup. omnium optime censet, considerandam esse tum quantitatem onerum, & officiorum, quæ Beneficiarius, sive Curatus, sive quilibet alius præter Horarum pensum præstare tenetur, & reipsa præstat, quæ qui-

quidem officia interdum tam multa, & gravia sunt, ut viri prudentis arbitrio sextuplo, imo interdum decuplo superent Officium Horarum Canonicarum, tum etiam quantitatem redituum. Fieri enim potest, ut reditus illi interdum vix æquent justum vitæ stipendium, quod Beneficiario ob aliorum munerum præstationem naturali jure deberetur. Quibus omnibus perpensis, majori cum æquitate determinari potest, quæ restitutio ob supradictam Horarum omissionem injungenda sit.

QUÆSTIUNCULA IV.

Quænam causæ ab Horarum Canonicarum recitatione excusent.

1. PRima est gravis infirmitas, quæ talis sit, ut sine magna difficultate, aut corporis periculo, Horariæ preces recitari posse non videantur. Neque enim Ecclesia in ejusmodi casu obligare intendit, ut sumitur ex cap. *Clericus victum*, dist. 91. & docent Azor. Suar. Tolet. & alii apud Laym. c. 6. de Hor. Canon. In dubio autem, an talis sit infirmitas, quæ excuset, judicio Confessarii, vel Medici, aut alterius pii, & prudentis viri standum est.

Secunda est gravis, & repentina occupatio, quæ sine scandalo, vel notabili detrimento proprio, vel alieno omitti, vel differri nequeat, cum qua tamen Officii Divini recitatio, moraliter loquendo, consistere non possit, v. g. si populi tumultus subito exortus sedandus sit, si Confessiones infirmorum excipiendæ, quæ non nisi cum notabili periculo illorum differri possint. Si tamen recitatio illa intra eundem diem naturalem absque maxima difficultate anteponi, vel postponi posset, id fieri deberet. Ita citati Auctores apud eundem Laymann. supra.

Tertia est recitandi impotentia. V. g. si quis iter faciens in terris Infidelium, amittat Breviarium, nec alium reperire possit, haud dubie excusabitur, cum ad impossibilia nemo teneatur.

Quæres, utrum qui ob causas supradictas integrum diei Officium recitare non potest, teneatur saltem illius partem aliquam recitare, si possit. Navar. Azor. Rodriq. & alii apud Laym. existimant, si v. gr. quis majorem saltem, vel præcipuam Officii partem, Matutinum cum Laudibus recitare possit, obligandum esse; non item si partem solum minorem, vel minus præcipuam, v. g. parvas Horas, vel etiam Vesperas. Quod quamvis probabiliter dici possit, probabilior tamen videtur, & in praxi tenenda sententia Suar. lib. 4. de Hor. Canon. cap. 78. n. 27. & Laym. sup. qui censent eum, qui commode potest integram aliquam Officii Ecclesiastici Horam recitare, teneri ad illam recitandam. Quod si dubitet, num possit unam horam integram recitare, certus sit autem, se non posse omnes, præsumere potest, se omnino excusatum. In his enim casibus leges Ec-

clesiæ

clesiæ non obligant cum tanto rigore, ut materiam anxietatis, & scrupulorum pariant.

Quarta denique causa excusans a recitatione Horarum est, quando Beneficiarius nondum sacris Ordinibus initiatus nullos, vel adeo tenues fructus e Beneficio percipit, ut æstimabilem aliquam partem sustentationis non præbeant, quintam v. g. aut sextam. Ita Sotus, Arragonius, Lessius, quos citat, & sequitur Laym. cap. 3. de Benefic. Quod intelligendum est, dummodo non stet per Beneficiarium illum, quo minus Beneficii sui fructus percipiat, neque illos aliquando percepturus sit, ut fusius explicat idem Laym. Recte tamen monet Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 31. eos, qui tenues fructus e Beneficiis recipiunt, quamvis ad quotidianam Horarum recitationem non obligentur, obligari tamen ad Horas illas aliquoties per annum recitandas, aut saltem ad aliquas alias preces, v. g. ad recitandum Officium parvum B. Virginis singulis diebus Dominicis, aut festivis: quod judicio pii, & prudentis Confessarii determinari debet.

ARTICULUS V.

Explicantur reliqua juxta Canonicas sanctiones ad Clericalis vitæ disciplinam spectantia.

1. Concilium Trident. sess. 22. cap. 1. de refor. totius disciplinæ Ecclesiasticæ summam paucis complecti volens, hoc decretum scitu, & observatu dignissimum condidit, quod integrum hic exscripsimus: *Nihil est*, inquit, *quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, & exemplum, qui se Divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tanquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino, Clericos in sortem Domini vocatos vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant, levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur, quo majore in Ecclesia Dei & utilitate, & ornamento hæc sunt, ita etiam diligentius sint observanda; statuit sancta Synodus, ut quæ alias a Summis Pontificibus, & a sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunque criminibus, nec non de sæcularibus negotiis fugiendis, copiose, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur, nec appellatio excusationem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si qua vero ex iis in desuetudinem abiisse com-*

compererint, ea quam primum in usum revocari, & ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscunque, ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas, Deo vindice, pœnas persolvant.

2. Ex quo quidem decreto illud præ cæteris habetur, hanc fuisse Concilii mentem, ut quæ olim circa vitam, mores, honestatemque Clericorum salubriter sancita fuerant, eadem etiam nunc religiose observarentur, & si quæ in desuetudinem abiissent, in pristinum usum revocarentur, & ab omnibus accurate custodirentur. Quapropter operæ pretium duximus præcipuas ipsius Ecclesiæ super reliquis Ecclesiasticæ disciplinæ partibus sanctiones excerpere, easque ex universo Jure Canonico collectas sub unum veluti aspectum ponere, ut quisquis Christi Domini Clero adscriptus est, præ oculis habere possit, quid secundum ipsius Ecclesiæ vota, & decreta in eo requiratur, ut (sicut loquitur Apostolus Ephes. 4.) *digne ambulet ea vocatione, qua vocatus est.*

Majoris autem facilitatis, & perspicuitatis gratiâ, quæ dicenda supersunt, in breves titulos digessimus, & cuique unum, aut alterum canonem attexuimus, aliorum præcipuorum decretorum, si quæ sint, locis tantum breviter adnotatis.

Quod sacris Ordinibus initiati perpetuam continentiam servare teneantur.

1. Ministri *Altaris Presbyteri, sive Diaconi ad Dominica tales eligantur Officia, qui continentiam servent*. S. Lucius Papa dist. 81. cap. *Ministri*.

Nullus Subdiaconorum ad nuptias transire aliqua prævaricatione præsumat. Conc. Romanum sub S. Sylvestro ca. 8.

Cavendum est his, Diaconis scilicet, & Subdiaconis, *ne quandoque sponsionis suæ immemores, ad terrenas nuptias, aut furtivos concubitus ultro recurrant, quod si forte fecerint, ut sacrilegii rei ab Ecclesia habeantur extranei*. Conc. Toletanum II. ca. 1. Idem habetur quoque constitutum in Conc. Romano sub Nicolao II. ca. 3. in alio Conc. Romano sub Callisto II. ca. 20. in Conc. Carthaginensi I. ca. 3. & 4. & in pluribus aliis.

Quare S. Gregorius Papa lib. 1. Epist. 42. sapienter edixit, *ut nullus ad ministerium Altaris accedat, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata*.

Quoniam vero adeo sublimis, & ardua virtus inter tot hujus vitæ illecebras, non nisi adhibita summa cautela, servari potest, ad evitanda pericula, sapienter ab Ecclesia provisum est.

Ne

Ne sacri Ecclesiæ Ministri in eadem domo cum fœminis commorentur.

4. INterdixit *per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte aut materteram, aut eas tantum personas, quæ suspiciones effugiunt.* Conc. Nicænum ca. 3.
Idem habetur in Conc. Aquisgranensi II. par. 3. ca. 11. Carthag. III. ca. 7. Carthag. IV. ca. 46. Aurelianensi III. ca. 4. Turonensi II. ca. 10. Toletano IV. ca. 41. Arelatensi II. ca. 3. Mirtensi c. 3. *Ancillam ab eadē mansione, in qua Clericus manet, placuit removeri.* Agathensi ca. 11.
Concilium autem Moguntinum (habetur cap. *Inhibendum est*, extrá. de cohabitatione Clericorum, & mulierum) prohibuit, *Ne Sacerdos etiam mulieres illas, quas Canones concedunt, matrem, amitam, & sororem secum in eadem domo retineat, quia instigante diabolo, & in illis scelus perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis earum.*
Certe S. Greg. Papa l. 7. Ep. 39. refert, quod *B. Augustinus nec cum sorore habitare consenserit, dicens: Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ nō sunt. Docti ergo viri cautela, magna nobis debet esse instructio.*
Apposite S. Hier. Ep. ad Nepot. de vita Clericor. *Hospitiolum*, inquit, *tuum aut nunquam, aut raro mulierum pedes terant. Omnes puellas, & virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto manseris, nec in præterita castitate confidas. Nec Davide sanctior, nec Salomone sapientior potes esse*, &c. *Ægrotanti tibi sanctus quilibet frater adsistat. Germana, vel mater*, &c. *periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis*, &c. *Caveto omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita.* Et in Epist. ad Oceanum, *Prima*, inquit, *tentamenta sunt Clericorum fœminarum frequentes accessus. Iste sexus reprehensibiles exhibet Clericos. Quid tibi re vera cum fœminis, qui ad Altare cum Domino fabularis? Te in publico cuncti, te in agro rustici, aratores, ac vinitores quotidie lacerabunt, si contra depositum fidei cum fœminis habitare contendis*, &c. *Mihi crede, non potest toto corde habitare cum Domino, qui fœminarum accessibus copulatur.*
Porro quanto horrore crimen huic sacræ continentiæ oppositum prosecuti sint SS Patres in Sacerdotibus, aliisq; altaris ministris, hinc patet, quod cum variis Conciliis graves pœnæ depositionis, exilii, &c. ea de causa impositæ fuerint, in Conc. Eliberitano can. 8. summo quidem, sed tamen justissimo rigore sancitū fuit, ut *si quis Episcopus, Sacerdos, aut Diaconus infandū hoc mœchiæ crimē perpetrārit, etiā in fine vitæ Corporis Christi communione privetur.* Quē rigorē licet posterioribus sæculis Ecclesia ob causas justissimas remiserit, nihil tamē hæc ejus remissio de sacrilegii hujus enormitate diminuit, quod semper

æque

æque dignum censeri debet, quod pœna illa, imo adhuc longe graviori plectatur, si quæ in hac vita reperiri possit.

Ne Clerici temperantiæ modum in victu excedant.

5. A Crapula, *& ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant* &c. *Nec ad bibendum quispiam incitetur*, &c. *Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a Superiore commonitus satisfecerit, ab officio suspendatur*. Conc. Later. sub Innoc III. c. 15.

Ante omnia a Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, ac nutrix est. Itaque eum, quem ebrium fuisse constiterit, triginta dierum spatio a Communione statuimus submovendum. Concil. Agathense ca. 4.

Ad evitandum excessum illum cibi, & potus maxime conducit, si tabernæ, cauponæ, & similia loca vitentur, in quibus temperantia omnis, & sobrietas ut plurimum periclitatur. Ideo sæpius prohibitum fuit, ne Clerici ejusmodi loca edendi, ac bibendi causa ingrediantur, nisi causa necessitatis, quando sunt in itinere constituti. Ita expresse habetur in Conc. Lateranensi sub Innocentio III. ca. 16. Conc. Carthaginensi III. c. 27. Laodicensi c. 24. Aquisgranensi II. par. 3. c. 7. Cabilonensi c. 4. & aliis.

Neque solum cauponas, & alia similia loca, sed etiam convivia, præsertim nuptialia, Clericis evitanda esse censuit Concilium Agathense c. 39. & habetur dist. 34. his verbis: *Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam aliarum nuptiarum evitent convivia, ne his cætibus misceantur, ubi amatoria cantantur, & turpia, aut obscœni motus corporis choreis, & saltationibus efferuntur, ne auditus, aut obtutus sacris Mysteriis deputati turpium spectaculorum, atque verborum contagione polluantur*.

Præterea Concilium Toletanum III. ca. 7. mensam Clericalem lectione sacra condiri voluit. *Pro reverentia*, inquit, *Dei Sacerdotum, id universe sancta constituit Synodus, ut quia solent crebro mensis otiosæ fabulæ interponi, in omni Sacerdotali convivio lectio Divinarum Scripturarum misceatur. Per hoc enim animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur*.

Ne Clerici sæcularium negotiorum procurationibus implicentur.

6. PErvenit *ad Sanctam Synodum, quia de iis, qui in Clero connumerantur, quidam propter turpis lucri gratiam, alienarum possessionum conductiones, & causas sæculares suscipiunt, & a sacris quidem Officiis se per desidiam separant, ad domos autem sæcularium* con-

concurrunt, & substantiarum eorum gubernationes avaritiæ causa suscipiunt. Decrevit ergo Sancta Synodus, nullum Clericum deinceps, aut Monachum conducere possessiones, aut misceri sæcularibus procurationibus, nisi forte qui legibus ad minorum ætatum tutelas, sive curationes inexcusabiles attrahitur, aut cui civitatis ipsius Episcopus Ecclesiasticarum rerum commiserit gubernacula, & orphanorum, ac viduarum, quæ indefensæ sunt, & earum personarum, quæ maxime Ecclesiastico indigent adminiculo, propter timorem Dei. Si quis vero transgressus fuerit hæc præcepta, correctioni Ecclesiasticæ subjaceat. Conc. Chalcedon. ca. 5. Idem constitutum habetur in Conc. Later. sub Innoc. III. cap. 16. & in Conc. Later. sub Alexandro III. ca. 12. & etiam a Melchiade Papa c. *Decrevit*, dist. 18. & a Gelasio, ca. *Consequens est*, ibid. & ab Honorio III. ca. *Ex literis*.

Et in Conc. Carthaginensi prohibetur Clericis, *Ne fiant conductores, vel procuratores*: in Conc. Chalcedonensi ca. 3. *Ne aliena prædia conducant, nec tractent administrationem rerum sæcularium*: & in Conc. Cabilonensi sub Carolo Magno c. 12. *Ne fiant villici*.

Ne Clerici aleis, venationibus, & histrionum, ac joculatorum spectaculis vacent.

7. Clerici *mimis, joculatoribus, & histrionibus non intendant, &c. ad aleas, & taxillos non ludant, nec ejusmodi ludis intersint*. Concil. Lateran. sub Innoc. III. c. 6.

Idem quoad histriones, & mimos constitutum habetur in Conc. Laodiceno ca. 54. Turonensi sub Carolo ca. 7. & Cabilonensi ca. 9. Parisiensi sub Ludovico, & Lothario l. 1. c. 36.

Similiter venatio, illa præsertim, quæ fit cum strepitu, & clamore, prohibetur Clericis, in Conc. Romano sub Eugenio II ca. 12. Moguntino sub Carolo ca. 14. Turonensi ca. 8. Et ne canes ad venandum, aut accipitres habeant, in Concil. Agathensi ca. 55. Eupapenensi can. 2. Vvorm. ca. 17.

Apposite S. Hieron. in cap 2. Micheæ, & citatur cap. *Quorundam*, dist. 34. *Esau*, inquit, *venator erat, quoniam peccator erat, & penitus non invenimus in Scripturis sanctis Sanctum aliquem venatorem.*

Ne Clerici militent, aut criminalibus causis se immisceant.

8. S*i quis Clericus relicto Officii sui Ordine laicam voluerit agere vitam, vel se militiæ tradiderit, excommunicationis pœna feriatur*. Concil. Turonense ca. 5. Idem etiam constitutum habetur in Conc. Maldensi ca. 37. Pictaviensi c. 10. Metensi ca. 3. Claromontano ca. 4.

Quod

Quod spectat ad causas criminales, Innocentius III. in Concil. Lateran. ca. 18. prohibuit, *Ne ullus Clericus sententiam sanguinis dictet, vel proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur, intersit*, &c. *Nullus quoque Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos illius Chirurgiæ partem exerceat, quæ adustionem, vel incisionem inducit.*

Ne Clerici absque literis commendatitiis Episcopi sui discedant, neve ab ullo suscipiantur.

9. PEregrinos *Clericos in aliena urbe sine commendatitiis literis sui Episcopi nullo modo ministrare oportet*. Concil. Chalcedonense ca. 13.

Presbyteri, vel Diaconi, qui de alio Episcopo ad alium transeunt, vel quicunque Clerici sine commendatitiis a suo Episcopo literis non recipiantur. Conc. Romanum sub Gregorio VII. ca. 23 Idem habetur quoque in Conc. Milevitano c. 41. Agathensi ca. 38. Andegavensi ca. 2. Turonensi ca. 12. & aliis.

Ne Clerici sint illiterati.

10. LIteris *carens sacris non potest aptus esse Mysteriis*, Gelasius in Epist. ad Episcopos Lucaniæ ca. 18.

Presbyteri sint literati, aliter enim quomodo erunt Magistri, qui non fuerunt discipuli? &c. *Isti sunt canes muti non valentes latrare*. Concil. Romanum sub Eugenio I. can. 4. Idem habetur strictè constitutum a Summis Pontificibus Clemente Epist. 1. Leone Epist. 23. Item in Conc. Toletano IV. ca. 24. dicitur, quod *ignorantia mater cunctorum errorum maxime in Sacerdotibus vitanda est, qui docendi populi officium susceperunt.*

Porro circa hanc Sacerdotum scientiam conqueritur S. Hieronymus Epist. 146. ad Damasum: *Sacerdotes Dei, omissis Evangeliis, & Prophetis, comœdias legere, amatoria bucolicorum versuum verba canere, Virgilium tenere, & id, quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluntatis*. Et alibi rectè monet in cap. 1. Epist. ad Tit. *Si quis artem Grammaticam docuerit, & inter falsa, & vera dijudicet, non improbamus. Geometria quoque, & Arithmetica, & Musica habeat in sua scientia veritatem; sed non est scientia illa scientia pietatis. Scientia pietatis est noscere legem, intelligere Prophetas, Evangelio credere, Apostolos non ignorare.*

Apposite S. Ambrosius super S. Lucam in explanat. Procemii loquens de multiplicibus libris, qui interdum ob varias causas legendi occurrunt, *Legimus*, inquit, *aliqua, ne negligantur, legimus, ne ignoremus, legimus, non ut teneamus, sed ut repudiemus.*

Coronidem huic Operi idem S. Pater imponet his verbis ex Sacerdotis animo nunquam delendis in lib. de dignitate Sacerdotali, ubi Sacerdotes omnes ipse veluti consacerdos alloquens, *Digne cognoscamus*, inquit, *quid simus, & quod sumus professione, actione potius, quam nomine demonstremus. Nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen inane, & crimen immane, ne sit honor sublimis, & vita deformis, ne sit deifica professio, & illicita actio, ne sit gradus excelsus, & deformis excessus, ne habeatur in Ecclesia Cathedra sublimior, & conscientia Sacerdotis reperiatur humilior, ne locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam, ne professionem monstremus ovinam, & ferocitatem habeamus lupinam, ut digne nobis per Prophetam respondeatur a Domino: Populus hic labiis me honorat, cor autem ejus longe est a me.*

Age jam nunc sanctifice Spiritus, qui nos in hoc Opere Divinis inspirationibus adjuvisti, cunctos Sacerdotes adjuva, & praesta, ut faciant, quae in hoc Opusculo ipse eloqui inspirasti, ut eis una mecum tribuas saeculorum regna, quae Sanctis in regno saeculorum dare promisisti.

Ad majorem DEI Præpotentis Gloriam.

I N.

INDEX
ERRORUM FIDEI VERITATIBUS adversantium, qui passim in hac secunda Medullæ Theologicæ parte referuntur, & refutantur.

Circa Sacramenta in genere.

Circa Baptismum.

Circa Confirmationem.

Circa Eucharistiam.

Circa Pœnitentiam.

Circa Indulgentias, & Purgatorium.

Observabit lector, præter errores hic recensitos, alias plurimas veritates Fide Divina credendas tum in hac posteriori, tum etiam in priori hujus Operis parte passim explicari, & probari, ex quibus plurimarum aliarum hæreseon, quarum in hoc indice nulla mentio fit, refutatio satis poterit intelligi.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM
Quæ in hac ſecunda Medullæ Theologicæ parte continentur.

Qua quidem in eum ordinem digeſta ſunt, ut quid de unaquaque notatu dignum variis in locis ſparſim continetur, ſub uno veluti aſpectu poſitum reperiatur.

Actus humanus.

An

Ba-

Blas-

An

An

Concupiscentia.

Confessio.

Confessarius.

Confessarii obligatio quoad Sigillum confessionis.

Confirmatio.

Confirmationis materia, & forma.

Confirmationis effectus.

Quid

Contritio.

Correctio fraterna.

Decalogus.

Primum Decalogi Præceptum.

Se-

Quo-

Eucharistiæ forma.

Eucharistiæ effectus.

Dispositiones ad Eucharistiam percipiendam.

Eucharistiæ assumendæ necessitas.

Eucharistiæ Minister.

An

An

Lex humana.

Lex Divina positiva.

Missæ Sacrificium.

Effectus Sacrificii Missæ.

Sacrificii Missæ applicatio.

Circumstantiæ quædam observandæ in celebratione Missæ.

Odium proximi.

Opinio probabilis.

Oratio.

Quo-

Patrinus.

Peccatum.

Pœnitentiæ Sacramentum.

Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

An

Effectus Sacramenti Pœnitentiæ.

Præscriptio.

Promissio.

Purgatorium.

Quid

Si-

An

Usura.

CATECHESIS CHRISTIANA

Ex iis, quæ in utraque hujus Operis parte continentur, breviter, & methodice concinnata, & ad commodiorem Catechiſmi praxim accommodata.

Cum univerſa Catechiſmi Chriſtiani Doctrina communiter ad quinque capita ſoleat revocari, videlicet ad Fidem, Spem, Charitatem, officia Juſtitiæ Chriſtianæ, & Sacramenta, quibus continentur omnia, quæ a quolibet Chriſtiano ad ſalutem æternam conſequendam credi, & præſtari debent: idcirco breviter hic adnotabimus ea ſuper unoquoque illorum quinque capitum, quæ in variis hujus Medullæ Theologicæ locis explicata reperiuntur, ut ex iis tanquam ex fontibus uberioribus quiſque haurire poſſit, quæ vel ad propriam, vel ad aliorum inſtitutionem neceſſaria, aut utilia eſſe exiſtimaverit.

CAPUT I.

De Fide.

Fides est virtus supernaturalis Theologica, qua homo firmiter assentitur iis, quæ Deus revelavit, & per Ecclesiam credenda proposuit, sive illa scripta sint, sive non sint.

Vide explicationem illius definitionis *Par.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. *sect.* 1.

Quotuplex sit Fides. *ibid.*

Quid sit Fides actualis, quid habitualis, quid item explicita, vel implicita, formata, vel informis, viva, vel mortua, *ibid.*

An Fides sit necessaria ad salutem necessitate præcepti, vel medii. *sect.* 2. & 3.

An sit ad salutem necessarium aliquorum mysteriorum Fidem explicitam habere, & quorum. *sect.* 4.

An, & qua ratione externa Fidei confessio sit ad salutem necessaria. *sect.* 5.

An fuerit necessarium condi Symbolum aliquod, quod præcipua Fidei capita complecteretur. *cap.* 2. *sect.* 6.

Symbolum Apostolorum.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ.

Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum.

Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.

Descendit ad Inferos, tertia die resurrexit a mortuis.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

Inde venturus est judicare vivos, & mortuos.

Credo in Spiritum Sanctum.

Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.

Remissionem peccatorum.

Car-

Carnis resurrectionem.
Vitam æternam. Amen.

Credo.

Quomodo actus Fidei sit in praxim redigendus. *c. 3. sect. 9.*

In Deum.

Quomodo distinguantur credere Deum, credere Deo, & credere in Deum. *cap. 1. sect. 1.*
De unitate, æternitate, immensitate Dei, aliisque ejus perfectionibus, & attributis. *Vide tract. 2. cap. 1. 2. & 3.*

Patrem.

De Mysterio Trinitatis. *tract. 3. de Trinitate, cap. 1.*
De Persona Patris. *cap. 2. sect. 1.*
Quomodo loquendum sit de Mysterio Trinitatis, *sect. 8.*

Omnipotentem.

De efficacitate Divinæ Voluntatis. *tract. 2. cap. 4. sect. 4.*

Creatorem.

Qua ratione Deus sit causa efficiens rerum omnium. *tract. 4. cap. 1. sect. 1.*
Quod solius Dei proprium sit creare. *Ibid. sect. 2.*

Cœli, & terræ.

An mundus universus, vel creatura aliqua fuerit, vel esse potuerit ab æterno, & an omnes creaturæ initium aliquod suæ durationis habuerint. *ibid. sect. 3.*
Quandonam Angeli creati sint. *tract. 4. cap. 2. sect. 1.*
Fuerintne Angeli creati in cœlo Empyreo. *ibid. sect. 2.*
An sint novem Ordines Angelorum. *sect. 9.*
Fuerint ne Angeli creati in gratiæ statu. *cap. 3. sect. 1.*

Quod-

Quo-

inde

Inde venturus est judicare vivos, & mortuos.

De Judiciaria Christi Domini potestate. *sect.* 9.
An potestatem illam judiciariam in morte cujusque exerceat. *ibid.*

Credo in Spiritum Sanctum.

De Persona Spiritus Sancti. *tract.* 3. *cap.* 2. *sect.* 5.

Sanctam Ecclesiam Catholicam.

Quænam sit vera Ecclesia, & quibus notis dignoscatur. *tract.* 1. *cap.* 2. *sect.* 4.
De Romano Pontifice summo totius Ecclesiæ Pastore. *par.* 2. *Tract.* 2. *cap.* 3. *sect.* 5. §. 2.
De Conciliis Generalibus, quæ Ecclesiam universam repræsentant. *ibid.* §. 2.
De Episcopis, aliisque Ecclesiæ Prælatis. *ibid.* §. 3.

Sanctorum Communionem.

Quid per Sanctorum Communionem intelligatur. *par.* 2. *tract.* 2. *cap.* 6. *sect.* 2. §. 1.

Remissionem peccatorum.

De remissione peccatorum per Sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ percipienda. *part.* 2. *tr.* 1. *cap.* 2. *sect.* 6. & *cap.* 5. *sect.* 5.

Carnis resurrectionem.

Qua ratione Christi resurrectio sit causa nostræ resurrectionis. *part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 7. *sect.* 6.
De corporum resurrectione, & glorificatione. *tract.* 1. *cap.* 4. *sect.* 6.

Vitam æternam.

In

In quo consistat vita, & beatitudo æterna. *Part. 1. tract. 6. cap. 5. sect. 6. n. 3.*

Quænam sint aureolæ Beatorum. *ibid. n. 4.*

De clara, & intuitiva Divinæ essentiæ visione. *tract. 2. cap. 6. sect. 1. 2. & seq.*

An Deus velit, omnes homines salvos fieri. *tr. 6. cap. 2. sect. 5.*

De loco Inferni, & damnatorum pœnis. *part. 2. tract. 2. cap. 1. in digress. post sect. 2.*

CAPUT II.

De Spe.

SPes est virtus supernaturalis Theologica, qua homo Fidelis in præsenti quidem sæculo bona salutaria, in futuro vero ipsam æternam beatitudinem à Deo cum fiducia per Christi merita expectat.

Vide explicationem illius definitionis *part. 2. tract. 2. cap. 4. sect. 1. §. 2.*

Omnia vero, quæ à Deo sperare, & postulare possumus, & debemus, continentur in septem petitionibus Orationis Dominicæ, quæ sequitur.

Pater noster, qui es in Cœlis.
Sanctificetur nomen tuum.
Adveniat Regnum tuum.
Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.
Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.
Et ne nos inducas in tentationem.
Sed libera nos a malo. Amen.

De oratione. *part. 2. tract. 2. cap. 4. sect. 1. §. 3.*

Quid sit, & quotupliciter fiat oratio. *ibid.*

An oratio necessaria sit ad salutem. *ibid.*

Quo tempore fieri debeat oratio. *ibid.*

Quis possit, & debeat orare. *ibid.*

Ad

Orationi Dominicæ communi Ecclesiæ usu subjungitur Salutatio Angelica cum precatiuncula, quæ sequitur.

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, Jesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ. Amen.

CAPUT III.

De Charitate.

Charitas est virtus supernaturalis Theologica, qua Deus summe super omnia diligitur propter seipsum, & proximus propter ipsum Deum.

Quæ-

Cum vero præcipuus charitatis actus sit observatio Divinæ legis, dicente Christo, *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me*, *Joan.* 14. ideo agendum est hic de Decalogo, seu de præceptis Divinæ legis, quæ in Scriptura recensentur his verbis.

Decalogi præcepta.

EGo sum Dominus Deus tuus.

I. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, ut adores illud.

II. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

III. Memento, ut diem sabbathi sanctifices.

IV. Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

V. Non occides.

VI. Non mœchaberis.

VII. Non furtum facies.

VIII. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

IX. Non concupisces uxorem proximi tui.

X. Non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa, quæ illius sunt.

Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos, &c.

Vide

Vide explicationem primi præcepti *par.* 2. *tr.* 2. *cap.* 4. *sect.* 1.

Quidnam primo illo præcepto circa virtutes fidei, spei, aut charitatis præcipiatur, aut prohibeatur. *ibid.* §. 1. 2. & 3.

Quid eodem præcepto circa virtutem Religionis, illiusque actus præcipiatur, aut prohibeatur. §. 5.

Quot modis peccetur in primum decalogi præceptum. §. 6.

Non assumes nomen Domini, &c.

Vide explicationem secundi præcepti. *sect.* 2.

De juramento, quot modis fiat, & qua ratione licitum sit, aut illicitum. *ibid.* §. 1.

De blasphemia, quid sit, & quot modis committatur. §. 2.

De voto, quid sit, & quotuplex. §. 3.

Quænam personæ votum emittere possint. *ibid.*

Quæ, & quanta sit voti obligatio, & quibus modis cessare possit. *ibid.* §. 4.

Quot modis peccetur in secundum Decalogi præceptum. *ibid.* §. 5.

Memento, ut diem Sabbati sanctifices.

Vide explicationem hujus tertii præcepti, *sect.* 3.

Quænam requirantur ad debitam festorum dierum sanctificationem. §. 1.

Quænam sint opera servilia, a quibus abstinendum sit diebus festis. *ibid.*

An præter illa, quæ servilia sunt, sint aliqua alia opera diebus festis prohibita, & quæ. *ibid.*

Quidnam adhuc præter abstinentiam ab operibus servilibus requiratur ad festorum dierum sanctificationem. *ibid.*

Quænam dispositiones requirantur, ut quis Missæ sacrificio debite, ac religiose intersit. *ibid.*

Quot modis peccetur in tertium Decalogi præceptum. *ibid.* §. 2.

Honora patrem tuum, & matrem tuam, &c.

Vide explicationem hujus quarti præcepti *sect.* 4.
Quænam sint officia, & obligationes filiorum erga parentes, & inferiorum quorumcunque erga Superiores. *ibid.* §. 6.
Quænam vicissim sint officia, & obligationes parentum erga filios, & superiorum quorumcunque erga inferiores. *ibid.*
Quot modis peccetur in quartum Decalogi præceptum, *ibid.* §. 7.

Non occides.

Vide explicationem hujus quinti præcepti *sect.* 5. §. 1.
An liceat occidere, vel mutilare seipsum. §. 2.
An sint aliquæ causæ justæ, ob quas liceat alterum occidere, vel mutilare. §. 3.
Quot modis peccetur in quintum Decalogi præceptum, §. 4.
Quænam restitutio ob alterius occisionem, vel mutilationem sit facienda, *ibid.* §. 5.

Non mœchaberis.

Vide explicationem hujus sexti præcepti *sect.* 6. §. 1. Quot sint luxuriæ species. *ibid.*
Quot modis peccetur in hoc sextum præceptum. §. 2.
An aliqua restitutio quandoque facienda sit ob violationem hujus præcepti. §. 3.

Non furaberis.

Vide explicationem hujus septimi præcepti *Sect.* 7. Quænam requirantur ad justitiam servandam in variis contractibus, v. g. in emptione, venditione, mutuo, locato, & aliis. Vid. *ibid.* §. 6. 7. 8. 9.
Quidnam prohibeatur hoc septimo præcepto. §. 10. Quot modis peccetur in illud. §. 11.
Quibus modis peccatum usuræ committatur. §. 12.
Quænam restitutio facienda sit ob violationem hujus præcepti. §. 14.

Non loqueris contra proximum tuum, &c.

Vide

Vide explicationem hujus octavi præcepti *sect.* 8.
Quid sit mendacium, & quotupliciter committatur. *ibid.* §. 1.
Quid sit detractio, & quot modis committatur. §. 7. & 8.
Quid sit judicium temerarium. §. 9.
Quot modis peccetur in hoc præceptum. §. 10.

Non concupisces uxorem proximi tui.
Non domum, non agrum, &c. nec universa, quæ illius sunt.

Vide explicationem noni, & decimi præcepti *sect.* 9.
Quænam concupiscentia his duobus præceptis prohibeatur. *ibid.*
Quot modis in illa duo ultima Decalogi præcepta peccetur. *ibid.*

Præter Divina Decalogi præcepta, sunt etiam alia præcepta Ecclesiæ, quæ a quolibet Christiano cum omni reverentia suscipi, & humiliter, ac fideliter servari debent, dicente Christo, illum, qui Ecclesiam audire, ipsique obedire noluerit, habendum esse tanquam Ethnicum, & Publicanum.

Sunt autem quinque præcipua Ecclesiæ præcepta cuique Christiano & scitu, & observatu necessaria.

I. Statutos ab Ecclesia festos dies celebrato.
II. Sacrum Missæ officium diebus festis reverenter audito.
III. Jejunia certis diebus, temporibusque indicta servato.
IV. Peccata tua proprio Sacerdoti tuo annis singulis confitere.
V. Sacrosanctam Eucharistiam ad minus semel in anno, idque circa festum Paschæ, sumito.

Vide explicationem primi, & secundi præcepti Ecclesiæ supra in explicatione tertii præcepti Decalogi. *par.* 2. *tract.* 1. *cap.* 4. *sect.* 3.
Vide explicationem tertii præcepti, quod est de Jejunio, *cap.* 5. *sect. unic.*
Quænam personæ ad jejunium obligentur. §. 2.
Quot modis in hoc tertium Ecclesiæ præceptum peccetur. §. 3.

Vide explicationem quarti præcepti Ecclesiæ *tract.* 1. *cap.* 5. *sect.* 8.

Vide explicationem quinti præcepti ejusdem Ecclesiæ *cap.* 4. *sect.* 8.

CAPUT IV.

De officiis Justitiæ Christianæ.

JUstitiæ Christianæ nomine nihil aliud intelligitur, quam animæ mundities, & rectitudo, hoc est ab omni labe peccati, saltem mortalis, puritas, & verum, ac sincerum pietatis, ac bonorum operum studium. Ex quo infertur, quod etiam ex sacris Literis discimus, duo esse præcipua Christianæ justitiæ officia.

Primum est, declinare a malo, id est peccatum quodcunque solicite devitare.

Et ad hoc explicandum est,

Quid sit peccatum. *Vide par.* 2. *Tract.* 2. *cap.* 2. *sect.* 1.

Undenam actus humani bonitatem, vel malitiam moralem desumant. *cap.* 1. *sect.* 3.

Quid sit conscientia, quid Synteresis. *sect.* 5. §. 1.

Quæ sit obligatio sequendi dictamen conscientiæ: §. 2.

Quid de conscientia scrupulosa sentiendum sit. §. 4.

In dubiis quid agendum. §. 5.

Quænam sint peccata mortalia, aut venialia. *cap.* 2. *sect.* 2.

Qua ratione peccata mortalia, & venialia inter se dignoscantur. *sect.* 3.

De peccatis omissionis, & commissionis, & variis eorum gradibus. *sect.* 5.

Quænam delectatio sit peccatum. *ibid.*

Quænam sint causæ peccatorum. *sect.* 6.

Qua ratione ignorantia sit causa peccati, vel a peccato excuset. *sect.* 7.

Secundum officium Justitiæ Christianæ est facere bonum, id est opera bona, & coram Deo meritoria exercere.

Et ad hoc videndum,

Qui-

CAPUT V.

De Sacramentis.

Cum Sacramenta sint eo fine divinitus instituta, ut nobis conferant Gratiam, sine qua nec Deo placere, nec opera illi placita exequi possumus; ideo post virtutum Theologicarum, & Justitiæ Christianæ Doctrinam populus Christianus de ipsis Sacramentis instrui maxime debet, ut noverit, quid de illis credere teneatur, & qua ratione se ad illa debite, & fructuose recipienda disponere possit, ut illorum virtute, ac efficacia Gratias illas obtineat, quæ ad justificationem consequendam, & ad virtutes exercendas sibi necessariæ sunt. Atque in primis de ipsis Sacramentis in genere, tum de iisdem in particulari agendum est.

De Sacramentis in genere.

Sacramentum est signum aliquod sensibile, quod ex institutione Dei sanctitatis, & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.

Vide explicationem hujus definitionis *part. 2. tract. 1. cap. 1. sect. 1.*

Qua ratione Sacramenta novæ legis differant a Sacramentis legis naturæ, & Legis Mosaicæ. *ibid.*

An Sacramenta novæ legis conferant Gratiam. *sect. 4.*

An præter Gratiam sanctificantem, dona Spiritus Sancti, & virtutes infusas, Sacramenta novæ legis conferant quædam Gratiæ actualis auxilia. *sect. 5.*

An Gratiam illam, & auxilia conferant omnibus suscipientibus. *ibid.*

An Sacramenta novæ legis æqualem Gratiam conferant, *ibid.*

An per aliqua Sacramenta character imprimatur. *sect. 6.*

Quid sit ille character, & an sit indelebilis. *ibid.*

Quænam Sacramenta characterem imprimant. *ibid.*

Quot sint Sacramenta novæ legis. *sect. 7.*

De Baptismo,

Baptismus est Sacramentum novæ legis a Christo institutum, in quo per exteriorem corporis ablutionem aqua naturali factam sub præscripta verborum forma confertur Gratia.

Quod Baptismus sit Sacramentum a Christo institutum. *Vid. par. 2. tract. 1. cap. 2. sect. 1.*

Quo tempore a Christo institutus sit. *ibid.*

Quæ differentia sit inter Baptismum Joannis, & Baptismum a Christo institutum. *ibid.*

An Baptismus ad salutem necessarius sit. *ibid.*

Quid sit Baptismus in voto susceptus, & an sufficiat. *ibid.*

Quæ sit differentia inter Baptismum fluminis, flaminis, & sanguinis. *ibid.*

Quæ sit materia propria Baptismi. *sect. 2.*

An aquæ artificiales sint aptæ ad conferendum Baptismum, *ibid.*

Qualis, & quanta ablutio ex aqua naturali ad Baptismum requiratur. *ibid.*

Quænam pars corporis ablui debeat. *ibid.*

Quæ

Quæ sit forma Baptismi, seu sub quibus verbis Baptismus conferri debeat. *sect.* 3.

An expressa mentio, & invocatio trium Personarum sanctissimæ Trinitatis necessaria sit ad Baptismum valide conferendum. *ibid.*

Quis possit Baptismum conferre. *sect.* 4.

An in casu necessitatis quilibet sive Fidelis, sive Infidelis, sive vir, sive mulier, Baptismum conferre possit. *ibid.*

Quis Baptismum suscipere possit. *sect.* 5.

An licitum sit baptizare infantes invitis parentibus Infidelibus. *ibid.*

Quænam dispositiones requirantur in adultis, qui Baptismum suscipere volunt. *ibid.*

Utrum infans nondum natus possit in utero materno baptizari. *ibid.*

Utrum monstra baptizari debeant. *ibid.*

Utrum adulti amentes sint baptizandi. *ibid.*

Quinam sint effectus Baptismi. *sect.* 6.

An per Baptismum fiat remissio non modo culpæ, sed etiam totius pœnæ peccatis debitæ. *ibid.*

An per Baptismum character imprimatur. *ibid.*

An per Circumcisionem in veteri lege conferretur remissio peccatorum. *ibid.*

Vide explicationem cæremoniarum Baptismi *sect.* 7.

De Confirmatione.

Confirmatio est Sacramentum novæ legis a Christo institutum, in quo virtute unctionis Chrismatis ab Episcopo factæ, & verborum ab eo prolatorum, Gratia in Baptismo accepta augetur, & perficitur, & robur confertur ad Fidem Christi interius retinendam, & exterius profitendam.

Quod Confirmatio sit Sacramentum a Christo Domino institutum. *vide cap.* 3. *sect.* 1.

Quonam tempore institutum fuerit. *ibid.*

An Chrisma ex oleo olivarum, & balsamo confectum sit materia hujus Sacramenti. *sect.* 2.

Cur Chrisma istud debeat esse ab Episcopo benedictum. *ibid.*

De Eucharistia.

Eucharistia est Sacramentum novæ legis nobilissimum, & excellentissimum, in quo sub speciebus panis, & vini continetur verum corpus, & verus sanguis Jesu Christi, & per illius dignam sumptionem Gratia confertur ad sanctificationem, & perfectionem animarum.

An

De Sacrificio Missæ.

Missæ nomine significatur actio illa religiosa divinitus instituta, per quam Christi Domini corpus, & sanguis, sub speciebus panis, & vini, a Sacerdote, cum sacris quibusdam ritibus ab Ecclesia præscriptis, consecratur, & in verum, ac proprie dictum Sacrificium offertur, & ab ipso offerente sumitur.

An

De Pœnitentia.

POEnitentia est Sacramentum a Christo Domino institutum, quosdam hominis pœnitentis, & Ministri absolventis actus complectens, quo ab hoc ille Deo reconciliatur, & a peccatis post Baptismum commissis absolvitur.

Quæ-

De Indulgentiis, & Purgatorio.

Cum per Indulgentias condonetur pœna peccatis quoad culpam remissis debita, & pro qua satisfactio esset exsolvenda, & in Purgatorio post vitam pœna illa luatur, pro qua satisfactio in hac vita non fuerit exsoluta, ideo Doctrinæ de satisfactione recte subjungitur ea, quæ est de Indulgentiis, & Purgatorio.

De Extrema Unctione.

Extrema Unctio est Sacramentum a Christo institutum, in quo virtute unctionis super infirmi corpus a Sacerdote factæ, adjunctis certis precibus, gratia ipsi infirmo confertur ad resistendum tentationibus Dæmonis, & ad ægritudinem patienter tolerandam, imo & ad sanitatem pristinam, si ejus saluti conducat, recuperandam.

De Ordine.

Ordo est Sacramentum a Christo institutum, quo confertur potestas ad exercendas ministeriorum Ecclesiasticorum functiones, & Gratia ad easdem digne, & fructuose obeundas.

De Matrimonio.

MAtrimonium est Sacramentum a Christo institutum, quo vir, & mulier vinculo indissolubili uniuntur, & eisdem Gratia confertur, ut status conjugalis officia debite implere, & onera convenienter ferre possint.

Quod Matrimonium sit Sacramentum. *Vid. cap.* 8. *sect.* 1.
Quænam requirantur ad hoc, ut Matrimonium valide, & licite contrahatur. *sect.* 2. *&* 3.
Quinam sint Matrimonii effectus, & quæ officia conjugum reciproca. *sect.* 4.
Quænam sint Matrimonii impedimenta. *sect.* 5.
De Sponsalibus, & eorum validitate, & dissolutione. *sect.* 6.

F I N I S.